Dono per parte di Monsignor [illegible]

[illegible]

ACTA
SACRORVM SOLEMNIVM

QVIBVS

SANCTISSIMVS DOMINVS NOSTER

PIVS PAPA IX.

XXVI MARTYRIBVS IAPONENSIBVS

AC

BEATO MICHAELI DE SANCTIS CONFESSORI

SANCTORVM COELITVM HONORES DECREVIT

OPERA

DOMINICI BARTOLINI

PROTONOTARII APOSTOLICI E NVMERO BENEFICIARIORVM
ARCHIBASILICAE LATERANENSIS CANONICI
ET SACRORVM RITVVM CONGREGATIONIS A SECRETIS

DESCRIPTA AC DIGESTA

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA REV. CAMERAE APOSTOLICAE
1864

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO IX.

PONTIFICI MAXIMO

DOMINICVS BARTOLINI

FELICITATEM

Quamvis, Beatissime Pater, Te ùnum a saeculis servaverat Deus Omnipotens ad dogmaticam doctrinam de Immaculato Beatae Virginis Mariae Conceptu infallibili Tuo judicio definiendam, tamen illud in Apostolico Regimine Tibi agendum deerat ut aliquibus Dei servis qui vitae sanctitate praestiterant, ac portentis post

mortem inclaruerant Coelitum honores decerneres. Grande hoc opus et supra rerum humanarum fastigium in hac acerbissima temporum calamitate a TE absolutum fuisse Orbis universus admiratus est. Nihilque mihi jucundius evenire unquam poterat quam ut ob Officium a TUA benignitate mihi creditum meam qualemcumque in gravissimo hoc

expediendo Canonizationis negocio possem conferre operam. Et quoniam Actorum series quam in hoc volumine colligere curavi TE Auctorem habet, ideo nulli magis quam TIBI illam consecrandam censui. Quapropter, BEATISSIME PATER, volumen istud veluti beneficiorum mihi elargitorum coronidem ea qua polles benignitate excipias rogo. Et dum novos Coe-

lites enixe adprecor ut sua ope Te ad Ecclesiae et civilis societatis bonum incolumem diutissime sospitent, beatissimis Tuis provolutus pedibus illos humiliter deosculor, et Apostolicam Benedictionem ex animo imploro.

Romae VI Kalendas Januarias MDCCCLXV.

PROOEMIUM

Primis Ecclesiae Catholicae saeculis Martyres tantum sacris referebantur dypticis, quia Martyrium jure meritoque uti summus sanctitatis apex existimabatur. Martyrum acta Clementis I. Pontificis Maximi Beati Petri discipuli instituto accuratissime a Notariis regionariis conscripta vel collecta in scrinio Romanae Ecclesiae servabantur (1); nec non in sacris christianorum conventibus post Scripturarum lectionem enarrabantur, ut auditorum animi ad tam praeclara imitanda facinora excitarentur (2). Et re quidem vera christifideles hisce edocti exemplis persecutorum minas contemnentes sua corpora suppliciis excrucianda tradebant. Quod cum probe nossent persecutores ipsi, Diocletianus acerbissimus eorum coripheus sancivit ut Christianis daretur venia si Martyrum acta una cum divinae Scripturae libris lictoribus comburenda traderent. Martyres illi qui dyptico-

(1) Anast. Biblioth. in vita Clementis I. Papae.
(2) Ruinart in praefat. ad acta Martyr. n. 5.
— Mabillon in disquisitione de cursu Gallicano § 1.
— Canon. 50 Concilii Cartaginensis in epistola Adriani I. ad Carolum Magnum.

rum tabulis inscripti erant dicebantur *vindicati*; iisdemque solemnis commemoratio summi Pontificis decreto quotannis celebranda eorum passionis die in Catalogis assignabatur (1). Quos inter ille celeberrimus erit memoriae revocandus a P. Bucherio Societ. Jesu typis traditus, quem licet dimidio saeculi IV exaratum sanae critices cultores reputent, tamen Conventus qui Diocletianea perdurante vexatione obtinuerant recenset. De Martyribus Sedis Apostolicae magisterio *vindicatis* apertissime loquitur Summus Pontifex Vigilius in suo epigrammate, quo posterorum memoriae tradidit se tumulis restituisse titulos a Gothorum copiis suburbana vastantibus ereptos, quos Damasus Papa, strenui probata certaminis veritate, carmine descriptos pluribus posuerat Martyribus, quibusque eos colendos esse decreverat. En Epigrammatis verba:

Dum peritura Gethae posuissent castra sub Urbe
  Moverunt Sanctis bella nefanda prius.
Istaque sacrilego verterunt corde sepulchra
  Martyribus quondam rite sacrata piis.
Quos monstrante Deo Damasus sibi Papa probatos
  Affixo monuit carmine jure coli.
Sed periit titulus confracto marmore sanctus
  Nec tamen his iterum posse latere fuit.
Diruta Vigilius nam mox haec Papa gemiscens
  Hostibus expulsis omne novavit opus.

(1) Epist. Eccles. Smirn. op. Euseb. lib. 4 hist. Eccl. cap. 15 pag. 170. — Acta authent. S. Vigilii Epis. Trid. et Martyris apud Bollandianos ad diem 16 Junii cap. 2 n. 11.

Hujus ergo testimonii auctoritate noscimus Damasum, qui eodem saeculo IV vertente Ecclesiam regebat, *tituli* decreto coelitum honores Martyribus tribuere consuevisse. Verum haud longe a Constantini Magni aevo qui floridissimam Ecclesiae pacem constituerat, illorum coli coepit memoria Confessorum qui exercitam in virtutibus duxere vitam, ac in osculo Domini, et sanctimoniae fama obiierant. Horum priores in acie refulgent Martinus Turonensium Antistes; Helena Constantini Imperatoris piissima mater; Taumaturgus ille Nicolaus Mirensium Episcopus; aliique, quos locorum Antistites, aut Synodi provinciales vel impetrata prius a Summo Pontifice venia, vel actorum serie ad ipsum pro confirmatione remissa in sacros referebant dypticos, uti Benedictus XIV doctissime disserit in suo de servorum Dei Beatificatione et Canonizatione Commentario.

Sed cum hujusmodi negocium satis erat salebrosum, agebatur enim ut de virtutibus defuncti, et de signis ab eo patratis examen institueretur, quod interdum minus recta populi credulitas et devotio turbare poterat, ideo statutum est examen illud inter gravissimas Ecclesiae causas adscribere, quarum judicium Sedis Apostolicae Magisterio, claviumque a Christo traditae potestati reservabatur. Et sane quid praestantius, quid unquam augustius excogitari potest quam supremo definire judicio quod idem et in coelo ratum sit quemdam Dei Servum licet humilem in hoc saeculo, et abjectum beatas scandisse Coelitum sedes, ibique fidelium excipere vota, eisque opem conferre suam?

In posterum eadem de Martyribus cautum est lege;

nam persecutionibus adversus christianos omnes sublatis, diligentius inquirendum erat de causa Martyrii alicujus, an scilicet pro fide illud tulerit. Ac proinde post accuratam actorum investigationem beatis Martyribus Petro Veronensi ex Ordine Praedicatorum, Stanislao Episcopo Cracoviensi, et Thomae Archiepiscopo Cantuariensi a Summis Pontificibus Alexandro III et Innocentio IV Coelitum honores decreti sunt. Vario insuper modo sed solemni semper hujusmodi Canonizationes celebratae sunt; sequioribus vero saeculis splendidissimus in illis obtinuit coeremoniarum ornamentorumque apparatus. Nam viciniores conveniebant Episcopi; solemnes ducebantur supplicationes; preces publicae indicebantur; Archibasilica Lateranensis ubi prius fere semper peragebantur, et postea Basilica Vaticana quae illi ob majorem amplitudinis comoditatem suffecta est, luminibus aulaeis, picturis, lemnisciis magnificentissime exornabantur.

Absonum minime erit ab historica negocii hujus narratione si celebriores nonnullae nostroque aevo proximiores commemorentur quorum acta typis mandata extant.

Clemens XI Pontifex Maximus die 22 Maji anni 1712 beatos Pium V Summum Pontificem, Andream Avellinum, Felicem de Cantalicio, et Catharinam Bononiensem in Vaticana Basilica Sanctis accensuit Coelitibus: magnificum Templi ornatum aere cusum, rerumque gestarum notitiam Justinianus Chiapponi Apostolicis Coeremoniis Praefectus typis accurate mandavit. Neque illam silentio praeteream Canonizationem qua Benedictus XIII Turribium Episcopum, Jacobum de Marca, Agnetem Virginem de Monte Politiano, Pere-

grinum Laziosi, Joannem de Cruce, Franciscum Solanum, Aloysium Conzaga, Stanislaum Kostka in Basilica Principis Apostolorum Sanctorum fastis adscripsit; itemque aliam qua in Archibasilica Lateranensi poenitentem illam Margaritam Cortonensem, et Joannem Nepomucenum Martyrem inclitum Sanctorum gloria cohonestavit. Simulque alteram recordabor qua Clemens XII. Vincentii de Pauli, Joannis Francisci Regis, Catharinae Fieschi Adorno, Julianae Falconieri nomina in eadem Constantiniana Protobasilica sacris dypticis inseruit. Quarum licet acta desiderentur, tamen memoria in scriptis relicta, ac tabulariis concredita haud decidit. Benedictus XIV qui pro recta judiciorum ratione in Dei Servis Canonizandis servanda tantopere adlaboravit, solemnem et ipse Canonizationis coeremoniam celebravit, et beatos viros Fidelem a Sigmaringa Martyrem, Camillum de Lellis, Petrum Regalatum, Josephum a Leonissa Confessores, et Catharinam de Riccis Virginem uti Sanctos a fidelibus colendos edixit. Extant inter doctissimi Pontificis hujus opera solemnitatis Acta quibus scenographicae totius apparatus tabulae aere incisae adnectuntur. Sub Clemente XIII ejus successore non defuere Canonizationis solemnia, quae tum apparatus magnificentia, tum gentium multitudine splendidiora quidem fuisse acta quae extant typis tradita satis describunt. Sanctorum nomina qui in hujusmodi solemniis immortalitatis coronam obtinuere haec sunt: Joannes Cantius, Josephus Calasanctius, Josephus de Copertino, Hieronymus Emiliani, Seraphim de Monte Granaro Confessores, Joanna Francisca Fremiot de Chantal Vidua. Pius VII antequam impiorum consiliis et armis ex Apo-

stolica Petri Sede exturbaretur, arctaque detineretur custodia an. 1807 beatos Franciscum Caracciolo, et Benedictum a S. Philadelpho, beatasque Virgines Angelam Merici, Coletam Bailet, et Hyacintham de Marescotti inter Sanctos Coelites retulit: attamen quae statim subsequuta est temporum calamitas solemnitatis illius Acta promulgari minime permisit. Denique nostris hisce temporibus anno scilicet 1839 die 26 Maji, Augustae Triadis recurrente Festo, Gregorius XVI Summus Pontifex beatis Alphonso Mariae de Liguori Episcopo et Confessori, Pacifico a S. Severino, Joanni Josepho a Cruce, Francisco de Hieronymo Confessoribus, et Veronicae Giuliani Virgini Coelitum honores decrevit in Vaticana Basilica, quae splendidiori ornatu, luminum copia, confluentium multitudine caeteris antecelluit. Verum summa Dei bonitas quod Antecessoribus suis non fecit, id Pio IX Sanctissimo Domino Nostro inter ceteras quibus eum ditavit praerogativas tribuere dignata est: siquidem non duos, aut quatuor, vel quinque beatos viros, sed praeter beatum Confessorem Michaelem De Sanctis, sex et viginti beatos Coronatos Japonenses sanctissimo et candidato Martyrum exercitui adjunxit. Numquam tam ingens visa fuerat gentium multitudo; nec tot tantosque Christi gregis Pastores Roma ob hujusmodi solemnitatem sua inter moenia collectos exceperat; nunquam anteactis saeculis Ecclesiae unitas similes exeruerat vires. Nam qui ex dissitis etiam regionibus huc convenere Episcopi sententiam quam de civili Sedis Apostolicae Principatu jam datis literis tulerant, unanimi declarationis consensu confirmarunt. Quapropter cum vaferrimi hostes Ecclesiam Catholicam extremam attigisse ho-

ram autumarent acerrimum illi indixerant bellum; nec sumptibus pepercerunt, neque laboribus ut eam funditus everterent. Verumtamen Ecclesia veluti petra offensionis facta est eis super quam si ceciderint conterentur. Portentum hoc Martyrum opitulatio obtinuit, et quemadmodum, teste Tertulliano, sanguis eorum fuit christiani nominis semen, ita ipsorum preces Ecclesiae tranquillitatem a Deo obtineant; fidem in Italiae finibus sarctam tectamque tueantur; hostium Christi et Ecclesiae faciem ignominia impleant ut non pereant, sed confundantur, et nomen Domini quaerant.

Admirabile sane consilium fuit cuncta suaviter disponentis Dei, ut in tanta temporum calamitate solemnis ille Ecclesiae celebraretur Ritus, quo mortalibus coelitum decernuntur honores. Hisce siquidem diebus bellorum procellis et seditionum Italia agitatur; navicula Petri magnis haeresum errorumque fluctibus concussa est; Europae regna foediis ac proditoriis discinduntur factionibus; omnia divina, humanaque jura proculcantur; societas ipsa dissolvi videtur; Sedes Apostolica, immo Petrus ipse simulatorum hominum machinationibus et armis patrimonio suo expoliatur; Ecclesia denique Christi tot tantisque premitur calamitatibus, ut, ni divinis essemus confirmati promissis, portas inferi adversus eam praevalere esset dicendum. Dum vero hoc malorum pelago obrui propemodum videremur, et Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX a sua quotidie exturbandus esset sede, sinagoga enim inania meditantium jam decreverat Romam utpote novae Italicae ditionis principem praedonum omnium domicilium futurum, tantam Ecclesia Christi ostendit potentiam, ut qui illi adversantur testimonium de ea et ipsi perhibeant. Et licet grande mihi assignatum fuerit pensum fastorum triumphalium seriem enarrandi, tamen nullo hi prorsus indigent explanatore, ut divinitus conflata pateant, quae intervenerunt factorum adjuncta.

Pontificio itaque stetit solio Reverendissimus Pater Antonius a Matre Dei Minister Generalis Ordinis Fratrum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis a Redemptione captivorum, ac humiliter a Summo Pontifice petiit ut Beatus Michael de Sanctis Sacerdos Professus ejusdem Ordinis, cujus jam ab anno 1841 per Decretum Summi Pontificis Gregorii XVI sa. me. miracula fuere probata, inter Sanctos

Coelites recenseretur ac interim Sacrorum Rituum Congregatio haberetur in qua discutiendum de more esset dubium *An Tuto procedi possit ad illius solemnem Canonizationem.* Sanctissimus Pontifex Pius Papa IX tot aerumnis haud fractus, in Domino enim, a quo auxilium in omni tribulatione expectandum, spem reposuerat, ut alter Petrus super tempestatum fluctus fidentior gradiens preces libenti animo excepit ac Eminentissimo et Reverendissimo Domino Ludovico Cardinali Altieri causae hujus Relationem ad id operis commisit.

Inter haec Reverendissimus Pater Bernardinus a Monte Franco totius Ordinis Minorum Observantium S. Francisci Minister Generalis supplicem et ipse libellum porrexit postulans ut viginti tres Martyres S. Francisci asseclae, qui anno 1597 in Japoniae Imperio Martyrium fecerant, fideique primitias apud illas gentes sanguine purpuraverant, Sanctorum fastis adscriberentur. Horum Martyrum causa statim post eorum certamen pertractari coeperat. Nam missis ad Apostolicam Sedem literis accuratam Archiepiscopus Maniliensis Relationem conscripsit quae, utpote constans ex sententia authentica Imperatoris Japonensis, et Epistola R. P. D. Petri Martinez Societatis Jesu Japoniae Episcopi martyrio adstantis, tanquam processus Ordinaria auctoritate instructus jure meritoque habita fuit. Hinc judices ab Apostolica Sede delegati postquam sive remissoriales, sive compulsoriales accepissent literas solemnes condidere processus; eosque Romam Sedis Apostolicae examini subjiciendos miserunt. Paulus V sa. me. qui Catholicam regebat Ecclesiam juxta vetustiorem disciplinam, quae tunc in hujusmodi causis pertractandis obtinebat causam tribus Sacrae Rotae Auditoribus Joanni Baptistae Coccini, Alfonso Manzonandi, et Philippo Pirovani expendendam commisit. Hi, tota actorum serie diligentissime perpensa, summo Pontifici Urbano VIII sa. me. sententiam suam pandidere declarantes omnia ita esse in hac causa comparata ut juxta Sanctae Romanae Ecclesiae praxim, sacrorumque canonum sanctiones si Sanctissimo placuerit, inoffenso pede procedi posset ad horum Dei Famulorum Canonizationem, ac in albo Sanctorum adscriptionem. Postea de more causa delata est ad Congregationem Sacris tuendis Ritibus praepositam, quae maturo consilio censuit *constare de Martyrio et Miraculis, ideoque ad actualem illorum Martyrum Canonizationem quandocumque deveniri posse.* Urbanus VIII reputans eos Martyres inter beatos coelites cooptatos duabus Literis Apostolicis in forma Brevis decimo octavo kalendas Octobris anni 1627 et decimo nono kalendas ejusdem mensis et anni expeditis facultatem impertivit tum Fratribus Ordinis Minorum S. Francisci, tum Patribus Socie-

tatis Jesu (cujus tres alumni insimul Martyrium subierunt, quemadmodum infra adnotabitur) ut possent de iisdem Martyribus Officium recitare, Missamque celebrare de communi Plurimorum Martyrum die eorum natali. Quare nil aliud deerat juxta veterem disciplinam ad causae hujus confectionem nisi Consistorium, cui accedere debebat expressa summi Pontificis declaratio.

Attamen causa haec ad nostra usque tempora siluit; Deus enim omnipotens qui congruam temporibus suis praestare solet medelam voluit ut his diebus, quibus homines proditores, superbi, blasphemi, incontinentes, voluptatum amatores, sine affectione, et inimici Crucis Christi, quales denique Apostolus Paulus recenset ubique grassantur et extremam divinae Religionis nostrae perniciem, foedioremque ethnicismum ad auras revocare pertentant, hoc Crucis trophaeum nova circumdatum luce splendidius appareret, hominumque animos in sui admirationem amoremque pertraheret.

Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX Ministri Generalis Ordinis Minorum S. Francisci votis favens mandavit Viro doctissimo R. P. D. Andreae Mariae Frattini Protonotario Apostolico, et Sanctae Fidei Promotori ut in hoc gravissimo expediendo negocio suam panderet pro veritate sententiam. Quod et praestitit ille egregia edita lucubratione, qua actorum seriem pertexens suum concludebat consilium ut causa haec a suis primordiis veteri pertractata disciplina, eadem pariter servata disciplinae methodo expediretur. Et quoniam necesse est ut ea quae gesta sunt ex ordine in hoc volumine referantur, lucubrationem et ipsam Promotoris Fidei commemorabo.

SACRA RITUUM CONGREGATIONE, EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO CARD. CONSTANTINO PATRIZI PRAEFECTO ET RELATORE.

JAPONEN. CANONIZATIONIS VIGINTI TRIUM MARTYRUM EX ORDINE MINORUM S. FRANCISCI.

Sententia pro veritate R. P. D. Andreae Mariae Frattini *S. Fidei Promotoris.*

BEATISSIME PATER

Sapientissimo divinae providentiae consilio opportune dixerim contingere, et luctuosis hisce temporibus, quibus sceleris omnis maturitas vel in cultissimis Italiae nostrae regionibus adversus Christi fidem erupisse visa est, expedienda proponatur causa Canonizationis propemodum ab-

soluta Martyrum Japonensium. Quum enim infensissimi Catholicae Religionis hostes vaferrimos conatus suos omnes intendant ad eam fidem ex hominum piorum animis stirpitus evellendam, e re quidem, ac praeclare fiet, si supremis Canonizationis honoribus decorati tandem fuerint plures illi Religionis nostrae sanctissimae propugnatores invicti, qui gravissimis exantlatis laboribus, postquam Catholicam fidem in Japoniam late disseminassent, eam demum dirissimum strenue obeuntes mortis genus sanguine ipsi suo obfirmarunt. Novum enimvero ac spectatissimum exemplar inde Fidelibus enituerit, in quod sedulo intuentes imitari illud pro viribus studeant, sic ut nec fraudibus irretiti, nec minis deterriti a fidei suae integritate haud umquam vel paullulum desciscant.

Splendidissima Canonizationis illius causa optimis est auspiciis suscepta, dum in Petri cathedra sederet Paulus eo nomine V; atque ex norma disciplinae per id aetatis vigentis discussa rite fuit a tribus Rotae Auditoribus primum, ac deinde a S. R. E. Cardinalibus qui sacris ritibus tuendis praefecti essent. Unanimis porro fuit Judicantium assensus in Canonizationis jure Japonensibus iis Martyribus asserendo: quandoquidem tum Rotae Auditores, tum Cardinales Patres affirmandum censuerunt « *constare de Martyrio, et miraculis: ideoque ad actualem illorum* (Martyrum) *Canonizationem quandocumque deveniri posse* » uti ex Literis Apostolicis eruitur Urbani VIII. (*Summ. N. 1*) Eatenus adductum cum esset prosperum ejusmodi causae judicium, posthac diuturno silentio ferme obliteratum delituit.

Non ita pridem vero Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci, quibus proprium ab Observantia nomen, discupiens ex iis Martyribus tres, ac viginti eumdem in Ordinem olim adscitos quamprimum sanctorum titulo rite honestari, supplices Tibi, Pater Beatissime porrexit preces,

quibus obsequenter, enixeque postulat, ut *audito R. P. D. Promotore Fidei ea velis decernere, quae necessaria sunt ad peragendum solemnem actum Canonizationis.* In re tanti momenti, suscipiendum ut consilium interim consideratissime reputares, Tibi nihil visum est fieri posse consultius, quam ut mihi proferendam demandares eo super negocio sententiam *pro veritate* (*Summ. N.* 2). Hac igitur perfuncturus officii parte, prius acta summatim referam totius causae, unde pernosci compertius valeat status ejusdem postremus.

Ac primum ad rei perspicuitatem expediet normam breviter exponere vetustioris disciplinae. Qui jamdiu mos invaluerat, ut Canonizationis causae, antequam ad consistorium deferri possent, Rotae Auditoribus committerentur discutiendae, perstitit etiam post S. Rituum Congregationem a Sixto V institutam. Tribus utplurimum ex iis a Congregatione, vel a S. Pontifice delectis ejusmodi causarum committebatur disquisitio. Qua expleta, alter ex Auditoribus naviter describebat ipsius relationem, quae omnium subsignatione munita Pontifici, et Congregationi exhiberetur. Tum Postulatorum munus erat, ut ejusdem relationis tot exemplaria conficerentur, quot Cardinales, aliique essent in Congregationem adscripti, ac per illius Secretarium authentica redderentur. Perspecta vero ut quisque haberet relationis documenta, Processuum omnium summarium tradendum iis erat. Si R. Auditorum sententiae consonum se praebuisset Congregationis judicium, tum ad Consistorium causa deducebatur: si autem ab ea dissedisset, ut aliquando contigit, haud progrediebatur ulterius quaestio. Post Decreta etiam Urbani VIII praeviam ejusmodi perdurasse inquisitionem R. Auditorum, et iisdem Decretis, aliisque monumentis colligitur: eam tamen cessasse per id temporis constat, cum Innocentius X pontificatum gereret.

Porro ad praescriptum expositae disciplinae agitata Canonizationis causa fuit, de qua disseritur. Paulus V eam expendendam permisit tribus Rotae Auditoribus, qui, causae examine, judicioque absolutis, relationem totius negocii pertexuerunt accuratissimam, eamque trinos in articulos sunt dispertiti. Primo quidem Processus tum ***remissoriales*** tum ***compulsoriales*** sedulo pervestigarunt, ac nihil plane in iis desiderari amplius posse perviderunt, quo opus foret ad eorum adprobandam validitatem. Probe vero sentientes, causae cujusque fulcrum et columen in legitimis esse probationibus potissime situm, in id operam contulerunt suam impensius, ut Testium probitatem, ac certam fidem explorarent. Quod officium cum diligenter obiissent, tuto demum affirmarunt ab omni exceptione eos esse sic vacuos, ut eorum fidem nec quidpiam posset extenuare vel leviter.

Hoc totius quaestionis quasi fundamento strato ac firmiter constituto, ad Martyrium ejusque causam despiciendam Judices illi sapientes sunt digressi. Atque in primis ostenderunt, praesto ad opus esse majorem Testium numerum, quam juris praeceptio requirat. Testes quippe duodeviginti recensentur, qui certa scientia asseverant, eos Dei Famulos alacri laetoque animo « ***Martyrium sustinuisse pro fide catholica, et illius confessione et praedicatione.*** Quibus accedunt plures alii, qui eamdem testificationem ***ex auditu et fama*** haustam confirmant.

Et quoniam ***Martyres non facit poena, sed causa,*** hinc legitimam Martyrii causam non ex heroica modo agendi ratione, quam Christi Athletae illi fortissimi ad obitum usque constantissime servarunt, verum etiam ex Tyranni animo atque consilio argumentis ductis luculentissimis demonstravere. Quocirca in apricum proferri voluerunt ipsius sententiam, unde percipitur dilucide, odium fidei causam fuisse unicam, quamobrem indignatus ille tot strenuis catholicae Religionis Assertoribus diram mortis poenam ir-

rogandam edixerit. En verba quibus expressa ea fuit: « Postquam Imperator annis praeteritis prohibuit legem, « quam Patres docent, nonnulli Patres, qui vocantur Le- « gati Luzoni, et habitant in Curia, praedicant dictam « legem, ideo ipsi una cum Japonensibus ad eorum legem « conversis condemnantur, qui simul sunt numero vigin- « tiquatuor, crucibus affigetis Nangasaqui. Et quia in fu- « turum sua Majestas iterum, et cum majori rigore pro- « hibet hanc legem, hoc scitote et jubete, quod cum ri- « gore servetur istud mandatum. Et si forsan aliquis dicto « mandato contravenict, ipse contraveniens cum tota il- « lius generatione mortis poena puniatur. Datum die vi- « gesima lunae undecimae primi anni aetatis vocatae « Eviocho ». Non igitur simultas in eos Martyres aliqua, non politica ratio, sed odium unice Christianae fidei Tyrannum acriter concitavit, ut illos plecteret immanissimo crucis supplicio. Quum tanta probationis luce Martyrium, ac legitima ejus causa patefierent, merito Judices alteram relationis partem praeclara eorum Martyrum commendatione quasi coronidis ultro efflorescentis ornamento ita concludendam existimarunt « *isti Sancti Martyres, pleni charitate, et refecti vinculo illius perfectionis vitam praesentem ab omnibus magis amatam contempserunt, et mortem aliis magis odiosam pati elegerunt, et Testes Fidei Christianae sua morte steterunt, opere testificando Fidem Christi, et veritatem illius; quae veritas fuit sui Martyrii causa, et perfecta ratio illius consistit in eo, quod mortem sustinuerunt propter Christum, ostendendo ex operibus Fidem suam, et imitando Passionem Dominicam.* Quod quidem praeconium grave oppido, ac disertum satis superque ostendit, quanta de illius Martyrii veritate persuasio Judicantium animis penitus insedisset.

Tertio in articulo ejusdem Relationis miracula plura, idoneis adductis Testibus, enarrantur, quae ad Martyrii

veritatem divinitus confirmandam apprime contulerint. Ad extremum, argumentis una perpensis omnibus, peraccurati judicii sui sententiam Rotae Auditores in haec verba declarant « Ex quibus omnibus concludendum judicavimus;
« causam istam esse in tali statu, ut juxta S. R. E. Ritum,
« et Sacrorum Canonum dispositionem (si Sanctitati Vestrae
« placuerit) possit procedi ad istorum Famulorum Dei
« Canonizationem, et in numero Sanctorum adscriptionem
« in forma Ecclesiae consueta ».

Ejusmodi disquisitione faustum ad exitum perducta, de more postea delata causa est ad Congregationem S. R E. Cardinalium legitimis ritibus cognoscendis praepositam, quae matura adhibita deliberatione censuit « *constare de Martyrio, et miraculis*; *ideoque ad actualem illorum* (Martyrum) *Canonizationem quandocumque deveniri posse*. Cum autem Praesides Ordinis Minorum S. Francisci ab Urbano VIII, sicuti ex jam allegatis ejus Literis Apostolicis constat, humili, enixaque prece postulassent, ut Officium et Missa de illis Martyribus *donec ad solemnem eorum Canonizationem deveniretur recitari et celebrari possent*, supremus ille Pontifex de *Cardinalium consilio* facultatem impertitus est, ut *de eisdem Martyribus tam ab omnibus dicti Ordinis S. Francisci Religiosis ubique existentibus quam etiam aliis Ecclesiasticis, et saecularibus personis Malinen. Dioecesis dumtaxat, ubi praecipui dictorum Martyrum pro Christi Fide labores valde profecerunt, Officium et Missa de communi plurimorum Martyrum die eorum Natali, videlicet die quinta Februarii recitari et celebrari respective, libere, et licite posset et valeret*. Quamquam praesidiis hisce judicii auspicatissimi munita nostrorum Martyrum Causa esset, attamen substitit; neque ad Consistorium progressa unquam est in posterum decretoriam Pontificis sententiam subitura.

Jam quod ad legitimam attinet expositi examinis au-

ctoritatem, equidem post sedulam pervestigationem probe perseusi, illius acta singula ab iis Judicibus fuisse ad juris praescriptum religiose accurata, ac nihil praetermissum, quod disciplina illa vetus exquireret. Nec ambigere quis posset, quin, tam diutino exacto temporis intervallo, Decretum fortassis ullum postea intercesserit, quod illius disquisitionis auctoritati valuerit derogare. Praeterquam quod enim nullam reapse constat editam in id fuisse praescriptionem legis, insuper omnem vel levem ea de re dubitationem amovet notissima juris praeceptio, quae ita se habet « *Leges et Constitutiones futuris certum est dare normam negociis non ad facta praeterita revocari, nisi nominatim, et de praeterito tempore, et adhuc pendentibus negociis cautum sit.* » Leg. 7. Cod. de legibus = Idem declarat Glossa in cap. Cum quis universalis de Sent. excommunication. in 6. et in lege certum Cod. de rei vindic., et Rota apud Marches decis. 360 num. 9. = Coram Benincasa decis. 287. num. 8. = Coram Gamberini decis. 51. num. 25. = Sed ratio legis loquitur ipsa per se, ut uberioris demonstrationis ope non egeat. Quamobrem asseverare haud verear vetustae Causae hujus acta validum sui momentum adeo fuisse assecuta, nihil ut exceptionis objici queat.

Verumtamen ejusmodi judicium mira successus prosperitate eatenus adductum, postrema eaque potissima destituitur sui parte, quae necessaria prorsus est ad hanc Canonizationis causam legitime expediendam. Quidquid namque Rotae Auditores et Sacrum S. R. E. Cardinalium consilium dijudicaverint, non aliam vim obtinet nisi consulentis sententiae. Quare accedat oportet Pontificis expressa declaratio, quae latam ab iis sententiam, decretorio judicio confirmet.

Ac licet Urbanus VIII per Officii, Missaeque concessum non obscuram ediderit proclivioris voluntatis suae signi-

ficationem ad Canonizationis honores Japonensibus Martyribus adjudicandos, haudquaquam tamen arguere exinde licet, prolatum ab eo fuisse solemne judicium, cui obsequi Ecclesia teneretur universa. Qui enim iis Martyribus tributus est cultus, merae permissionis limites haud excessit; siquidem recitatio Officii, Missaeque celebratio concessae peculiariter ac praefinito sunt Franciscalibus sodalibus omnibus ubique degentibus, necnon *aliis Ecclesiasticis et Saecularibus personis Malinensis dioecesis, ubi praecipui Martyrum pro Christi fide labores valde profecerunt.*

Quae ita cum se habeant, opus omnino mihi videtur esse, Beatissime Pater, ut coram Consilio S. R. E. Cardinalium sacris ritibus tuendis praeposito expresse declares « hac in Causa tuto procedendum esse ad ulteriora ». Hoc supremae tuae potestatis officium non modo disciplinae accuratio postulat, sed ratio etiam prudentioris consilii, quod aeque suadet, ut ad Canonizationis solemnia edicenda non prius accedas, quam declaratione illa Tua probe ostenderis, Causae cognitionem fuisse Te penitus assecutum. Ita quidem expetita Japonensium Martyrum Canonizatio pronunciata solemniter erit decretorio Pontificis judicio, quod Ecclesiam obligare debeat universam ad cultum iis Martyribus exhibendum.

Nunc aliud nihil est reliquum, nisi ut ego accedens ad pedes Tuos sanctissimos, sententiam, quam veritate ductus pro tenuitate ingenii mea hactenus exposui sapientissimo judicio Tuo perlibenter atque obsequentissime subjiciam.

ANDREAS M. FRATTINI S. Fid. Prom.

SUMMARIUM

Beatissime Pater

Num. 1. Supplex libellus Rmi P. Ministri Generalis Ordinis Minorum Sancti Francisci.

Urbano VIII Pontifice Maximo, absoluta feliciter fuit Causa Canonizationis viginti trium Martyrum ex Ordine Minorum S. Francisci de observantia discalceatorum, qui cruci affixi et transverberati die V Februarii anni 1597 gloriosam pro Christo mortem obierant in regno Japoniae. Juxta disciplinam tunc temporis vigentem discussa primum fuerat Causa nobilissima in Sacro Rotae Auditorio, deinceps de mandato Pontificis ab Emis Patribus sacris ritibus praepositis, atque ita quidem, ut tum Rotae Auditores, tum Emi Patres censuerint, *constare de Martyrio et Miraculis, ideoque ad actualem illorum* (Martyrum) *Canonizationem quandocumque devenıri posse.* Prostant ea de re literae in forma Brevis expeditae die 14 Septembris anni 1627, in quibus ipse immortalis Pontifex Urbanus VIII non modo acta judicia enarrat et confirmat, verum insuper ad preces Catholici Hispaniae Regis, et Postulatoris Ordinis S. Francisci indulget, ut in die laudatorum Martyrum natalitia Officium et Missa de Communi plurimorum Martyrum recitari et celebrari possit ab omnibus Ordinis S. Francisci religiosis ubique existentibus, et ab aliis ecclesiasticis et saecularibus personis Manilensis dioecesis, ubi *praecipui dictorum Martyrum pro Christi fide labores valde profecerunt.*

Haec cum ita se habeant, quo magis laudetur Dominus in Sanctis suis, Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci a Sanctitate Vestra humillime petit, ut, audito R. P. D. Promotore Fidei, ea decernere velit, quae necessaria sunt ad peragendum solemnem actum Canonizationis, quam jamdudum praefatis Christi militibus decrevit gloriosus Sanctitatis Vestrae Praedecessor Urbanus PP. VIII. Quare etc.

SSm̃o Domino Nostro

PIO PP. IX.

die 6 Augusti 1861.

Ex Audientia Sanctissimi

Num. 2. Rescriptum Pontificis.

SSm̃us remisit preces mihi S. Fidei Promotori, ut supra his sententiam meam pro veritate aperiam.

ANDREAS M. FRATTINI S. Fidei Prom.

Urbanus PP. VIII.

Ad perpetuam rei memoriam

Num. 3. Literae Apostolicae s. m. Urbani VIII.

Salvatoris, et Domini nostri Jesu Christi, qui milites suos inclytos, quorum mors pretiosa est in conspectu ejus, immortalitatis corona donat in coelis, vices quamquam immeriti, gerentes in terris, pia Christifidelium, praesertim catholicorum Regum vota, per quae eorumdem Sanctorum Militum veneratio promovetur, et laudatur Dominus in Sanctis suis, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, favoribusque et gratiis prosequimur opportunis. Cum itaque sicut dilectus filius Petrus Baptista Procurator Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia discalceatorum nuncupatorum provinciae S. Gregorii Philippinarum et Japoniae Nobis nuper exponi fecit, Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus praepositi in causa Canonizationis viginti trium Martyrum, videlicet Petri Baptistae et Sociorum ejus ex dicto Ordine, quorum nempe sex professi, coeteri vero laici familiares et coadjutores eorumdem sex professorum erant, quique omnes pro Christi nomine in oppido civitate nuncupato Nangasaqui extra muros in regno Japoniae cruci affixi, et transverberati fuerunt, in Sacro Rotae Auditorio *deinde de mandato Nostro* ab eisdem Cardinalibus, referente dilecto filio Nostro Ti-

berio titulo S. Priscae Presbytero Cardinali Muto nuncupato discussa, censuerint constare de Martyrio, et Miraculis, ideoque ad actualem illorum Canonizationem quandocumque deveniri posse, Superiores vero dicti Ordinis pro eo, quem erga eosdem Martyres gerunt, devotionis affectu Officium et Missam de illis donec ad solemnem eorum Canonizationem, pro qua non solum dictus Petrus eorumdem Fratrum nomine, verum etiam carissimus in Christo filius Noster Philippus Rex Catholicus, ac carissima in Christo filia Nostra Isabella Regina Catholica Hispaniarum, nec non universa Civitas Manilen. et Chinen. seu Machauen., aliique Nobis per eorum literas ad nos transmissas humiliter supplicarunt, deveniatur, ut infra recitare posse plurimum desiderent; Nos piis eorumdem superiorum votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus annuere, illosque specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus dicti Petri et eorumdem superiorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, de eorumdem Cardinalium consilio, ut de eisdem Martyribus tam ab omnibus d. Ordinis S. Francisci religiosis ubique existentibus, quam etiam aliis ecclesiasticis et saecularibus personis Manilen. dioecesis dumtaxat, ubi praecipui dictorum Martyrum pro Christi fide labores valde profecerunt, Officium et Missa de communi plurimorum Martyrum die eorum Natali, videlicet die quinta Februarii recitari et celebrari respective libere et licite possit, et valeat Apostolica autoritate, tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus et impartimur. Non obstantibus Constitutionibus et Ordina-

tionibus Apostolicis, coeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod praesentium transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae eisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae, vel ostensae. Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 14 Septembris 1627, Pontificatus Nostri anno quinto.

M. A. MARALDUS.

Loco ✠ annuli Piscatoris.

Romae 1627—Ex Typographia Rev. Cam. Apostolicae

Quod factum est; nam Consistorii loco Beatissimus Pontifex consilium habere voluit Eminentissimorum et Reverendissimorum Cardinalium Sacrae Rituum Congregationis in Palatio Apostolico Vaticano Tertio Nonas Semptembris anni 1861 in quo per Eminentissimum et Reverendissimum Dominum Cardinalem Costantinum Patrizi Episcopum Portuensem et S. Rufinae, eidemque Sacrae Congregationi Praefectum, nec non Causae Relatorem propositum fuit dubium *An tuto procedi possit ad solemnem eorumdem beatorum viginti trium Martyrum ex Ordine Minorum S. Francisci Canonizationem*? Et omnes Patres Cardinales affirmativum protulere responsum.

Eadem die, eodemque in Palatio locum habuit Congregatio eorumdem Eminentissimorum et Reverendissimorum Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositorum, nec non Reverendissimorum Patrum Consultorum coram Sanctitate Sua; in qua propositum fuit dubium ab Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali Ludovico Altieri Episcopo Albanensi et Causae Relatore pro Canonizatione Beati Michaelis de Sanctis: et omnes tum Patres Cardinales, tum Consultores una responderunt voce *tuto procedi posse ad ejusdem Beati Viri Canonizationem*.

Beatissimus Pater postquam effusis precibus lumen et auxilium a Domino impetrasset suum statuit in re prolaturum Decretum die ante kalendas Octobris ejusdem anni 1861 decima quinta, ac Stigmatibus Sancti Francisci Sacrà. Itaque horis antemeridianis se ad Ecclesiam S. Mariae in Aracoeli contulit, ubi cum in proximo sa-

crario suum conscendisset solium mihi Sacrorum Rituum Congregationis secretario mandavit ut utrumque Decretum successive perlegerem.

DECRETUM

JAPONEN.

CANONIZATIONIS VIGINTI TRIUM MARTYRUM EX ORDINE MINORUM S. FRANCISCI

Super Dubio—*An tuto procedi possit ad solemnem eorumdem Beatorum Canonizationem?*

Primitia Martyrum quas Ecclesia Japonensis Christo Martyrum Principi obtulit fuere viginti tres viri fortissimi, qui animam perdere propter Evangelium non metuentes, eam in vitam aeternam custodierunt. Nomina eorum haec sunt—Fr. Petrus Baptista Sacerdos Commissarius Missionis—Fr. Martinus de Ascensione Sacerdos—Fr. Franciscus Blanco Sacerdos—Fr. Franciscus de Sancto Michaele—Fr. Gundisalvus Garzìa Laicus—Fr. Philippus de Jesu—Paulus Suzuqui inserviens in Hospitali Fratrum, eorumque interpres—Gabriel Regni de Ize scholaris dictorum Fratrum—Joannes Quizuja Japonensis—Thomas Regni de Ize eorumdem fratrum interpres—Franciscus Japonensis Medicus et interpres—Thomas Cosaqui qui in Sacrificio Missae Fratribus ministrabat—Joachim Saquijor Japonensis Fratribus inserviens—Bonaventura Japonensis—Leo Carazuma Japonensis primarius interpres—Mathias Japonensis—Antonius Japonensis qui ministrabat Patri Commissario in Missae Sacrificio—Ludovicus Japonensis—Paulus Yuaniqui Japonensis—Michael Cozoqui de Regno Ize—Petrus Suquecixein Japonensis—Cosmus Raquija ex Regno de Voari inserviens pauperibus in Hospitali—Franciscus Campinten Japonensis omnes ex Ordine Minorum S. Francisci.

Permiserat primo Japonensis Tyrannus, ut P. Petrus Baptista et Socii possent in Civitate Meaci, ubi ipse se-

dem habebat, sibi construere Monasterium, cui erat Ecclesia adnexa Beatae Virgini Mariae Angelorum Reginae sacra; at cum ei perlatum fuisset ab idolorum sacerdotibus Fratres illos publice divinum diffundere Evangelium eo audientium fructu, ut plurimi relictis patriis diis Baptismum susceperint, statim furore percitus ne dum contra illos, sed etiam contra Japonenses Christianos capitalem sententiam dixit; qua sancitum erat eos in civitate Nangasaqui crucibus affigendos esse, lanceisque transverberandos. Capti igitur sunt Martyres in eorum Monasterio die decimatertia Decembris anni MDXCVI ac unicuique eorum auriculae parte excisa per summum ludibrium in varias Regni civitates traducti Nangasaquium usque perducuntur. Ibi crucibus affixi, in altum elati, ac duobus lanceae ictibus in utroque latere percussi sunt; quo in supplicio animam efflarunt die quinta Februarii anni MDXCVII.

De his omnibus a Delegatis Sedis Apostolicae processu canonice instructo, Paulus V sa. me. juxta vetustiorem disciplinam, quae tunc obtinebat, Causam tribus Rotae Auditoribus expendendam permisit; qui, testium depositionibus, Martyrii causa, sententia ipsa authentica Tyranni, nec non Miraculis subtiliter expensis, accuratissimam totius negocii pertexuerunt relationem, quam concludebant declarantes *Causam istam esse in tali statu ut juxta Sanctae Romanae Ecclesiae ritum, et Sacrorum Canonum dispositionem (si Sanctitati Vestrae placuerit) possit procedi ad istorum Famulorum Dei Canonizationem, et in numero Sanctorum adscriptionem in forma Ecclesiae consueta.*

Ejusmodi disquisitione faustum ad exitum perducta, de more postea delata Causa est ad Congregationem S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositam, quae matura adhibita deliberatione censuit « *Constare de Martyrio et Miraculis, ideoque ad actualem illorum Martyrum Canonizationem quandocumque deveniri posse.*

Quum vero Praeses Ordinis Minorum S. Francisci ab Urbano VIII sa. me. enixe postulasset ut Officium et Missa de illis Martyribus *donec ad solemnem eorum Canonizationem deveniretur* recitari et celebrari possent, Summus ille Pontifex *de Cardinalium consilio* facultatem impertitus est in Literis Apostolicis in forma Brevis expeditis XVIII kalendas Octobris Anni MDCXXVII ut *de eisdem Martyribus tam ab omnibus dicti Ordinis S. Francisci Religiosis ubique existentibus, quam etiam aliis Ecclesiasticis, et saecularibus personis Manilensis Dioecesis dumtaxat, ubi praecipui dictorum Martyrum pro Christi fide labores valde profecerunt, Officium et Missa de Communi plurimorum Martyrum die eorum natali, videlicet die quinta Februarii recitari, et celebrari respective libere et licite posset et valeret.*

Attamen praeclarissima haec causa substitit, neque ad Consistorium progressa unquam est in posterum decretoriam Pontificis sententiam subitura. Quapropter ejusmodi judicium mira successus prosperitate eatenus adductum, postrema eaque potissima destituebatur sui parte, quae necessaria prorsus erat ad hanc Canonizationis Causam legitime expediendam. Quidquid namque Rotae Auditores et Sacrum S. R. E. Cardinalium Consilium dijudicaverint, non aliam vim obtinebat nisi consulentis sententiae. Quare oportebat ut Pontificis expressa declaratio accederet, quae latam ab iis sententiam decretorio judicio confirmaret.

Hinc per tria fere saecula altum hac super re silentium servatum est. Verum Deus Omnipotens, cujus judicia incomprehensibilia sunt, et investigabiles viae, disposuit, ut luctuosis hisce temporibus quibus sceleris omnis maturitas vel in cultissimis Italiae nostrae regionibus adversus Christi fidem erupisse visa est, expediretur Causa Canonizationis propemodum absoluta horum Martyrum Japonensium. Novum sane ac spectatissimum exemplar fidelibus

proponitur, in quod sedulo intuentes imitari illud pro viribus studeant, sic ut nec fraudibus irretiti nec minis deterriti a Fidei suae integritate haud unquam vel paululum desciscant. Quare SSñius Dominus Noster Pius Papa IX Divinae Providentiae Consiliis ex animo obtemperans voluit ut juxta vetustiorem disciplinam judicium hoc absolveretur. Ideoque audita *Sententia pro veritate* R. P. Sanctae Fidei Promotoris, Consilium habuit Rñiorum Cardinalium Sacrae Rituum Congregationis in Palatio Apostolico Vaticano tertio nonas Septembris vertentis anni, in quo per Rñum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem, et Sanctae Rufinae, eidemque Sacrae Congregationi Praefectum, nec non Causae Relatorem, proposito Dubio « *An tuto procedi possit ad solemnem eorumdem Beatorum Canonizationem*? Omnes Patres Cardinales affirmativum protulere responsum. Attamen de unanimi hoc suffragio Apostolicum denunciare judicium distulit Beatissimus Pater, enixius interim postulaturus a Domino ut sibi in gravissimo decernendo negotio propitius adesset.

Tandem diem hunc designavit, quo solemnis recolitur Commemoratio Sacrorum Stigmatum Sancti Francisci, cujus regulam Beati isti Martyres sequuti fuerant, simulque Stigmata per Cruci affixionem, quam passi sunt, in suis corporibus portaverunt.

Itaque Sanctissimus Dominus Noster postquam sacra Mysteria in domestico suo Vaticano Sacello piissime celebrasset, ad Ecclesiam Sanctae Mariae in Aracoeli se contulit, ubi ad se accitis in proximo ejusdem Ecclesiae Sacrario Reverendissimo Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et Causae Relatore una cum R. P. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus pronunciavit « *Tuto procedi posse ad horum Beatorum Martyrum Japonensium Canonizationem* ».

Hujusmodi Decretum in vulgus edi, in Sacrorum Rituum Congregationis Acta referri, Litterasque Apostolicas sub plumbo de solemni Canonizationis ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrando expediri mandavit Quintodecimo kalendas Octobris anni MDCCCLXI.

C. EPISC. PORTUENSIS ET S. RUFINAE CARD. PATRIZI S.R.C. PRAEF.

L. ✠ S. DOMINICUS BARTOLINI S.R.C. SECRETARIUS.

DECRETUM

VALLISOLETANA CANONIZATIONIS BEATI MICHAELIS DE SANCTIS SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS EXCALCEATORUM SS. TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Super Dubio—*An stante approbatione duorum Miraculorum post indultam ab Apostolica Sede eidem Beato venerationem tuto procedi possit ad solemnem ipsius Canonizationem.*

Beatus Michael De Sanctis unus fuit ex his veris virginitatis amatoribus, qui cum Elia, Eliseo, ac Joanne, uti adfirmabat Chrysostomus, nil differebant ab angelis, nisi quia mortali natura constabant. Nam adhuc infans adeo virginitati fuit addictus, ut emisso Deo de illa servanda voto pene exanimis fieret si illi per iocum nuptiae a patre proponerentur. Verum probe noscens se tantae virtutis lilium custodire haud posse, nisi illud poenitentiae vepribus quodammodo cingeret, ita in seipsum acerrime saeviit, ut Sancti Francisci exemplo aliquando corpusculum in spinarum acervum volutare non dubitaverit. Hinc mundo, quem numquam agnoverat, nuncium misit, et Ordini Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum strictioris observantiae nomen dedit; ubi Sacerdotio initiatus difficile dictu est quanto divinae caritatis aestu cor eius arderet dum praesertim salutarem offerebat hostiam. Tandem amoris vi potius quam morbo decumbens trigesimo tertio aetatis

suae anno mortem laetissime aspiciens in coelum evolavit. Hunc servum fidelem veluti innocentiae et poenitentiae exemplar Omnipotens Deus fidelibus designans pluribus fecit clarescere signis: quibus rite probatis Apostolicae Sedis iudicio, ipse Beatorum numero sexto nonas Maii Anno MDCCXXIX solemniter adscribi meruit. Postquam Altarium honores Beato Michaeli decreti fuere, novis ipse coruscare coepit prodigiis, quibus cunctis satis apparebat hunc maiori honore dignum censendum, quem Rex regum sic honorare voluerat. Quapropter duo Miracula Sacrae Rituum Congregationi examinanda proposita sunt, quae ejus ope post indultam venerationem patrata ferebantur. Quibus accuratissime de more perpensis praesertim in Comitiis habitis octavo kalendas Junii Anni MDCCCXLI coram sa. me. Gregorio XVI in Palatio Apostolico Vaticano, idem Summus Pontifex undecimo kalendas Septembris ejusdem Anni decrevit « *Constare de duobus Miraculis tertii generis intercessore Beato Michaele a Deo patratis*, scilicet de primo *Repentinae perfectaeque sanationis Franciscae Navarette-y-Sanz ab inveterato tumore canceroso exulcerato in inferiori linguae parte*; et de altero *Instantaneae perfectaeque sanationis Fratris Joannis Baptistae Sanctissimae Trinitatis a phthisi pulmonari viribus illico integre restitutis.*

Rebus sic extantibus illud tantum supererat, ut penes Sacrorum Rituum Congregationem agitaretur dubium « *An stante approbatione duorum Miraculorum post indultam venerationem tuto procedi possit ad solemnem Beati Michaelis De Sanctis Canonizationem?* » Quamobrem per Revm̃um Cardinalem Ludovicum Altieri Episcopum Albanensem, Causae Relatorem, hoc proposito Dubio in generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro in Palatio Apostolico Vaticano habitis Tertio Nonas Septembris vertentis anni, omnes uno ore *Tuto procedi posse* responderunt.

Attamen tam grave judicium suprema claudere sententia sua distulit Sanctissimus Dominus Noster, ut interim effusis precibus in tanta re definienda maiora sibi a Patre Luminum auxilia compararet. Hac itaque die Stigmatibus Sancti Francisci Sacra divinis Mysteriis in domestico Vaticano sacello expletis, Ecclesiam adiit Sanctae Mariae in Aracoeli, ubi in proximo Sacrario ad se accersivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi, Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, nec non Reverendissimum Cardinalem Ludovicum Altieri Episcopum Albanensem, Causae Relatorem, una cum R. P. Andrea Maria Frattini S. Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter decrevit « *Tuto procedi posse ad Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis.* » Atque hoc Decretum publici juris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, necnon Apostolicas Literas sub plumbo de Canonizatione in Patriarchali Basilica Vaticana pro tempore celebranda expediri iussit Quintodecimo Kalendas Octobris Anni MDCCCLXI.

C. EPISC. PORTUENSIS ET S. RUFINAE CARD. PATRIZI S. R. C. PRAEF.

L. ✠ S. DOMINICUS BARTOLINI S. R. C. SECRETARIUS.

Post Decretorum lectionem tum Minister Generalis Ordinis Minorum, tum Minister Generalis Ordinis Sanctissimae Trinitatis gratias Summo Pontifici egerunt, quibus ipse breviter, suaviterque respondit; et hinc ad pontificale Vaticanum Patriarchium se recepit.

Deinceps duo Causarum Postulatores supplici porrecto libello Beatissimum Patrem rogarunt ut nonnullos Eminentissimos et Reverendissimos Patres Cardinales, et alterum Romanae Curiae Praesulem juxta receptum morem deligeret, quibus universa expensarum provincia demandaretur, ac proinde Congregatio Oeconomica dici solet. Delecti sunt a Summo Pontifice, me referente, Eminentissimi et Reverendissimi Cardinales Constantinus Patrizi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus et Relator Causae Martyrum Japonensium uti Praeses, Ludovicus Altieri Relator Causae Beati Michaelis De

Sanctis, et Nicolaus Clarelli-Paracciani, cui etiam singulare Procuratoris Canonizationis creditum est munus: delectus quoque fuit Reverendissimus Dominus Pater Salvator Nobili-Vitelleschi Archiepiscopus Seleuciensis ut hujus Congregationis Secretarii et Praefecti Postulatorum officia obiret. Quos omnes Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Jacobus Antonelli a Secretis Status literis ad eosdem datis de muneris assignatione monuit.

Dalla Segreteria dei Sagri Riti
6 Decembre 1861.

Il sottoscritto Segretario della Sacra Congregazione de' Riti si reca a dovere di compiegare a Vostra Eminenza Rῆa un foglio dal quale l'Eminenza Vostra conoscerà quali sono i soggetti da Sua Santità designati per comporre la Congregazione Economica della prossima Canonizzazione.

Profitta lo scrivente di tale circostanza per inchinarsi al bacio della Sacra Porpora e protestarsi

Dell'Eminenza Vostra

Eῆo e Rῆo Sig. Cardinale
GIACOMO ANTONELLI SEGRETARIO DI STATO
(con foglio)

Uῆo Dῆo ed Obblῆo Servitore
DOMENICO BARTOLINI

I Componenti la Commissione Economica
per la prossima Canonizzazione designati da Sua Santità
sono i seguenti

L'Eῆo e Rῆo Sig. Cardinale Costantino Patrizi Prefetto della Sacra Congregazione dei Riti, e Relatore della Causa dei Beati Ventitrè Martiri Giapponesi.

L'Eῆo e Rῆo Sig. Cardinale Lodovico Altieri Relatore della Causa del Beato Michele de Sanctis.

L' Eñ̃o e R̃mo Sig. Cardinale Niccola Clarelli-Paracciani come Procuratore della Canonizzazione.

L' Illm̃o e R̃mo Monsignore Salvatore Nobili-Vitelleschi Arcivescovo di Seleucia come Presidente dei Postulatori e Segretario della suddetta Commissione.

Mense Decembri ineunte Sanctissimo Domino Nostro Congregatio haec Oeconomica retulit omnia quae ad sumptuarias rationes spectabant in promptu esse ut Canonizationis Solemnia insequenti anno celebrari rite possent. Verum priusquam dies hujusmodi Solemnitatis praefiniretur ordiendum erat a Consistorio Secreto in quo ab Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali Congregationi Sacris Ritibus tuendis Praefecto Canonizandorum Causae proponi brevi relatione deberent. Ideoque Sanctissimus Dominus Consistorium indixit XI kalendas Januarii scheda per Apostolicos Cursores missa una cum Monito R. P. D. Aloisii Ferrari Apostolicarum Caeremoniarum Praefecti.

Em̃e et R̃me Domine

In proximo secreto consistorio per cursores de more indicendo, post allocutionem SSm̃i Domini Nostri PII PAPAE IX. Em̃us, et R̃mus Cardinalis Patrizi Congregationis sacrorum rituum Praefectus dilucida et compendiosa narratione primum referet martyrium, causam martyrii, ac signa viginti trium Beatorum ex Ordine Minorum S. Francisci, qui in Japonia die 5 Februarii anni 1596 pro Christo passi sunt: deinde vitam, virtutes, et miracula B. Michaelis de Sanctis Sacerdotis professi Ordinis reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum; nec non acta universa in causa beatificationis, et canonizationis eorumdem Beatorum.

Qualibet relatione expleta Sanctissimus Dominus Noster Em̃orum, et R̃morum Cardinalium suffragia exquiret « An scilicet deveniendum sit ad solemnem praefatorum Beatorum Canonizationem » et singuli Cardinales, ordine

servato, per verbum PLACET vel NON PLACET sententias aperient, uti ad Dei gloriam, et catholicae Ecclesiae praesidium, ac decus magis eis expedire videbitur.

De Mandato SSmi D. N. PAPÆ

ALOISIUS FERRARI PROTON. APOST. CAEREM. PRAEFECTUS.

Cum congregati essent omnes Eminentissimi et Reverendissimi Patres Cardinales in Aula Consistoriali apud Palatium Vaticanum, Sanctissimus prodiit stola rubri coloris supra mozzettam ornatus, et sedens in Solio ita purpuratos Patres est alloquutus.

VENERABILES FRATRES

Inter plurima ac splendidissima sane argumenta, quae divinam omnino esse sanctissimam nostram Religionem luculenter ostendunt, merito recensetur ut Vobis compertum exploratumque est, Venerabiles Fratres, eximia illa ac plane admirabilis vitae sanctitas et fortitudo, qua innumerabiles catholicae Ecclesiae filii cujusque nationis, ordinis, aetatis, sexus, et conditionis mirifice fulgentes, Christi Domini praecepta, consilia, vestigia sequuti, et spectaculum facti mundo Angelis et hominibus omnium egregiarum virtutum copia et miraculorum fama maxime emicuerunt, atque ubi opus fuit, pro catholica fide strenue dimicantes, et crudelissimos quosque cruciatus constanter perpessi triumphali sanguine effuso, martyrii palmam adepti sunt. Atque in clarissimis, innumerisque nostrae Religionis heroibus, qui illustribus suis triumphis virtutibus et prodigiis sanctam exorna-

runt, ac decorarunt Ecclesiam, numerantur quoque tum viginti tres ex iis, qui Ordini Sancti Francisci adscripti in Japonia primi pro Christo omnis generis ludibria, tormenta impavide subeuntes praeclarum fecere martyrium, tum Michael de Sanctis Ordinis Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis captivis redimendis, quos omnes jam inter Beatos Coelites veneramur. Cum autem turbulentissimis hisce et asperrimis temporibus incredibili animi Nostri dolore haec Apostolica Sedes tot divexetur injuriis, Ecclesia tot laceretur vulneribus in Italia praesertim, et variis Americae aliisque regionibus, ubi ipsius Ecclesiae libertas, jura, ac doctrina miserandum in modum violantur, oppugnantur, ac civilis societas tot affligatur malis, iccirco summopere optamus novos apud Deum habere Patronos, qui in tanto rerum discrimine validissimis suis precibus impetrent, ut, tam horribili discussa malorum procella, optatissimam catholica Ecclesia, et civilis societas assequatur pacem, omnes praevaricantes meliorem induant mentem redeant ad cor, ac resipiscant, et ubique terrarum virtus, religio, pietas ac justitia vigeat, ac dominetur. Quamobrem causas Canonizationis Beatorum viginti trium in Japonia Martyrum, et Michaelis de Sanctis promovendas decrevimus ut, insignibus illorum meritis universae Ecclesiae venerationi propositis, omnes fideles

populi ad illorum virtutes imitandas, praesidiumque implorandum excitentur et inflammentur. Itaque ex more institutoque Predecessorum Nostrorum hodierno die in hoc amplissimo vestro conventu de eorumdem Beatorum vita rebusque praeclare gestis, ac prodigiis ad Nos referri, et a Vobis audiri expetimus.

His a Sanctissimo Domino prolatis Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus assurgens nudato capite in obsequium Pontificis, mox sedens ac birretto tectus purpureo perbrevem hanc de Martyribus Japonensibus narrationem exposuit.

BEATISSIME PATER

Deus, cujus incomprehensibilia judicia, et investigabiles viae sunt, disposuit ut nostris hisce temporibus gradum ad Canonizationem facerent duae aeque splendidae ac pervetustae Beatorum Causae, altera nimirum viginti trium Martyrum Japonensium ex Ordine Minorum Sancti Francisci, altera Beati Michaelis de Sanctis Sacerdotis professi ex Ordine Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum. Et quoniam ex more institutoque majorum dum de Beatorum Canonizatione agitur, Cardinalis Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus in hoc Sacro Senatu coram supremo Ecclesiae universae Pastore et Duce, Causas Beatorum, quorum judicium in Sacra Rituum Congregatione absolutum jam fuit, referre debet; id mihi contigit jucundissimum, nam qui pluries de tribuendis Beatorum honoribus fidelibus et prudentibus Dei Servis inter ceteros Suffragatores, judex assedi, nunc pro obtinenda ex ore Petri, qui loquitur in Successore suo, ad majorem Dei gloriam, et militantis Ecclesiae decus ac praesidium cu-

mulatissima Beatorum glorificatione veluti deprecator assurgo.

Ac primo: de tribus et viginti fortissimis Athletis, quorum sex Sacerdotes quindecim Tertiarii ex Ordine Seraphico ac duo iisdem ministrantes in vinculis ad coronam adaucti in Japoniae Imperio crudeliter interemptis haec perhibent Inquisitoriae Tabulae ad sanctuarii lanciam illico constructae. Beatus Petrus Baptista Sacerdos ex dicto Ordine nomine Regis Catholici Legatus missus ad Taicosamam Japoniae Imperatorem, suo munere ita functus est ut Tyranni non demeruerit gratiam. Hac nactus opportunitate Beatus Petrus Baptista et memor sanctae memoriae Sixtum Papam Quintum indulsisse, ut Alumni Ordinis Seraphici Evangelici ministerii munia singula absque ulteriori venia sanctae Sedis, vel alterius potestatis libere ac licite exercerent in totis Indiis, intra quas juxta tunc vigentem Nationum circumscriptionem Japonia accensebatur, ad Christianae Religionis incrementum aliquot Socios ex suo ordine in partem liboris assumpsit et confestim in Urbe Meaci Coenobium aedificatum fuit cum adnexa Ecclesia Angelorum Reginae sacra. Interim per alia illius Imperii loca Christiano ritu aliis Ecclesiis, Coenobiis et Xenodochiis excitatis industrii et inconfusibiles Evangelii Operarii, quorum corda Christi caritas urgebat non pro animarum tantum medela, et lucro adlaborabant, verum etiam aegrotis mederi et quacumque pressis aerumna opitulari in deliciis habebant.

Qua de re vehementer indignati inanium Deorum Sacerdotes, Tyranno persuaserunt Imperium suum diu incolume non futurum in dies undique succrescente Christiana religione ad quam plurimi ex suis subditis prompto et alacri animo convertebantur. Vano hoc timore perculsus Imperator eos omnes comprehendi imperat, atque extrema sinistrae auris parte in Meaci foro publice mutilati revinctis post tergum manibus vilibus in plaustris per vicos primum hujus, tum

aliarum Japoniae Urbium, sexcentorum milliarum itinere terrestri, quo ignominia et terror largius spargeretur summo hyeme circumducuntur praeeunte lictore et sententiam crucis in eos scriptam praeferente, quod vetitam a Tyranno Christi Legem praedicassent. Sed quum illi aerumnas inter et ludibria exemplo confirmantes quod verbis adstruebant, tandem Nangasachium pervenissent paratis in colle crucibus, quas ante venerabundi salutaverunt, immaniter affiguntur, sibi gratulantes quod in Cruce, ut Christus Dominus morerentur. Inde ab imis lateribus ad humeros, binis lanceis omnes transfixi, victrices animas Coelo inferendas emiserunt. Pretiosam eorum mortem plurimis signis Deus clarificare dignatus est, quibus permoti Fideles pronihilo habentes Tyranni indignationem et minas, eos publice venerari coeperunt, de eorum validissimo apud Deum patrocinio sibi conciliando solliciti.

Hinc Remissoriales et Compulsoriales Processus super eorum Martyrio et Causa Martyrii, nec non super signis, seu Miraculis religiosissime constructos mandante Summo Pontifice Paulo Quinto juxta veterem disciplinam tres delecti Sacrae Rotae Auditores accuratissime examinarunt, ac ingenue retulerunt « *Causam istam esse in tali statu ut juxta Sanctae Romanae Ecclesiae Ritum et Sacrorum Canonum dispositionem* (si Sanctitati Vestrae placuerit) *procedi possit ad istorum Famulorum Dei Canonizationem et in numero Sanctorum adscriptionem in forma Ecclesiae consueta.* » Nec ab ista absimilem sententiam protulit Sacrorum Rituum Congregatio quae sub Urbano Octavo matura adhibita deliberatione, non solum rescripsit « *Constare de Martyrio et Miraculis, ideoque ad actualem illorum Martyrum Canonizationem quandocumque deveniri posse*; verum etiam indulsit, ut anniversaria horum Beatorum memoria recoleretur cum Officio et Missa de Communi in Ordine de Observantia et in Dioe-

cesi Meniliensi *donec ad eorum solemnem Canonizationem deveniatur:* quod pariter asseruit, confirmavitque idem Romanus Pontifex Urbanus Octavus desuper datis litteris Apostolicis in forma Brevis decimo octavo Kalendas Octobris Anni Millesimi sexcentesimi vigesimi septimi.

Desiderandum tantum supererat in hac splendidissima Causa, quae ab eo tempore, sic Deo disponente, huc usque siluit, ut juxta veterem praxim Rm̃i Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi interrogarentur « *An tuto procedi possit ad solemnem eorumdem Beatorum Canonizationem?* quod tu Beatissime Pater qua polles sapientiae ac judicii maturitate praestitisti tertio nonas Septembris vertentis Anni, ac postea quintodecimo kalendas Octobris post fervidas ad Deum fusas preces unisonam Suffragatorum sententiam manifestans, suprema Auctoritate Tua solemniter decrevisti—Tuto procedi posse ad horum Beatorum Canonizationem—Hujus porro sententiae iteratam manifestationem in hoc amplissimo Coetu juxta receptum morem humillime instanterque exposco.

Ea absoluta Beatissimus Pater Reverendissimorum Cardinalium sententias de Canonizatione Beatorum Martyrum Japonensium quaesivit his verbis.

Accepistis, Venerabiles Fratres, quam admirabilis fuerit Deus in his servis suis, qui eximiis refulgentes virtutibus ac divinae caritatis igne inflammati acerbissima ludibria ac tormenta animo excelso et invicto despicientes in crucem acti, lanceisque confossi in odium catholicae fidei interfecti fuerunt, ac pretiosam martyrii coronam sunt consequuti. Accesserunt etiam prodigia accuratissimo examine perpensa, cunctisque suffragiis

probata. Placet ne igitur Vobis ut ad solemnem eorumdem Beatorum Martyrum Canonizationem juxta consuetum Apostolicae Sedis morem procedamus?

Unus post alium juxta ordinem assurgentes Reverendissimi Patres Cardinales capite detecto responderunt PLACET.

Tunc idem Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi de vita, virtutibus, miraculis, et actis in causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis brevem narrationem hanc loquutus est.

BEATISSIME PATER

Quo tempore in dissitis Japoniae regionibus se ipsos in holocaustum Deo offerebant viginti tres fortissimi Athletae ex Ordine Seraphico, Vici in Hispania citeriore acceptabile Deo ipsi sacrificium obtulit Beatus Michael de Sanctis, qui natus anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo vix quinquennis, ac proinde anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, quo gloriosissimi hi Martyres ad coelum evolarunt, ipse votum Deo vovit perpetuae virginitatis. Gesta modo expositurus beati hujus Viri, ut ingenue dicam quod sentio: in simplici et innocenti ejus vita nil prorsus invenio quod non sit maxime commendabile. A Deo praeventus in benedictionibus dulcedinis, in tenera aetate, nil puerile gessit, mundique fallacias prius contempsit quam cognovit. Ut Deo unice adhaereret primo suae vitae lustro, uti praenotavi, perpetuae virginitatis voto se obstrinxit tanta consilii maturitate, talique angelicae puritatis servandae desiderio, ut Patre de re conscio per jocum ei nuptias proponente, summo percelleretur angore, in lacrymis erumperet, et ante aram Deiparae votum ipsum pluries innovaret.

E Monsenii spelunca, qua se receperat sexennis abs-

conditam cum Christo vitam acturus, et dilectum in solitudine ad cor loquentem auditurus, a Patre revocatus, studuit praestare domi quod ei in solitudine non licuit: praedispositasque in corde suo de virtute in virtutem ascensiones religiosissime servavit. Domesticorum vigilantiam eludens triduo in hebdomada arctissimum servabat jejunium, somnum brevissimum super sermentorum fascibus carpebat, flagellis cujusvis generis in se ipsum saeviebat in tenerrima illa aetate, atque Sancti Francisci Assisiensis exemplo inter spinarum acervos corpusculum suum volutare et cruentare non dubitabat. Interim sentiens semper de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerens illum scuto fidei non intermisse armatus ignita tela hostis nequissimi extinxit. Fiduciam habens in Domino viriliter semper egit, et confortatus est ut Deum toto corde diligeret, ambularet in omnibus viis ejus, observaret mandata illius, pro certo retinens quod diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum. Caritas porro Dei per Spiritum Sanctum in corde Beati Michaelis diffusa, ita eum attraxit, ut merito gloriari posset « *Dilectus meus mihi et ego illi.* » Et quoniam qui fortiter omnia, suaviterque disponit, Deus in corde illius caritatem ordinaverat, beatus adolescens proximos indistincte diligebat de corde puro, conscientia bona, fide non ficta; imo desiderio flagrans omnibus opitulandi in proximorum salutem fructus spiritus derivabat prudentia, justitia, fortitudine, temperantia, obedientia, humilitate ceterisque virtutibus, quas in gradu heroico ipsum exercuisse declaratum est.

Duodecimum jam attigerat annum dum a Deo invitatus ad perfectiorem vitam in Religione capessendam, alacriter adeo paruit Divinae voluntati ut extemplo relicta domo, et cognatione sua, solus et pedes Barcinonam contenderit inter Calceatos Sanctissimae Trinitatis Religionis habitum susceperit, et quamprimum per aetatem licuit so-

lemnia vota nuncupaverit. Sed arctioris adhuc vitae desiderio incensus ad Discalceatorum ejusdem Ordinis Familiam commigravit, ubi inter gravissimas studiorum exercitationes et labores non solum nil intermisit de jamdiu assumptis poenitentis vitae austeritatibus, sed supra quod dici possit illius rigores ingeminavit et auxit. Sacerdotio initiatus eo animi sensu ad Altare rem divinam facturus accedebat ac religione tanta Sacris operabatur, ut ad pietatem adstantes magnopere inflammaret et dum Calicem salutarem attollebat, e sensibus plene alienatus appareret. De proximorum salute magis adhuc sollicitus, qua privatis consiliis, qua publicis concionibus, et assidua Sacramenti Poenitentiae administratione omnibus juvare studebat, et sicuti non populi tantum, sed viri principes ejus sanctitatem admirabantur, ipse summa animi demissione se daemonibus deteriorem conclamabat. Quum Deum toto corde diligeret, cum summis precibus exorabat, ut sibi cor novum tribueret, in quo purior arderet flamma caritatis, et ex eo tempore ineffabilibus coepit affluere deliciis et novis divini amoris aestibus effervescere.

Etsi vero Beatus Michael trigesimum tertium dumtaxat computaret annum, attamen expleverat tempora multa ac dulciter invitatus a Domino ad sibi debitam mercedem, et gloriae coronam, mortalem hanc vitam cum beata requie commutavit Vallisoleti loco et tempore a se praedictis, die nimirum decima Aprilis anni millesimi sexcentesimi vigesimi quinti. Tantam porro post mortem reliquit sanctitatis opinionem, ut juridicis probationibus illico collectis, et ad trutinam revocatis, juxta tunc vigentem praxim sa. me. Urbanus Papa VIII. anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo octavo Idus Februarii signaverit Commissionem Introductionis hujus Causae in Sacrorum Rituum Congregatione, eademque die indultae fuerint Remissoriales in forma ad construendos Processus Auctoritate Apostolica. In-

terim in lucem prodiere generalia ejusdem Pontificis Decreta, in quibus inter cetera sapientissime praescribitur ut de introducendis Causis Servorum Dei non prius agatur quam quinquaginta defluxerint anni ab eorum morte. Hinc substitit haec Causa quae tamen juxta novam praxim reassumpta fuit anno millesimo sexcentesimo octogesimo, quo quinto idus Augusti Venerabilis Innocentius XI. illius reassumptionis Commissionem signavit. Super heroicitate Virtutum Beati Michaelis, post tertium examen rite pronunciavit sa. me. Benedictus XIV anno millesimo septingentesimo quadragesimo secundo quarto Idus Aprilis, die nimirum, qua Beatus Michael ad Coelum evolavit.

Actum deinde est de Miraculis a Deo Optimo Maximo patratis intercedente Beato Michaele ac de eis post consuetas tres Congregationes constare asseruit Summus Pontifex Pius Sextus Anno millesimo septingentesimo octuagesimo octavo tertio kalendas Octobris, ac eodem anno sexto Idus Decembris idem Pontifex solemni emisso Decreto, pronunciavit *Tuto procedi posse ad solemnem Beatificationem*; quae peracta fuit in Patriarchali Basilica Vaticana subsequenti anno millesimo septingentesimo octuagesimo nono Nono kalendas Junii recurrente Feria secunda Pentecostes.

Post quam Altarium honores Beato Michaeli fuerunt constituti, nova Miracula ejus nomine saepius invocato, enunciatum est a Deo patrata fuisse, quibus Omnipotens omnium Arbiter palam ostendit eumdem sublimius evectum per orbem terrarum esse honorandum, ex quibus duo proposita fuerunt de more in triplici Sacrorum Rituum Congregatione, ac super eis favorabile edidit Decretum sa. me. Gregorius Papa XVI. undecimo kalendas Octobris anni millesimi octingentesimi quadragesimi.

Te tandem audivimus, Beatissime Pater, quintodecimo kalendas Octobris vertentis anni extollentem merita Beati Michaelis, ac solemniter decernentem *Tuto procedi posse*

ad solemnem ipsius Canonizationem, quod juxta receptum morem ut in tam spectabili Coetu confirmes oro obtestorque.

Hac etiam narratione absoluta, Sanctitas Sua de Canonizatione hujus Beati Viri Fratrum sententias postulavit

Venerabiles Fratres, ex iis, quae audistis, clare aperteque perspectum est, quam praeclare Beatus Michael De Sanctis, omnibus spretis mundi illecebris, absconditam cum Christo vitam egerit, et qua singulari innocentia, humilitate, poenitentia obedientia claruerit, et flagrantissima caritate exarserit, quibusque mirabilibus signis Omnipotens Deus ejus sanctitatem comprobare voluerit. Videturne itaque Vobis, ut ad illius quoque Canonizationem solemni ritu deveniamus?

Et Reverendissimi Cardinales concordibus suffragiis responderunt PLACET.

Postea Sanctitas Sua sic prosequuta est:

Summae quidem voluptati Nobis fuerunt, Venerabiles Fratres, Vestrae sententiae, quas de hac re rogavimus. Cum vero de tanti momenti negotio alia consuetis solemnitatibus habenda sint Consistoria, iccirco illorum diem Vobis significandum curabimus.

Consistorialibus Comitiis absolutis Pater Beatissimus mihi jussit ut suam Reverendissimo Patri Sacrae Congregationis Concilii a Secretis panderem mentem de invitandis per literas Episcopis ad hanc celebrandam solemnitatem. Hac in re illud memoriae revocandum literas mitti consuevisse ad Episcopos intra centesimum ab urbe lapidem, ut ni justa impedirentur causa Urbem peterent,

et Canonizationis solemniis adessent : aliis etiam literis Italiae Episcopi invitabantur. Et quoniam Episcopi qui ob Canonizationem ad Urbem convenissent a visitandis Apostolicis Liminibus eximebantur, ideo eos invitandi munus propter Tridentinas Sanctiones Sacrae Concilii Congregationi servatum erat. Verum cum ob maximas rerum calamitates plurimi ditionis Pontificiae, immo potius fere omnes Italiae Episcopi a Subalpino praedatore Gubernio captivi quodammodo detinerentur, opportunum Patri Sanctissimo visum est ut universi vocarentur Orbis Catholici Episcopi. Pontificiae illico parens jussioni hanc ad Reverendissimum Patrem Dominum Petrum Giannelli Archiepiscopum Sardicensem illius Sacrae Congregationis Pro-Secretarium epistolam misi.

Dalla Segreteria de' Sacri Riti
10 *Gennajo* 1862.

In pronto adempimento dei comandi nell'udienza di jeri sera ricevuti dal Santo Padre, il sottoscritto Segretario della Sacra Congregazione dei Riti si reca a dovere partecipare a V. S. Illma e Revma come Pro-Segretario della Sacra Congregazione del Concilio essere volontà di Sua Beatitudine che con lettera circolare dell'istessa Sacra Congregazione del Concilio si annunzi ai Vescovi, secondo le intenzioni di Sua Santità a V. S. manifestate, che nella Solennità di Pentecoste dell'anno corrente avrà luogo la solenne Canonizzazione dei ventitrè Beati Martiri Giapponesi dell'Ordine de'Minori Osservanti, e del Beato Michele de Sanctis Confessore dell'Ordine della Santissima Trinità della Redenzione degli Schiavi. E siccome all'atto solenne della Canonizzazione debbono premettersi i Concistori, ne'quali anco i Vescovi devono dare il loro voto, quindi è indispensabile avvertirli essere necessario che almeno un mese prima si trovino in Roma.

E siccome Sua Santità desidera che i Vescovi istessi assistano a tale augusta Cerimonia non lascierà notare nell'enunciata Circolare, che il loro accesso in Roma per tale

occasione li esimerà dalla visita *ad Limina* quando dovrebbe aver luogo.

Profitta lo scrivente di tale incontro per protestarsi con sentimenti di ossequiosa distinta stima

Di V. S. Illm̃a e Revm̃a

Dm̃o ed Oblm̃o Servitore
DOMENICO BARTOLINI

Illm̃o e Rm̃o Monsignore
PIETRO GIANNELLI Pro-Segretario
della S. Congreg. del Concilio

Mense Januario exeunte anni 1862 ab Eminentissimo et Reverendissimo Cardinali Prospero Caterini Sacrae Concilii Congregationi Praefecto ad omnes Episcopos hae datae sunt literae.

Dalla Segreteria della S. C. del Concilio
li 27 *Gennajo* 1862.

Nell'annessa Copia di Circolare a stampa ravviserà la S. V. Illm̃a e Revm̃a fedelmente eseguiti i venerati comandi del Santo Padre, da Lei comunicati al sottoscritto Pro-Segretario della Sacra Congregazione del Concilio con riverito biglietto del 10 corrente.

Lo scrivente è ben lieto potersi ripetere anche in questa circostanza colla più distinta rispettosa stima

Della S. V. Illm̃a e Rm̃a

Devm̃o Obbm̃o Servitore
PIETRO ARCIV. DI SARDIA PRO-SEG.

Monsignor Bartolini Segretario
della S. C. dei Riti

Rm̃e Domine

Nihil gratius mihi accidere poterat, quam ut ex mandato SSm̃i Domini Nostri Amplitudini Tuae significarem, Sanctitatem Suam proximo mense Majo constituisse duo

semi-publica habere Consistoria, iisque peractis, ipso solemni Pentecostes festo in Sanctorum album referre viginti tres Beatos Martyres Japonenses ex Franciscali Ordine Minorum Observantium, nempe B. Petrum Baptistam et Socios ejus, atque etiam Beatum Michaelem de Sanctis Confessorem ex Ordine SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum. Porro Sanctitas Sua vestigiis Decessorum Suorum inhaerens, Italiae Episcopos Romam pro sua auctoritate arcessere exoptasset, ut in re tanti momenti gravissimam suam sententiam aperirent, suaque praesentia tantae solemnitati decus augerent. At vero animo reputans acerbissimas, quibus Italia ex maxima parte premitur, temporum calamitates, quae non omnes Pastores a suo grege abesse patiuntur, a consueto instituto censuit hac vice esse deflectendum. Quamobrem Summus Pontifex mihi injungere dignatus est, ut non solis Italiae, sed et totius Catholici Orbis Episcopis has darem literas, quibus jucundissimum hujusmodi afferam nuncium, simulque declarem, rem gratissimam Eidem Sanctitati Suae facturos illos sive ex Italia, sive ex aliis Orbis partibus Antistites, qui sine gravi ovium damno et sine ullo alio peculiari impedimento romanum iter tempestive aggredi existimaverint, ut Consistoriis, tantaeque celebritati interesse queant. Ceterum hujusmodi ad Urbem profectio, quando eam inire licuerit, perinde ex SSmi Domini Nostri mente valebit, ac si ad implendum Sacrorum Liminum visitationis onus inita fuisset.

Haec habe de mandato Sanctitatis Suae. Ego vero impensos observantiae meae sensus testatos velim Ampl. Tuae cui fausta omnia precor a Domino.

Ampl. Tuae

Romae ex S. Cong. Concilii die 18 Januarii 1862.

Uti Frater

Rmo Episcopo

Vix haec literarum expeditio seditionum fautoribus innotuit statim pravae eorum ephemerides, quarum multae Hebraeorum sumptibus et consilio pervulgantur, conviciis mendaciisque Summum coeperunt incusare Pontificem ac si aliquid adversus Italicam unitatem, libertatemque moliretur, simulque Europae instigarunt Principes ne Episcopis romanum permitterent iter. Ephemeridum fallaciis synagoga accessit malignantium vulgo (Parlamento) quae Augustae Taurinorum sedem habet; in ea plures prodiere Oratores qui amaritudinem et dolum in ore habentes, suasque despumantes confusiones adversus Catholicam Ecclesiam, et Apostolicam Sedem altius extulere vocem. At defraudati sunt in desideriis suis; nam ut vox Petri per Pium loquentis ad Episcoporum aures pervenit, sine mora Petrum videre, eumque alloqui festinarunt.

Alia insuper Congregatio a Sanctissimo Domino instituta est Eminentissimorum et Reverendissimorum Cardinalium Constantini Patrizi, Ludovici Altieri, Nicolai Clarelli-Paracciani, Alexandri Barnabò, Roberti Roberti, nec non Romanae Curiae Praesulum R. P. D. Aloisii Colombo Protonotarii Apostolici Sacrorum Rituum Congregationis, R. P. D. Andreae Mariae Frattini Sanctae Fidei Promotoris, R. P. D. Aloisii Ferrari Coeremoniarum Apostolicarum Praefecti, R. D. Petri Minetti Sacrorum Rituum Congregationis Adsessoris et Subpromotoris Fidei, ac mei Dominici Bartolini ejusdem Congregationis a Secretis; quibus facultas facta fuit controversias, si quae in re peragenda orirentur, dirimendi. Hac super re ab Eminentissimo Cardinali a Secretis Status datae sunt literae Eminentissimo Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, qui simul ceteros Cardinales et Praesules designatos de officio eis credito monuit.

Dalle Stanze del Vaticano
14 Gennajo 1862.

Sua Santità essendo nel disegno di procedere secondo l'annunzio datone al S. Collegio nell'ultimo Concistoro, alla solenne Canonizzazione dei ventitrè Beati dell'Ordine Francescano, e del Beato Michele De Sanctis dell'Ordine de' Trinitari Scalzi della Redenzione degli Schiavi, ha ravvisato espediente d'istituire, giusta il metodo tenuto in simili circostanze da' suoi gloriosi Predecessori, una particolare Congregazione Cardinalizia coadiuvata da alcuni Pre-

lati la quale si occupi di discutere e risolvere i dubbi e le controversie che in punto di precedenza e in altri rapporti sieno per suscitarsi nella circostanza della religiosa solennità.

Emi Sigg. Cardinali Patrizi, Altieri, Clarelli, Barnabò, Roberti.

I Porporati scelti dalla Santità Sua a comporre siffatta Congregazione sono quelli notati quì in margine i quali nelle occorrenze si riuniranno presso l'invito di V. Eminenza nella sua qualità di Prefetto della Sacra Congregazione de' Riti. Sono poi ben noti all'E. V. i Prelati destinati a far parte del detto Consesso.

Il sottoscritto Cardinale Segretario di Stato si rende sollecito di porgere questa partecipazione all' Eminenza Vostra, affinchè possa da Lei darsi l'analogo avviso ai ragguardevoli Colleghi di sopra indicati; ed in pari tempo si vale della opportunità per confermarle i sensi del suo profondo ossequio con cui Le bacia umilissimamente le mani

Umilissimo Devotissimo Servitor vero
G. CARD. ANTONELLI

Signor CARDINALE PATRIZI *Prefetto della S. Congregazione de' Riti.*

Dalla Segreteria de' Sacri Riti
16 Febbrajo 1862.

La Santità di Nostro Signore avendo già annunziato al Sacro Collegio nel concistoro dei 23 prossimo passato Decembre di voler venire all'atto della solenne Canonizzazione dei ventitrè Beati dell'Ordine Francescano martirizzati nel Giappone, e del Beato Michele De Sanctis dell'Ordine de'Trinitarj Scalzi della Redenzione degli Schiavi seguendo le regole stabilite in simili circostanze da'suoi gloriosi Predecessori si è degnata destinare una Congrega-

Emi Sigg. Cardinali Patrizi Prefetto, Altieri, Paracciani-Clarelli, Barnabò, Roberti.

Prelati
Colombo Protonotario Apostolico, Frattini Promotor della Fede, Ferrari Prefetto delle Cer. Apost., Minetti Assessore, ed il Segretario scrivente.

zione Particolare de'Sacri Riti come in margine munita delle facoltà necessarie, ed opportune ad effetto di risolvere sommariamente e senza strepito di giudizio tutte le controversie, questioni, e dubbî, che sono per suscitarsi relativamente all'istessa Canonizzazione. Il sottoscritto Segretario della Sacra Congregazione de'Riti ha l'onore partecipare a V. S. Illma e Rma a nome dell'Emo e Rmo Sig. Cardinale Patrizi Prefetto una tale destinazione, e con sentimenti di ossequiosa stima ha l'onore segnarsi

Di V. S. Illma e Rma

Dmo ed Obbmo Servitore
DOMENICO BARTOLINI

Dalla Segreteria de'Sacri Riti
16 Febbrajo 1862

La Santità di Nostro Signore essendo nel disegno di procedere secondo l'annunzio datone al Sacro Collegio nel Concistoro dei 23 Decembre dell'Anno prossimo passato, alla solenne Canonizzazione dei ventitrè Beati dell'Ordine Francescano martirizzati nel Giappone, e del Beato Michele de Sanctis dell'Ordine de'Trinitarii Scalzi della Redenzione degli Schiavi, ha ravvisato espediente d'istituire, giusta il metodo tenuto in simili circostanze da'suoi gloriosi Predecessori, una particolare Congregazione Cardinalizia coadiuvata da alcuni Prelati, che sono quì in margine notati, la quale si occupi di discutere i dubbî, e le controversie che in punto di precedenza

Emi Sigg. Cardinali Patrizi Prefetto, Altieri, Paracciani-Clarelli, Barnabò, Roberti.

Prelati
Colombo Protonotario Apostolico, Frattini Promotore della Fede, Ferrari Prefetto delle Cer. Apost., Minetti Assessore, e lo scrivente Segretario.

o in altri rapporti siano per suscitarsi nella circostanza della religiosa solennità. Essendo l'Eminenza Vostra Revma uno de'membri di tale Congregazione particolare, il sottoscritto Segretario della S. Congregazione de'Riti nel parteciparle tale destinazione fatta dal Santo Padre, con profondo rispetto s'inchina al bacio della Sacra Porpora, ed ha il bene di protestarsi

Di V. Eminenza Rma

Umo Dmo ed Obbmo Servitore
Domenico Bartolini

Interim Congregatio Oeconomica omnes conferebat curas in apparatu solemnitatis hujus disponendo: jam vir clarissimus Aloisius Poletti Eques Torquatus a Sanctissimo Domino Nostro in Architectum Canonizationis selectus templi Vaticani ornatus graphidem exhibuerat; jam magnus artificum numerus operibus insudabat; jam in dies Canonizationis theatri succrescebat opus.

Mense Martio ineunte Reverendissimus Pater Petrus Bechx Praepositus Generalis Societatis Jesu Summum Pontificem efflagitavit ut tres Alumni ex eadem Societate qui ceteris cum Martyribus in Japonia Crucis subiere supplicium in Sanctorum Catalogum referrentur. Annuit ejus precibus Sanctissimus Dominus, iterumque expetivit a R. P. D. Fidei Promotore pro veritate SENTENTIAM. Quam ille pro munere suo egregie lucubravit prout sequitur.

JAPONEN. CANONIZATIONIS BB. MARTYRUM
PAULI MICHI, JOANNIS DE GOTO, ET JACOBI CHISAI
E SOCIETATE JESU

Sententia pro veritate R. P. D. Andreae M. Frattini
S. Fidei Promotoris.

BEATISSIME PATER

1. Inter viginti sex illos Religionis nostrae sanctissimae propugnatores invictos, qui postquam catholicam fidem in Japoniam operose propagassent, tandem dirum mortis genus

6

strenue obeuntes sanguine ipsi suo eam confirmarunt, tres suos habuisse sodales merito gloriatur inclyta Societas Jesu. Quae auspicatissime instituta causa est ad Martyres illos omnes canonizandos, quorum majorem numerum ad tres ac viginti sibi adsciscit Franciscalis Familia, aequo laetoque successu progressa usque fuit, dum Urbanus VIII. Apostolicis editis Literis, Officium et Missam illis concessit.

2. Nunc porro videns Praepositus Generalis Societatis Jesu communi praeclari illius Martyrii causam a Ministro Generali Ordinis Minorum S. Francisci catenus adductam pro suis Martyribus fuisse, ut supremos ac solemnes Canonizationis honores quamprimum illi sint assecuturi, in eumdem gradum Martyrum suorum causam promovere festinavit. Quare a Te, Beatissime Pater, obsequenti enixaque prece postulavit, *uti Beatos tres Martyres e Societate Jesu Paulum Michi, Joannem De Goto, et Jacobum Chisai ad solemnem Canonizationem digneris admittere.* Ut jam susceptum tanti momenti negotium Sanctitas Tua omni consilii maturitate perficeret, appositam Sententiam hac etiam super altera petitione proferendam mei muneris perfunctioni demandavit.

3. Pluribus non est opus verbis, ut partem hanc officii reliquam sedulo persolvam. Communis enim sex ac viginti Japonensium Martyrum causa fuit, atque acta ejus singula aequo jugiter gradu processerunt. Quocirca, quae in prima scriptione nostra fusius exposuimus ad accuratam id genus causae tractationem, statumque postremum demonstrandum, par est opportune recolere, ut inde Martyres tres Lojolei legitima sibi vindicent Canonizationis argumenta. Ibi namque explicatius ostendimus, quomodo ad normam vetustioris disciplinae Causa isthaec discussa rite fuerit, ac meliorem deinceps obtinuerit successus prosperitatem. Scilicet tres Rotae Auditores, quibus Martyrii illius disquisitio primo fuit commissa, locupletissima perspexerunt praesto

ad opus esse probationum momenta, in quibus satis apparet atque extat Testium ad unum omnium firma consensio. Legitimam vero Martyrii causam, in qua potissimum sita ipsius veritas est, tam compertam atque exploratam se habere Judicantes illi significarunt, ut solidam ac luculentam judicii sui rationem diserta Martyrum eorum omnium laudatione quasi obsignare non dubitaverint.

4. Delata deinde causa quum esset ad Congregationem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus tuendis praepositam, omni adhibita deliberationis accuratione decrevit « *Constare de Martyrio et Miraculis, ideoque ad actualem illorum* (Martyrum) *canonizationem deveniri posse.* » Quemadmodum autem Praesides Ordinis Minorum S. Francisci Officium et Missam pro tribus ac viginti suis Martyribus ab Urbano VIII. impetrarunt, sic Praepositus Generalis et Presbyteri Societatis Jesu, concessu illius Pontificis, pro tribus suis Martyribus ejusdem voti compotes facti sunt, velut ex Apostolicis Literis constat, quae ad eorum petitionem peculiares sunt editae *Romae die* 15. *Septem.* 1627.

5. Itaque de iis Martyribus agitur, qui eamdem cum Franciscalibus Martyribus habuere causam, atque adeo auspicationem ac progressum haud imparem sunt consecuti. Quam igitur de ejusmodi causa sententiam nostram primo aperuimus, huc aeque referendam censemus. In pari enim causa, uti vulgata fert juris regula, par debet esse sentiendi ratio. Quae ita cum se habeant, ut hujusce Canonizationis disquisitio legitime expediatur, accedat oportet Summi Pontificis decretorium judicium, quod plane confirmet quidquid Rotae Auditores atque Congregatio S. R. E. Cardinalium legitimis ritibus cognoscendis praeposita de tribus etiam Martyribus e Societate Jesu dijudicarunt.

6. Quamobrem non aliud est reliquum, Beatissime Pater, nisi ut coram eodem consilio S. R. E. Cardinalium expresse declares « *Eadem in causa tuto procedendum esse*

ad ulteriora ». Quam quidem mei sententiam muneris, dum sacros Tuos pedes venerabundus osculor, infallibili judicio Tuo obsequentissime subjicio.

Quae dicta sunt sub censura salvo etc.

Andreas Maria Frattini Sacri Consistorii Adv. et S. Fidei Promotor.

Quapropter Sanctitas Sua Eminentissimorum et Reverendissimorum Patrum Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praepositorum collegit Consilium in aedibus Vaticanis pridie nonas Martias anni 1862 ibique Eminentissimus et Reverendissimus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani Causae Relator dubium proposuit: *An tuto procedi possit ad solemnem eorumdem trium Beatorum Martyrum e Societate Jesu Canonizationem*? Et Patres Cardinales AFFIRMATIVE responderunt. Beatissimus Pater postquam coeleste impetraverat auxilium octavo kalendas Aprilis Ecclesiam petiit Sanctae Mariae supra Minervam ubi festum solemniter recolebatur Deiparae ab Angelo Salutatae: ubi in ejusdem Ecclesiae Sacrario post Missam pontificalem cathedram tenens per me Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis hoc de more promulgandum jussit

DECRETUM

JAPONEN. CANONIZATIONIS TRIUM MARTYRUM E SOCIETATE JESU

Super Dubio—*An Tutò procedi possit ad solemnem eorumdem Beatorum Martyrum Canonizationem?*

Praeter fortissimos illos viginti tres Athletas ex Ordine Minorum Sancti Francisci, qui animam suam perdere propter Evangelium haud metuentes, eam in aeternam vitam custodierunt, alii tres aeque praestantissimi fuere Viri e Societate Jesu, quos una cum aliis Ecclesia Japonensis veluti Martyrum primitias Christo Martyrum Principi obtulit. Nomina illis erant Paulus Miki, Joannes Soan, seu de Goto utpote ex illa insula oriundus, et Jacobus vel Didacus Kisai Japonenses omnes. Primus nobilibus ortus parentibus, subtiliori mentis acumine praeditus, et Sacerdotio initiandus,

qua scriptis, qua concionibus propagandae fidei inter cives operam sedulo navabat. Alter literarum studiis incumbens populum ad divinam legem erudire satagebat. Tertius rei domesticae curandae addictus quotidie Christi passionem meditabatur. In illo persecutionis aestu dolo Gubernatoris Ozacensis capti fuerunt a lictoribus in illius Civitatis diversorio, licet Tyrannus Taicosama Patres Societatis Jesu in hoc capitali judicio minime comprehendi declarasset. Hinc Meacum deducti, ibi cum celeris Confessoribus in vincula publica conjiciuntur. Denique unicuique eorum auriculae parte excisa, et per summum ludibrium in varias Imperii Civitates circumducti, Nangasaquium usque perducuntur. Ubi paratis in colle Crucibus, quas ipsi antea venerabundi salutaverunt, affiguntur. Paulus Miki ex illa triumphali cathedra ad circumfusam multitudinem pro Christi Religione peroravit; illud palam sibi gratulatus, quod in Cruce ut Christus Dominus, eademque atque ille aetate supremum expleret diem: donec singuli ab imis lateribus ad humeros binis lanceis transfixi victrices animas Coelo inserendas emisere Nonis Februarii Anni MDXCVII.

Posteaquam de hisce tribus Martyribus, sicut de aliis ceteris a Sedis Apostolicae Delegatis instructae fuissent tabulae processuales, ac tres Rotae Auditores juxta vetustiorem disciplinam Causae hujus accuratissimam exposuissent relationem, Congregatio Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Sacris Ritibus tuendis praeposita suam aperuit sententiam asserens *Constare de Martyrio, et Miraculis, ideoque ad actualem illorum Martyrum Canonizationem quandocumque deveniri posse.* Hinc Urbanus VIII. sa. me. qui jam Praesidi Ordinis Minorum Sancti Francisci *de Cardinalium consilio* Officium recitandi, Missamque celebrandi pro tribus et viginti suis Martyribus facultatem fuerat impertitus in Literis Apostolicis in forma Brevis XVIII. Kalendas Octobris Anni MDCXXVII. expeditis, annuens etiam

precibus Praepositi Generalis et Presbyterorum Societatis Jesu, eamdem ipsis tribuit facultatem, veluti ex peculiaribus Literis Apostolicis constat Romae editis insequenti die, nimirum XVII. Kalendas eorumdem Mensis et Anni.

Verum Deus Omnipotens, qui congruam temporibus adhibere solet medicinam permisit ut haec praeclarissima Causa per tria fere saecula subsisteret, ac nostris hisce temporibus ad exitum perduceretur. Siquidem erumpentibus modo undique Crucis Christi inimicis, ac fidei depositum penitus evertere conantibus, ipsi, qui in ejusdem fidei testimonium sanguinem fundere, et Crucis subire tormentum non dubitarunt, starent pro muro Domus Israel, et gliscentia errorum monstra comprimerent, et propulsarent. Quapropter SSñus D. N. Pius Papa IX. postulationes excipiens Praesidis Minoriticae Sancti Francisci Familiae, quibus eum adprecabatur ut decerneret tuto procedi posse ad Canonizationem viginti trium Beatorum Martyrum ejusdem Ordinis, audita *Sententia pro veritate* R. P. Sanctae Fidei Promotoris, nec non expetito consilio Reverendissimorum Cardinalium Sacrae Rituum Congregationis in Palatio Apostolico Vaticano tertio Nonas Septembris Anni MDCCCLXI. Decretum tulit *Tuto procedi posse ad Canonizationem viginti trium Martyrum Japonensium ex Ordine Minorum Sancti Francisci*. Quum vero Praepositus Generalis Societatis Jesu preces Sanctissimo Domino Nostro adhibuisset ut idem Decretum promulgare dignaretur pro tribus Beatis ejusdem Societatis Martyribus, Sanctitas Sua, iterum expetita *Sententia pro veritate* R. P. Sanctae Fidei Promotoris, rursus Consilium Reverendissimorum Cardinalium collegit in eodem Palatio Apostolico Vaticano pridie Nonas Martias vertentis anni, in quo per Rmum Cardinalem Nicolaum Clarelli-Paracciani Causae Relatorem proposito Dubio « *An tuto procedi possit ad solemnem eorumdem trium Beatorum Martyrum Canonizationem?* Omnes Patres Cardi-

nales Affirmativum protulere Responsum. Attamen Sanctissimus Dominus suam noluit declarare sententiam, ut in gravissimo judicio tempus intercederet, quo fervidius divina exoraretur Sapientia ad impetrandum lumen, et auxilium.

Tandem hanc statuit diem sacratissimam, in qua Virgo Immaculata Maria ab Angelo tam venerabiliter salutata Aeterni Patris Unigenitum castissimis meruit excipere visceribus. Divina itaque Hostia in privato Vaticano Sacello piissime oblata, postquam in Ecclesia Sanctae Mariae supra Minervam sacro circumdatus Patrum Cardinalium Senatu Pontificali Missae solemniter adstitit, in proximum ejusdem Ecclesiae Sacrarium ad se accersivit R̃mum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem et Sanctae Rufinae, ac Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum, nec non R̃mum Cardinalem Nicolaum Clarelli-Paracciani Causae Relatorem una cum R. P. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore, ac me infrascripto Secretario, iisque adstantibus pronunciavit « *Tuto procedi posse ad horum Trium Beatorum Martyrum Japonensium e Societate Jesu Canonizationem.* Hujusmodi autem Decretum in vulgus edi, in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri, Literasque Apostolicas sub plumbo de solemni Canonizationis ritu in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebrando expediri mandavit VIII Kalendas Aprilis Anni MDCCCLXII.

C. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. PATRIZI S. R. C. Praefectus

Loco ✠ Signi

Dominicus Bartolini S. R. C. Secretarius

Hinc Consistorium secretum locum habuit septimo Idus Aprilis anni ejusdem prius per Cursores Apostolicos omnibus Patribus Cardinalibus de more indictum, quibus etiam R. P. D. Apostolicarum Caeremoniarum Praefecti monitum distributum fuit.

Eme et Rme Domine

In consistorio secreto habito die 23. Decembris superioris anni 1861. Emus et Rmus Dominus Cardinalis Patrizi Congregationis sacrorum rituum Praefectus compendiosa narratione retulit martyrium, causam martyrii, ac signa viginti trium Beatorum ex ordine Minorum S. Francisci, qui in Japonia die 5. Februarii anni 1597. pro catholica fide occubuerunt; nec non acta universa in causa beatificationis et canonizationis eorumdem Martyrum.

In proximo autem secreto consistorio per cursores de more indicendo praefatus Emus Cardinalis Patrizi eadem referet de tribus aliis Beatis e Societate Jesu, nempe Paulo Miki, Joanne Soan de Goto, et Jacobo Didaco Kisai, qui una cum viginti tribus ex ordine Minorum Beatis in eadem persecutione, eodemque die martyrium passi sunt.

Hac relatione expleta Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. Emorum et Rmorum Cardinalium suffragia, ut in memorato consistorio actum fuit, exquiret « *An scilicet deveniendum sit ad solemnem horum trium Beatorum martyrum Canonizationem* » et singuli Cardinales, ordine servato, per verbum PLACET vel NON PLACET sententiam aperient, uti ad Dei gloriam, et Catholicae Ecclesiae praesidium ac decus magis eis expedire videbitur.

De Mandato SS. D. N. PAPÆ

Aloisius Ferrari Proton. Apost. Caerem. Praefectus.

Sanctissimus Dominus Consistorii Aulam iisdem, ut supra notavi, indutus vestibus ingrediens, et in Pontificio Solio considens hanc Patribus Cardinalibus allocutionem habuit.

VENERABILES FRATRES

Si semper, Venerabiles Fratres, hisce potissimum luctuosissimis christianae civilisque Reipublicae temporibus novos apud Deum patronos

Nobis adsciscamus oportet, qui validissimis suis precibus ab Ipso impetrent, ut velit hos tristissimos breviare tentationis dies, et Ecclesiam suam sanctam undique tam vehementer divexatam, oppressam a tantis calamitatibus eripere, eamque novis ubique terrarum exornare et augere triumphis, et ad nostram defensionem dexteram divinae suae Majestatis extendere, et omnes errantes de iniquitatis ac perditionis via ad justitiae salutisque semitas omnipotenti sua virtute reducere. Hanc praesertim ob causam, uti optime meministis, in Consistorio Secreto decimo kalendas proximi mensis Januarii a Nobis habito loquuti sumus de Canonizationis causa viginti trium Beatorum Coelitum, qui clarissimo Sancti Francisci Ordini adscripti primi in Japonia pro Christo vitam profuderunt, et martyrii palmam adepti sunt, ac vestras de hac re sententias libentissime rogavimus. Cum autem inter commemoratos strenuos sanctissimae nostrae Religionis propugnatores fuerint quoque tres invicti inclytae Societatis Jesu Sodales, scilicet Paulus Miki, Joannes Soan De Goto, et Jacobus Didacus Kisai, qui nullis laboribus, nullisque curis unquam parcentes, et aspera quaeque subeuntes pericula, catholicam fidem, doctrinamque in eadem Japonia propagarunt, quique eodem anno ac die una cum illis animo invicto et excelso pro ipsa fide idem fecere martyrium, iccirco horum quoque trium Societatis

Jesu Beatorum Coelitum Canonizationis causam alacri libentissimoque animo proponendam statuimus. Quapropter ex hujus Apostolicae Sedis more et instituto in hoc amplissimo vestro consessu hodie eorumdem vitam, resque praeclare gestas, ac prodigia ad Nos referri, et a Vobis audiri exoptamus.

Post Summi Pontificis verba Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus venia a Patre Beatissimo impetrata hanc de tribus Martyribus Japonensibus e Societate Jesu relationem instituit.

Earumdem tollerantia passionum qua anno Millesimo quingentesimo nonagesimo septimo post legitime decertatum bonum certâmen Fidei, in remotissimis Japoniae Regionibus gloriosissimi viginti tres Martyres ex Ordine Seraphico, vitam aeternam apprehendere meruerunt, ibi insimul inclaruerunt fortissimi tres alii Christi Athletae Paulus Miki, Joannes de Goto et Jacobus Kisai e Societate Jesu, qui saeviente ejusdem persecutionis aestu, dolo Gubernatoris Ozacensis a lictoribus capti in illius Urbis diversorio, ac Minoriticis Martyribus sociati, cum eis gloria et honore coronati sunt.

Ex iis porro Paulus Miki claro genere ortus annum agebat tertium supra trigesimum, qui cum esset studiis praesertim sacris excultus ac Sacerdotio initiandus qua voce, qua scriptis libris errantes ad veritatem, vitiisque inquinatos ad virtutem traducere satagebat. Joannes vero de Goto quum studiis adhuc vacaret, siquidem annos natus undeviginti divinae legis elementa populo explicabat, ac obeundis olim Evangelicis Ministeriis praeludebat. Jacobus tandem Kisai aetate gravis, quartum enim supra sexagesimum numerabat annum, non solum Cathechistae munere

fungebatur, sed humilitate et patientia singulari rem domesticam curabat, et delectabatur assidue pia meditatione recolere quae pro communi hominum salute pati dignatus est amantissimus Redemptor Jesus.

Ii itaque, immani illa persecutione perseverante, comprehensi, publicisque in vinculis conjecti, et extrema sinistrae auris parte in foro Meacensi publice mutilati manibus post terga revinctis sexcentorum milliariorum itinere terrestri vilibus in plaustris conjecti, summo hyeme per plures Japoniae Civitates circumducuntur aerumnas inter et ludibria, quibus hilari promptoque animo se subjicientes exemplo confirmabant, quae de Christiana patientia et mortificatione, ceterisque Virtutibus praedicabant. Tandem quum Nangasachium pervenissent, ibi paratis in colle Crucibus, quas omnes antea venerabundi adoraverunt, affiguntur. Aderat ibi pius ac fortis genitor Joannis de Goto, nec satis patuit utrum supplicium laetius ille ne tulerit an iste spectarit.

Nec minor in Jacobo Kisai devexa licet aetate animi vigor eminebat. At Paulus Miki nativa eloquentia sua non praetermisit ex illa triumphali Cathedra ad circumfusam multitudinem pro Christiana Religione perorare, illud palam sibi gratulatus quod eadem, qua Christus Dominus, aetate in Cruce cursum vitae suae consummaret. Tandem a lictoribus binis lanceis ab imis lateribus ad humeros transfixi eorum victrices animae ad Coelum evolarunt.

Porro quum in hac Causa eadem servata fuerit ratio inquirendi super Martyrio, causa Martyrii, nec non super Signis seu Miraculis quam commemoravi in relatione habita superiori Anno Millesimo octingentesimo sexagesimo primo die vigesima tertia Decembris, pro viginti tribus Martyribus ex Minoritica Sancti Francisci Familia; idemque protulerint judicium tum Sacrae Rotae Auditores, tum Sacra Rituum Congregatio, neque absimilem ab illa Fran-

ciscalium sententiam de eorum Canonizatione protulerit sa. me. Urbanus Papa VIII supervacaneum duxi haec singula relixere; ac proinde Te potius, Beatissime Pater, oro obtestorque ut solemne decretum latum in Festo Annunciationis Beatae Mariae Virginis de horum trium Beatorum Martyrum Japonensium Societatis Jesu Canonizatione in hoc amplissimo Coetu juxta receptum morem confirmare digneris.

Cum purpuratus ille Pater finem Relationi fecisset Sanctissimus Dominus de Canonizatione horum trium Beatorum Martyrum ab Eminentissimis et Reverendissimis Cardinalibus suffragia his exquisivit verbis.

Audistis, Venerabiles Fratres, qua vitae sanctitate hi tres Societatis Jesu Sodales enituerint, quo ardentissimo in Deum et proximum amore flagraverint, quo miro sane studio sanctissimam nostram Religionem in Japonia praedicare, propagare non destiterint, et qua mirabili sane constantia, et animi fortitudine de Christi principaliter amore concepta (*S. Leo serm. in fest. S. Laurentii*) probra, irrisiones, contumelias, tormenta despicientes pro divina nostra Fide atrocissimam sane mortem obire, ac triumphalem sanguinem effundere non dubitaverint. Adsunt etiam prodigia, accurato examine perpensa, quibus Deus eorumdem sanctitatem comprobare est dignatus. Placetne igitur Vobis ut ad illorum quoque Canonizationem solemni ritu deveniamus?

Et Reverendissimi Domini Cardinales concordibus suffragiis annuerunt per verbum PLACET.

Dein Sanctitas Sua sic prosequuta est:

Maxima quidem laetitia perfundimur, Venerabiles Fratres, cum Vestras noscamus de hoc tanti momenti negotio sententias. Verum cum alia consuetis solemnitatibus de hac ipsa re habenda sint Consistoria, illorum diem Vobis manifestandum curabimus.

Imminebat jam solemnis supplicatio Litaniarum Majorum in die festo S. Marci Evangelistae, et Eminentissimus Cardinalis Patrizi Urbis Vicarius suorum antecessorum instituta sequutus hoc ad Clerum et populum mandatum dedit.

NOTIFICAZIONE

COSTANTINO per la Misericordia di Dio Vescovo di Porto e S. Rufina della S. R. C. CARD. PATRIZI Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana, della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale, della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario ec. ec.*

Il rito delle pubbliche Processioni fu sempre in uso tanto presso l'antico popolo del Signore nel vecchio Testamento, quanto nella Chiesa Cattolica fino da' primordî della medesima. Ne' libri infatti dei Re leggiamo Processioni ordinate da Davidde, e Salomone per il solenne trasporto dell'Arca del Signore, e nel libro di Esdra, che ristorata la Città di Gerusalemme dopo la schiavitù di Babilonia, fu celebrata solenne Processione da' Sacerdoti, Leviti, e popolo in rendimento di grazie a Dio per sì segnalato beneficio. Nella Chiesa Cattolica poi, cessate appena le persecuzioni, e donata la pace da Costantino Imperatore, furono celebrate pubbliche Processioni ne' tempi dalla Chiesa stessa prefissi, come si rileva dagli autori più accreditati degli antichi Riti ecclesiastici.

Quest'uso salutare si è mantenuto sempre nella Chiesa Cattolica, ed ora in giorni stabilmente designati, ed ora per isceciali motivi, ed urgenti bisogni, ha ordinato, ed ordina di praticarlo, come mezzo efficacissimo per placare l'ira di Dio, e chiamare sopra i popoli le sue divine misericordie.

Il giorno dedicato alla memoria dell'Evangelista S. Marco, e i tre precedenti la Festa dell'Ascensione, detta le Rogazioni sono già fra gli altri per immemorabile consuetudine destinati a pubbliche solenni Supplicazioni ad ottenere specialmente le divine benedizioni sui campi, non che la pace e la prosperità della Chiesa, il perdono de' nostri peccati, e la cessazione de' meritati castighi.

A queste importanti ragioni però, se ne aggiugne in quest'anno anche altra del tutto straordinaria. Poichè volendo la Santità di Nostro Signore Papa Pio IX. felicemente regnante procedere alla Canonizzazione de' Beati Martiri del Giappone, e del Beato Michele De Sanctis, Ci ha comandato eccitare la pietà del suo Clero e Popolo di Roma, affinchè nell'imminente Processione di S. Marco, e in quelle delle Rogazioni s'implori da Dio l'abbondanza de' lumi celesti per un atto sì grave ed eminentemente pontificale.

Or dunque la prima delle sopraddette Processioni avrà luogo nella mattina del dì 25 del corrente Aprile, secondo il solito dalla Chiesa di S. Marco alla Basilica Vaticana; le tre seguenti, nella mattina del 26 di Maggio prossimo futuro, da S. Adriano alla Basilica Liberiana; nel 27 da S. Maria Nuova alla Basilica Lateranense; nel 28 da S. Lorenzo in Damaso alla Basilica Vaticana. Perchè poi il Clero e il Popolo vi concorra con maggior divozione, il S. Padre concede l'Indulgenza di trenta anni, e altrettante quarantene a' fedeli dell'uno e dell'altro sesso ogni volta, che interverranno colle dovute disposizioni alle Processioni suddette, ovvero visiteranno nello stesso giorno le due Chiese

quella cioè d'onde parte, e quella a cui si dirigge la Processione; e quivi porgeranno umili voti all'Altissimo in ispecie pel fine di ottenere la divina assistenza per l'atto solenno dell'accennata Canonizzazione.

Le medesime Indulgenze potranno conseguirsi dalle Monache, Oblate, Zitelle, e dalle altre donne che vivono in case religiose, purchè, fatta una divota processione nel recinto della loro casa, e recitate le Litanie Maggiori, visitino la Chiesa o Cappella interiore, e preghino secondo le intenzioni del Sommo Pontefice. Nè sono esclusi dal godere simili grazie quei Fedeli che legittimamente impediti non potranno eseguire le opere ingiunte; quando però pratichino quegli atti di pietà che saranno loro ordinati da'respettivi Confessori, i quali sono a ciò pienamente autorizzati. Finalmente si raccomanda a tutti i Fedeli di prender parte a questi atti religiosissimi in ispirito di penitenza, e di compunzione, e con vicendevole esemplarità.

Data dalla Nostra Residenza questo dì 19 Aprile 1862.

C. CARD. VICARIO

Palino Canonico Deangelis Segretario

Interea Sanctissimus Dominus Episcoporum adventum praeveniens nonnullos selegit Praesules quibus honorificum commisit munus advenientes Episcopos suo nomine et verbis salutandi, suaque illis donaria tradendi. Ad id operis R. P. D. Aloisius Ferrari Protonotarius Apostolicus et Apostolicarum Coeremoniarum Praefectus vir doctrina et pietate praestans, cujus consilio omnes Canonizationis Coeremoniae dispositae sunt has ad me nomine Pontificis dedit literas.

Di Casa 26 Aprile 1862

La Santità di Nostro Signoro per dare una testimonianza di affetto ai Vescovi i quali interverranno ai Concistori Semipubblici ed alla solenne funzione della Cano-

nizzazione dei Beati Martiri del Giappone e del Beato Michele De Sanctis Confessore, si è proposta di donare a ciascuno di essi un esemplare degli indirizzi umiliati alla stessa Santità Sua dai Cattolici di tutto il Mondo, nonche una medaglia di argento appositamente coniata rappresentante l'interno della Basilica Ostiense.

Avendo poi presente il Santo Padre che ai lodati Prelati si deve pur consegnare il Compendio della vita, delle virtù, e degli atti fatti dalla Congregazione de'Sacri Riti dei Beati da canonizzarsi, e nel caso presente anche del martirio, si è degnato deputare una specie di Commissione, onde tutto venga eseguito col decoro che si conviene.

Questa Commissione vuole che sia composta di Monsignor Bartolini Segretario della sud. S. Congregazione come capo della medesima, di Monsig. Frattini Promotore della Fede, di Monsig. Colombo Protonotario Apostolico, del Sig. Canonico Minetti sotto promotore, e dei Monsignori Lasagni e Jacobini, accordando a Monsignor Segretario la facoltà di associarsi qualche altro Prelato, qualora il bisogno lo richiedesse. Sarà cura dell'enunciata Commissione di tenersi informata per mezzo di Monsignor Direttore generale di Polizia dell'arrivo in Roma e dell'alloggio dei singoli Vescovi, ai quali secondo i concerti che prenderanno tra loro in antecedenza, i Prelati componenti la ridetta Commissione si compiaceranno di presentare gli oggetti di sopra indicati. A questi aggiungeranno una copia del *Methodus* ossia istruzione pei Concistori semipubblici compilato dal Prefetto delle Cerimonie Pontificie.

Siccome poi anche agli Emi e Revmi Signori Cardinali si dovrà consegnare il menzionato compendio colla istruzione, così senza variare l'antico costume vuole Sua Santità che ciò venga eseguito da Monsignor Promotore della Fede.

Infine ha dichiarato il Santo Padre che tutti gli oggetti di sopra indicati si debbano dare dai Prelati componenti la Commissione suddetta anche al Patriarca e Vescovi residenti in Roma.

Il sottoscritto Prefetto delle Cerimonie si reca a dovere di partecipare a V. S. Illma e Revma l'enunciate Pontificie disposizioni, pregandola della esatta esecuzione.

Profitta di questa circostanza per confermarsi coi sensi di particolare ed ossequiosa stima

Di V. S. Illma e Rma

Devmo Obbmo Servitore
LUIGI FERRARI

Monsig. DOMENICO BARTOLINI *Segretario della Congregazione dei Riti*

Dalla Segretaria de' Sacri Riti
30 Aprile 1862.

La Santità di Nostro Signore per dare una testimonianza di affetto ai Vescovi, i quali interverranno ai Concistori semipubblici, ed alla solenne funzione della Canonizzazione dei Beati Martiri del Giappone e del Beato Michele de Sanctis Confessore, si è proposta di donare a ciascuno di essi, ed al Patriarca e Vescovi residenti in Roma un esemplare degli indirizzi umiliati alla stessa Santità Sua dai Cattolici di tutto il mondo, non che una medaglia di argento appositamente coniata rappresentante l'interno della Basilica Ostiense.

Avendo poi presente il Santo Padre, che ai lodati Prelati si deve pur consegnare il compendio della vita, e degli atti fatti dalla Congregazione dei Sacri Riti dei Beati da Canonizzarsi, e nel caso presente anche del martirio, si è degnato di deputare una Commissione, onde tutto

venga eseguito col decoro che si conviene, designando quali membri di essa i dicontro notati Prelati.

Sarà cura della medesima Commissione di tenersi informata per mezzo di Monsignor Direttore Generale di Polizia dell'arrivo in Roma e dell'alloggio de'singoli Vescovi, cui si compiaceranno presentare gli oggetti sopra indicati, ai quali aggiungeranno una copia del *Methodus* ossia Istruzione dei Concistori semipubblici compilata dall'Illmo e Rmo Monsignor Ferrari Prefetto delle Cerimonie Pontificie.

Prelati componenti la Commissione

Bartolini Segretario della S. Congregazione Presidente, Colombo Protonotario Apostolico, Frattini Promotore della Fede, Lasagni, Minetti Assessore, Jacobini.

E siccome anche agli Emi e Revmi Signori Cardinali si dovrà consegnare il menzionato Compendio colla Istruzione, è mente della Santità Sua, che ciò venga eseguito da Monsig. Promotore della Fede.

Il sottoscritto nel parteciparе a V. S. Illma una sì onorevole destinazione fatta dal Santo Padre, si riserva tenerla più precisamente informata, quando si adunerà l'intera Commissione per prendere in antecedenza i concerti necessarj ed opportuni.

Intanto profitta di questa circostanza per protestarsi con sensi di ossequiosa stima

Di V. S. Illma e Revma

Dmo ed Obbmo Servitore
Domenico Bartolini

Pontificia utens facultate R. P. D. Caesarem Prosperi-Buzzi Supremi Tribunalis Sacrae Consultationis Ponentem et Canonicum Liberianum ceteris Praesulibus accensui ut rectius expeditiusque cuncta procederent.

At Beatissimus Pater aliis alia cumulavit pro Episcopis dona: nempe *Annuarium Pontificium* illius anni 1862; elegantissimae Tho-

mae Vallauri epigraphes *Italorum Vota pro incolumitate Pii IX Pontificis Maximi* exprimentes; elaboratissimum Hieronymi Petri Equitis Torquati opus cui titulus *Orbis Catholicus*, scilicet totius Orbis Catholici historica ac geographica descriptio; demum Sacra illa Cimelia in ceris conficta ac singulari ritu a Summo Pontifice benedicta quae vulgo *Agnus Dei* appellantur.

Jam inde a principio mensis Maji Venerabiles Antistites a quatuor ventis Petri voce collecti Urbem ingredi properabant, quibus nec non Episcopis in Urbe degentibus Praesules a Sanctissimo Domino delegati una cum Pontificiis muneribus authenticas narrationes de historia Martyrii et Miraculorum Beatorum Martyrum Japonensium, simulque de Vita, Virtutibus, et Miraculis Beati Michaelis de Sanctis a me exaratas distribuebant; ut inde praelibare possent, et mature perpendere quidquid ad Dei gloriam et Catholicae Ecclesiae decus opportunum censerent, cum proprias Sententias in Consistoriis semipublicis aperire deberent. Hae narrationes sic se habent.

COMPENDIUM HISTORIAE MARTYRII ET MIRACULORUM NEC NON ACTORUM IN CAUSA CANONIZATIONIS BEATORUM SEX ET VIGINTI MARTYRUM JAPONENSIUM QUORUM SEX EX ORDINE MINORUM DISCALCEATORUM S. FRANCISCI STRICTIORIS OBSERVANTIAE TRES E SOCIETATE JESU DECEM ET SEPTEM EX TERTIO ORDINE S. FRANCISCI.

Extremis Orientalis Asiae finibus nonnullae adjacent insulae, quas Chinense Mare et magnum Oceanum circumluit, quaeque communi nomine *Japonia* nuncupantur. Hujus porro non unus, nec idem semper tenuit dominium, sed plures ab initio usque rei summam potiti; donec qui eorum praecipuus habebatur Tencianus Rex, reliquis suae ditioni subjectis, imperatoriam sibi vindicavit majestatem. Huic itaque imperiali regimini Japonia subdebatur, ubi primum ad ejus litora Lusitani appulerunt. Inde, vix septem elapsis annis, huc magnus Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius christianam fidem invexit, ac, coelestem doctrinam ipso Deo confirmante sequentibus signis, magnam populi multitudinem regesque complures sacro tinxit lavacro. Quae nova fidelium congregatio tot tantisque virtutibus claruit, ut iterum hisce in terris Apostolorum tempora rediisse viderentur. At cum per quadraginta fere annos in pace et

consolatione Sancti Spiritus crevisset multitudo fidelium virorum ac mulierum Japonensium, antiquus ille humani generis hostis Dei opus destruere aggressus est. Nam nefarius quidam homo ex infima plebe, nomine Faxiba, qui postea Taicosama appellari voluit, Nabunanga imperatore insidiose interfecto, totius imperii Japonensis summam potitus est. Hic primum singularem ostendit in Christianos humanitatem, honoribus ac dignitatibus illos auxit, eisque graviora gubernii officia credidit. Immo privilegium Missionariis ex Societate Jesu dedit, quo, nemine obsistente, per universam Japoniam Christi legem praedicare, domicilia et templa construere possent. At Bonzi, quorum maxime intererat ob turpia negotia veterum idolorum Camis et Fotoques cultum tueri, Taicosamae retulerunt se haud posse speciosis suadere puellis, ut Imperatoris obsecundarent voluptatibus, cum Religione christiana, quam illae amplexatae fuerant, prohiberentur. Quapropter in iram elatus, ea quae diu efferus homo obtexerat consilia, subito explicans decretum tulit an. 1587 ut Missionarii omnes Japoniae finibus excederent, ac Japonenses omnes, qui novam religionem fuerant sequuti ad patrios deos redirent. Hinc aedes sacrae et evangelizantium domus direptae, et igni traditae sunt, nec non plures ex nobilioribus viris in exilium pulsi. Verum cum navis Lusitana Firrandi portum attigisset, veritus tyrannus, ne si Christianis infensus videretur, mercandi sibi praeriperetur occasio, animi sui consilia temporis opportunitati attemperavit. Quare navis Praefectum libentissime excepit una cum Patribus Societatis Jesu, qui eum comitati sunt ad imperialem aulam, quique, durante illo persecutionis aestu, Firrandum clam se receperant. Rogatus ab illis mercatoribus ne in Christianos desaeviret, permisit Patribus Societatis Jesu ut in Japonia remanerent, domum sibi, Ecclesiamque Nangasaqui construerent, solisque Lusitanis de lege Christi verba facerent.

Cum res ita se haberent, Gometius Perezius Das Marinas, qui Regis Hispaniarum nomine insulis Philippinis praeerat, opportunum censuit aliquos suae nationis religiosos viros in Japoniam mittere regio Legatorum munere ornatos, ut Taicosamam Hispanorum negociis faciliorem redderent, cum minitatus fuisset, se Philippinas insulas in suam ditionem redacturum. Huic operi delecti sunt Fr. Petrus Baptista Legatus ac Commissarius, Fr. Bartholomaeus Ruiz, Fr. Franciscus de S. Michaele, et Fr. Gonzalvus Garcia laicus Japoniae callens idioma, omnes ex Ordine Minorum Observantium S. Francisci discalceatorum, qui Legationem hanc eo susceperunt animo, ut inde potius occasionem arriperent Evangelium ibi praedicandi, quam ut regiis studerent negociis. Quod quidem eo alacriori ac fidentiori aggressi sunt animo, quia ex Apostolicis Literis a sa. me. Xisto V. P. M. latis die 25 Novembris anni 1586 omnibus Minoribus Fratribus, in insulis praesertim Philippinis degentibus, facultas fiebat, qua, nec Romani quidem Pontificis venia implorata, possent apud Indos et Sinica Regna novas construere domos, et coenobia ad fidem catholicam disseminandam. Hi Manilia solventes die 26 Maji anni 1593 felici navigatione ad litora Japoniae appulerunt; Taicosamam tunc Nancojae commorantem adivere; illique dona ab Gubernatore Perezio sibi tradita obtulerunt. Tyrannus Legatos benigne excepit pauperem eorum habitum valde demiratus, tum superbe admodum de se, suaque potentia praedicans, consilium suum eis aperuit de Philippinis insulis quam citissime occupandis, ni se Gubernator ac Manilienses cives ei per annuam tributi pensionem subjecissent. Cui pater Commissarius per interpretem respondit, Regem Hispaniarum nullum alium dominum agnoscere nisi Deum Regem coeli et terrae, velle tamen libenter amicitiam cum ipso inire, sicuti per epistolam eidem Regi ipse significaverat. Quibus permotus verbis Imperator respondit, se

nil magis in posterum cordi habiturum, quam cum hispanico Rege, et maniliensibus civibus pacis foedera servare. Deinde Fratres veniam ab Imperatore petiere Meacum et Ozacam praecipuas Japoniae urbes invisendi; annuit tyrannus eorum votis, jussitque procuratori suo ut, veteri Japonensium more servato, utpote Legatorum munere praediti, imperialibus expensis alerentur. Sex fere mensibus diversati sunt Fratres in aedibus cujusdam equitis ethnici, qui eis impense favebat. Postea Fuximum Taicosama repetens Fratribus Minoribus, qui suum favorem adepti fuerant, permisit ut Meaci domicilium sibi aedificare possent, ea tamen conditione ne Japonensibus christianam legem praedicarent. Parvo coenobio extructo, huic etiam parvam adjecere Ecclesiam B. Virgini Mariae Angelorum Reginae de Portiuncula sacram, in qua an. 1594 pluribus confluentibus Meacianis civibus etiam ethnicis, festum S. Patris Francisci celebrarunt. Aedificarunt quoque pro infirmis duo Valetudinaria, ut et corporibus sollicitam afferrent medelam. Interim hi Fratres animarum zelo succensi in hac aede nuper extructa continuas habebant conciones, eo audientium fructu, ut quotidie eorum numerus augeretur, qui salvi fierent. At Bonzi, quorum in Christianos odium pharisaicam aemulabat perfidiam, apud Meacianum Praesidem conquesti sunt, se populi veneratione, et oblationibus destitui ex quo hujusmodi homiues pauperrimo indutos sacco, ac nudis incedentes pedibus admirari, ac eorum sequi praecepta Meaciani cives coepissent. Praesul, qui licet ethnicus, tamen Christianis minime adversabatur, Fratres monuit ne ita se gererent; timendum enim erat ne Imperator persecutionis edictum jam latum observandum juberet. At illi memoria retinentes quae dixerunt Petrus et ceteri Apostoli in Consilium Judaeorum adducti « *oportet obedire Deo magis quam hominibus* » ab incepto non destitere; immo aliis laborum sociis e Philippinis insulis accitis Fr. Francisco Blanco, et

Fr. Martino ab Ascensione, alteram Ozacae aperuere domum *Bethlehem* appellatam; simulque tertiam Lusitanorum et Hispanorum impensis extra moenia urbis Nangasaqui prope sacellum S. Lazari. Imperator vero prorsus ignorabat Patres illos Evangelium publice praedicare, et baptizare. Quod cum turpi Bonzorum delatione rescivisset, statim se illusum a Fratribus existimans, nimio actus furore decretum renovavit, quod paucis retro annis tulerat, quoque poena mortis tum praedicatores, tum baptizati mulctabantur. Accurrunt statim satellites, Imperatoris namque jussa urgebant; domum et Ecclesiam Meacianam circumveniunt, in qua ad vespertinas preces psallendas omnes Fratres convenerant; nonnulli praeterea aderant qui Fratrum praedicatione conversi, et baptisma susceperant, et in tertium S. Francisci Ordinem adsciti fuerant. Deprehensi quoque sunt a lictoribus tres praestantissimi Viri e Societate Jesu in eorum Ozacensi diversorio, et Meacum deducti dolo Praesidis civitatis illius, licet tyrannus Taicosama Patres Societatis Jesu minime inquirendos esse declarasset. Qui omnes numero sex et viginti die 13 Decembris an. 1596 vinculis constricti, ac in publicum carcerem detrusi, martyrii tempus ardenti animo expectabant.

Eorum nomina haec sunt.

I. Fr. Petrus Baptista Sacerdos et Concionator Commissarius Missionis et Legationis, natione hispanus annorum circiter quinquaginta. Nobilibus hic parentibus natus in Castro S. Stephani dioecesis Abulensis, virtute, eximiaque pollens doctrina praedicationis munus obedientiae merito cumulavit; devios plures ad justitiae tramites reduxit; infidelium salutem sitiens novam Hispaniam petiit, postea se apostolicis viris addixit, qui Evangelii disseminandi gratia Philippinas insulas adiverant.

II. Fr. Martinus de Ascensione alias de Aquirre Sacerdos, Concionator, et alter de Legatione, natione hispanus

an. triginta, Vergariae in Guiposcoa nobili genere ortus. Hic philosophicis ac theologicis studiis miram navavit operam in Academia Complutensi. Adolescens familiae suae opibus valedicens ad Minores discalceatos convolavit. Post emissam professionem sacerdotio initiatus bellum sibi acerrimum indixit omnium poenarum genere corpus suum excrucians. Martyrii desiderio flagrans Mexicum primum, deinde Maniliam pervenit.

III. Fr. Franciscus Blanco Sacerdos et Concionator, natione hispanus an. circiter triginta. Natalem habuit in Comitatu Montis-regii (Montrey) dioecesis Ovetensis in Gallaecia, Ordinique Minori de observantia adscriptus est in provincia S. Jacobi. Dein discalceatis Fratribus provinciae S. Josephi cooptari voluit. In utroque Asceterio eximiae virtutis exempla reliquit. Japoniam petens, utpote idioma illud valde callens, proximorum saluti curandae se totum dedit.

IV. Fr. Philippus a Jesu alias de las Casas Clericus Acolythus an. viginti trium in Mexico ortum duxit ab Alphonso de las Casas, et Antonia Martinez hispanis nobilibus parentibus. Adolescens nomen dedit Fratribus discalceatis in Conventu S. Francisci Angelopolitano. Sumpto habitu, nec satis gnarus sibi cum callido hoste sustinendum esse certamen, cessit illius illecebris, et a Coenobio abiit. Haec ejus inconstantia tantum piis parentibus dolorem intulit, ut ne illum conspicerent, in Philippinas insulas ablegaverint. Verum post biennium facti poenitens obtinuit discalceatorum habitum in Coenobio S. Mariae Angelorum Maniliae, ubi peracto laudabiliter tyrocinio, solemnia emisit vota, ac deinceps anteactae vitae sordes singulari poenitentia ita abstersit, ut veluti sanctitatis exemplar ab omnibus haberetur. Hac ejus conversione exhilarati parentes Commissarium Generalem Indiarum Mexici tunc commorantem obsecrarunt, ut filium suum Seraphicis iterum indutum ve-

stibus eis liceret aspicere. Ipsorum votis cessit Commissarius: at vi tempestatis actus Philippus, non in Mexicanum, sed in Urandum Tozzani Japoniorum portum jactatus est. Inde P. Petrum Baptistam Commissarium Meaci degentem adiens ab eodem humaniter exceptus est, ac ad Ozacae aedem cui praesidebat Martinus de Ascensione missus, ut in ministerio apostolico ipsi opem ferret. Meacum inde obedientiae merito se conferens in Coenobio S. Mariae Angelorum cum ceteris sodalibus comprehensus est.

V. Fr. Franciscus de S. Michaele laicus professus, alter de Legatione, natione hispanus an. quinquaginta quatuor. Primam vidit lucem in Pariliae Oppido Palentinae dioecesis prope Vallisoletum. In provincia Conceptionis Minorum de observantia sacro donatus habitu, paucos post annos, transiit ad Fratres discalceatos provinciae S. Josephi. In novam Hispaniam subinde profectus in Mexico primum conversatus est, mox in Chichimecarum regionem adveniens male ab eis habitus fuit, contumeliisque affectus. Postea insulas Philippinas petiit cum P. Petro Baptista, ubi inculpatam sic gessit vitam, ut gentes in sui admirationem attraxerit. Maximis charismatibus hujus Servi sui sanctitatem Deus testatam voluit.

VI. Fr. Gundisalvus Garzia laicus professus, alter de Legatione, Bazani in India Orientali parentibus lusitanis ortus est. Aetatis suae an. quintodecimo Patribus Societatis Jesu in Japoniam euntibus veluti comitem se addixit, ubi indigenorum idiomate instructus neophytorum institutioni fuit a Patribus deputatus. Cum Bonzis non semel in certamen devenit, quorum plures argumentorum suorum vi devicti, Ecclesiae Christi per baptismatis lavacrum adhaeserunt. Octo annorum spatio in Japonia diversatus Maniliam inde advenit. Cum autem frequens adiret Coenobium discalceatorum S. Mariae de Portiuncula ejusdem civitatis, illorum amplexus est institutum, ac sacra vota nuncupavit

in manibus P. Petri Baptistae, a quo Legationis suae interpres et comes designatus fuit.

VII. Paulus Miki Japonensis, e Societate Jesu, claro genere ortus ac tum prophanis, tum sacris literis excultus annum agebat tertium ac trigesimum; jamque sacerdotio initiandus qua voce, qua scriptis libris plures e concivibus suis partim ab errore ad veritatem, partim a vitiis ad virtutem traduxerat. Inter quos alter de imperialibus Praesidibus, et octo de custodibus Ozacensis et Meacensis carcerum recensendi sunt.

VIII. Joannes Soan seu de Goto, utpote ex illa insula oriundus, Japonensis, e Societate Jesu, annos undeviginti natus, literarum studiis operam dabat, ac divinae legis elementa populo explicans, obeundis olim evangelicis ministeriis proludebat.

IX. Didacus seu Jacobus Kisai Japonensis, e Societate Jesu, quarto supra sexagesimum anno jam expleto, quamquam et ipse Catechista, rem tamen etiam domesticam curabat humilitate et patientia singulari; quas ad virtutes quotidiana Christi patientis meditatione mirum in modum excitabatur.

X. Paulus Suzuqui oriundus ex Oari, Japonensis, tertii Ordinis S. Francisci, plurium pro erudiendis neophytis operum scriptor, inserviens in hospitali Fratrum, eorumque interpres.

XI. Gabriel a Duisco ex Regno de Ize, tertii Ordinis, discipulus Fratrum an. decem et novem.

XII. Joannes Quizuya Japonensis oriundus ex urbe Meaco, recenter sacro ablutus lavacro, tertii Ordinis, vicinus Fratrum.

XIII. Thomas Danchi de Ize ex urbe Meaco oriundus, tertii Ordinis, et Fratrum interpres.

XIV. Franciscus Meacensis civis, tertii Ordinis, medicus, et scriptor quorumdam tractatuum pro Christiana fide tuenda, et Fratrum interpres an. quadraginta sex.

XV. Thomas Cosaqui Japonensis, tertii Ordinis, Fratribus Sacra peragentibus ministrans an. quindecim.

XVI. Joachim Saquijor oriundus ex Usaca Japonensis, tertii Ordinis, inserviens in hospitali ac Fratrum parandis cibis addictus.

XVII. Bonaventura aut Ventura Japonensis ex Meaco, tertii Ordinis, qui sacro baptismate puer tinctus, mox orbatus parentibus ad idolorum cultum redierat. Sed cum a Fratribus officia didicisset, quibus se in sacro lavacro obligaverat, ipsorum ope sese Ecclesiae reconciliavit, neque amplius ab eorum latere distrahi passus est, continuo illis inserviens.

XVIII. Leo Carazuma Japonensis ortus Oari ex nobilibus parentibus, tertii Ordinis, interpres praecipuus Fratrum.

XIX. Mathias Japonensis ex urbe Meaco, tertii Ordinis, qui cum martyres caperentur, alterius Mathiae, tunc absentis et locum subiit et coronam.

XX. Antonius Japonensis Nangasachanus adolescens annorum tredecim natus ex patre Chino, et matre Japonensi, tertii Ordinis, doxicus seu scholaris, Patri Commissario in Missae Sacrificio ministrans.

XXI. Ludovicus Ibarchi ex Oari Japonensis B. Pauli subsequentis nepos puer duodecim annorum, et paucis abhinc mensibus baptizatus, tertii Ordinis, doxicus seu scholaris Fratrum, illisque in Missae Sacrificio inserviens.

XXII. Paulus Yuaniqui Ibarchi Japonensis ex Oari, germanus B. Leonis superius relati, recenter baptizatus, tertii Ordinis, vicinus et interpres Fratrum.

XXIII. Michael Cozoqui oriundus ex Regno Ize Japonensis, tertii Ordinis, vicinus et familiaris Fratrum.

XXIV. Petrus Sequeixein Japonensis civis Meacensis, tertii Ordinis, qui Fratribus ministrans in vinculis, a custodibus detentus illorum martyrio adauctus est.

XXV. Cosmas Raquisa Japonensis ex Regno Oari, Meaci degens, ortus parentibus genere ac opibus claris, recenter baptizatus, tertii Ordinis, pauperibus inserviens in hospitali Fratrum, eorumque interpres.

XXVI. Franciscus Fahelante Campiutensis qui cum ministrasset Fratribus in vinculis, eis in Martyrio adauctus est.

Tandem immanis tyrannus Taicosama hanc contra Martyres protulit Sententiam. Postquam Imperator annis praeteritis prohibuit legem, quam Patres docent, nonnulli Patres, qui vocantur Legati Luzoni (id est Philippinarum et Regis Hispaniae) et habitant in Curia, et praedicant dictam legem, ideo ipsi cum Japonensibus ad eorum legem conversis condemnantur, qui simul sunt numero vigintiquatuor, crucibus affigetis Nangasaqui. Et quia in futurum sua Majestas iterum et cum majori rigore prohibet hanc legem, hoc scitote, et jubete, quod cum rigore servetur istud mandatum. Et si forsan aliquis dicto mandato contraveniet, ipse contraveniens cum tota illius generatione mortis poena puniatur. Datum die vigesima lunae undecimae primi anni aetatis vocatae Evioco. Quamvis viginti quatuor tantum viri fortissimi fuerint in hoc capitali judicio designati, tamen si iis addantur alii duo in itinere adaucti, et vinculis abrepti, omnes qui martyrii palmam tulere viginti sex erunt, uti in superiori Indice adnotati.

Ubi lata haec sententia est, in locis urbis Meaci frequentioribus affigitur. Sequenti die mane omnes Martyres manibus post terga revinctis pedites deducti sunt ad plateam quamdam Meaci superioris, ubi omnibus abscissa est particula ex aure sinistra. Auribus resectis, terni vehicula ascendere, ac pro more Meacum circumduci jussi sunt; tum ad carcerem unde exierant, reducti.

Postera luce idest die 3 Januarii ex mandato tyranni haec praenobilis cohors jumentis imposita, traducta est Ozacam, ibique per vias ignominiose ad spectaculum proposita. Dein omnes Ozaca delati Sacajum, ubi quoque

contumeliose per urbem sunt devecti. Postea mandavit Taicosama eos terrestri itinere Nangasaquium perduci cum publicis literis, ut de loco in locum attribuerentur illis satellites, aliaque necessaria ad iter Nangojam usque; ubi eos Fazamburus manebat, in suam custodiam recepturus, ut eos Nangasaquium usque perduceret. Sacajo itaque excessere die 9 Januarii satellitibus stipati; eos praeibat sententiae exemplar a tyranno latae ligno superpositum. Alii duo Confessores beatis Martyribus in itinere illo tristissimo adhaeserunt Petrus et Franciscus, qui dum illis aliquam ministrabant refectionem a custodibus comprehensi, et Christianos se esse confitentes cum reliquis ad locum supplicii ducti sunt. Postremo Januarii die captivi pervenerunt Facatam. Interea nuntium ad Fazamburum affertur captivos brevi adfuturos, simulque ei patentes exhibentur literae Imperatoris, quibus praecipiebatur, ut, missa mora, eos Nangasaquium transmitteret. Kalendis Februarii discessum est Facata, et ventum est ad locum Carazu nomine, tribus a Nangoja leucis, ubi Fazamburus cum satellitibus eos praestolabatur. Ulterius longum iter prosequuti ingressi sunt Regnum Figen, et advenerunt Zucasachi, quo postridie mane discesserunt. Cum autem Christi athletae singulis momentis ad martyrium faciendum sese propius accedere intelligerent, reliquum iter quamvis vehementi frigore obrigerent, pedites conficere maluerunt Sinonchum usque octo vel novem a Nangasaquio leucis. Die 4 Februarii effervescente meridie Sinonchum pervenere captivi. Sub vesperam ejusdem diei antequam navim, qua Tonchizu eundum erat, conscenderent (maritimo enim septem leucarum itinere illuc proficiscendum erat) omnium manus, Minoribus Fratribus exceptis, post terga revinxere satellites, eisque collo funes injecere. Tonchizanum portum brevi tenuere, ac tota nocte algenti brumae in ipso navigio expositi sunt. Paraverat quidem Fazamburus pro omnibus Nangasaqui locum, sed ve-

ritus ne ob ingentem Christianorum multitudinem tumultus fieret, mutata sententia, decrevit eos extra Nangasaquium in sequenti luce, quae 5 Februarii erat, extremo supplicio afficere. Illud memoria dignum in itinere accidit, ut adolescenti Antonio parentes occurrissent, cumque blanditiis, ac lacrymis conarentur adducere, ut Christo fidem falleret; quibus constantissime obstitit his verbis: *Quae mihi promittitis, omnia terrena sunt et transitoria, quae vero Christus mihi repromisit, aeterna sunt et coelestia.* Deinde dimissa, qua operiebatur veste, parentibus ait; *Ecce vestem quam mihi dedistis, vobis restituo:* nudusque ac laetus ad crucem properavit, eamque amplexatus, ac pluries deosculatus Ambrosianum hymnum intonuit. Ceteri cum eo Martyres crucibus affiguntur, quae jam in quodam colle quasi in Calvario paratae erant; dein in altum elati Christi fidem haud praedicare cessabant. Aderat quoque, sed dissimili prorsus consilio, Joannis de Goto pius ac fortis genitor, qui filio supplicium invidere videbatur. Enituit quidem Paulus Miki, qui, e triumphali illa crucis cathedra nativam hominis eloquentiam stimulante Dei caritate ad circumfusam multitudinem pro Christiana religione peroravit, illud palam sibi gratulatus quod in cruce ut Christus Dominus, eademque atque ille aetate, supremum expleret diem. Postremo singuli ab imis lateribus ad humeros binis lanceis transfixi victrices animas coelo inserendas emisere die 5 Februarii an. 1597. Eorum corpora, satellitibus excubias agentibus, diu in patibulis suspensa remanserunt.

Pluribus signis Omnipotens Deus horum Martyrum sanctitatem testatam voluit.

Primo. Eadem hora qua Martyres capti fuerunt, magna apparuit Cometes crinibus redimita ad modum crucium, quae extendi videbatur ab insulis Philippinis Nangasaquium usque, ubi erant iidem crucibus affigendi, ejusque perduravit apparitio singulis noctibus quousque Martyres ad lo-

cum martyrii pervenissent, nec amplius deinceps visa est.

Secundo. Martyribus carcere detentis in urbe Meaci tellus vehementer contremuit trium horarum spatio, et nonnulla idolorum fana corruere.

Tertio. Ingens simul aquarum copia Meacianam urbem imbribus inundavit, qua plures utriusquo sexus periere.

Quarto. Imago S. Francisci, quae in Fratrum Ecclesia exposita erat, post Martyrum capturam sanguinem exsudavit.

Quinto. Martyribus in cruce pendentibus et Christi fidem praedicantibus quaedam mulier infidelis accessit, quae, non loquela solum, sed aliis quoque corporis sensibus amissis ad vitae extremum devenerat; cum exosculata esset crucem P. Petri Baptistae illico loquuta est, et baptismum instantissime petiit, quod cum recepisset ab eodem P. Petro Baptista adhuc vivente, perfectissime convaluit. Poterat hic Martyr aliquo modo baptismi aquam infundere quia, ut ceteri omnes, funibus cruci fuerat suspensus.

Sexto. Triduo post mortem P. Petri Baptistae ex ejus corpore in cruce pendente sanguis copiose effluxit.

Septimo. Licet Martyrum corpora post mortem duobus mensibus in cruce pependissent, tamen eorum vultus ita se habebant, ut viventium speciem referrent.

Octavo. Aves rapaces quae in illis regionibus *Mascangues* nuncupantur, quaeque damnatorum corpora dilaniare assueverant, eorumque carnibus pasci, Martyrum tamen corpora, summa adstantium admiratione, nullatenus tetigerunt.

Nono. Illo bimestri quo crucibus appensa remanserunt Martyrum corpora, P. Petrus Baptista pluries visus fuit, derelicta cruce, Missam celebrare in Ecclesia S. Lazari Coenobii Nangasaquensis, illique administrare adolescens Martyr Antonius veste alba indutus. Duo oculati testes Joannes Rodriguez Curiel, et Joannes Baptista de Aguirre

deponunt ita se propriis vidisse oculis. Joannes de Aguirre testatur se P. Petrum Baptistam sacrum peragentem vidisse in Ecclesia Coenobii Nangasaquensis, quo visu perterritus locum visitasse ubi aderant Martyres crucibus affixi, et P. Petri Baptistae vacuam suspexisse crucem, ideoque ab ethnicis quaesivisse custodibus ubinam esset corpus P. Petri Baptistae: qui responderunt illud fieri saepissime ut crux appareret vacua, et postea elapso aliquo temporis spatio, corpus P. Petri Baptistae iterum eadem in cruce affixum aspicerent. Itaque reversus est idem testis festinanter ad locum in quo prius viderat P. Petrum Baptistam Eucharisticum Sacrificium offerentem, et jam illum minime invenit; hinc rursum petiit ad cruces, Martyremque sua in cruce pendentem reperit. Hoc idem deposuere se ab ethnicis audivisse custodibus Petrus Montoya, et Joannes Rodriguez Curiel, de quo supra, aliique complures.

Paulo post mortem Beatorum Martyrum ad P. Provincialem S. Francisci Philippinarum authentica Imperatoris Taicosamae sententia, simulque epistola D. Petri Martinez Societatis Jesu Episcopi Japonensis, qui eorum martyrio adfuit, pervenere: de his accurata ad Apostolicam Sedem per Archiepiscopum Maniliensem transmissa est Relatio, quae tanquam processus Ordinaria auctoritate instructus habita est. Nam Sedes Apostolica remissoriales confestim expedivit literas ad conficiendos sua auctoritate processus, Episcopo nempe Ilaxcalensi pro nova Hispania et civitate Oppidangensi; item Patri Vicario Provinciali Ordinis S. Dominici, et aliis conjudicibus Ordinis ejusdem pro Imperio Japoniae; item P. Vicario Provinciali Societatis Jesu pro eodem Regno; item Archiepiscopo Maniliensi et duabus Dignitatibus Ecclesiae illius pro insulis Philippinis; item Archiepiscopo de Goa, et Episcopo Maconensi cum duabus Dignitatibus pro Indiis Orientalibus.

In hisce literis remissorialibus facultas Judicibus de-

putatis conferebatur quascumque compulsandi scripturas ad Causam hanc pertinentes.

Citius quam fieri potuit singuli ab Apostolica Sede Delegati Judices condidere processus, simulque compulsorialia instrumenta dederunt, quibus iterum authentica sententia a Taicosama in Beatos Martyres indicta, latine ad verbum translata, neque non epistola Praesulis Petri Martinez Societatis Jesu Episcopi Japonensis de eorum Martyrio continebantur.

Quae omnia Romam missa sunt Acta Sedis Apostolicae examini subjicienda. Paulus V. sa. me. juxta vetustiorem disciplinam, quae tunc obtinebat, Causam tribus S. Rotae Auditoribus Joanni Baptistae Coccini, Alphonso Manzonadi, et Philippo Pirovani expendendam permisit. Qui tum remissoriales, tum compulsoriales processus sedulo pervestigarunt, ac nihil plane in iis desiderari amplius posse perviderunt, quo opus foret ad eorum adprobandam validitatem. Probe vero sentientes, Causae cujusque fulcrum, et columen in legitimis esse probationibus potissime situm, in id operam contulerunt suam impensius, ut testium probitatem, ac certam fidem explorarent. Quod officium cum diligenter obiissent, tuto demum affirmarunt ab omni exceptione eos esse sic vacuos, ut eorum fidem nec quidpiam posset extenuare vel leviter. Hoc totius quaestionis quasi fundamento strato, ac firmiter constituto, ad martyrium ejusque causam inspiciendam Judices illi sapientes sunt digressi. Atque in primis ostenderunt, praesto ad opus esse majorem testium numerum, quam juris praescriptio requireret. Testes quippe duodeviginti recensentur, qui certa scientia asseverant eos Dei Famulos alacri laetoque animo *Martyrium sustinuisse pro Fide Catholica, et illius confessione et praedicatione*. Quibus accedunt plures alii, qui eamdem testificationem *ex auditu et fama* haustam confirmant. Et quoniam *Martyres non facit poena, sed*

causa, hinc legitimam martyrii causam non ex heroica modo agendi ratione, quam Christi Athletae fortissimi ad obitum usque constantissime servarunt, verum etiam ex Tyranni animo atque consilio argumentis ductis luculentissimis demonstravere. Quocirca in apricum proferri voluerunt ipsius sententiam, superius allatam, unde percipitur dilucide, odium fidei causam fuisse unicam, quamobrem indignatus ille tot strenuis Catholicae Religionis Assertoribus diram mortis poenam irrogandam edixerit. Non igitur simultas in eos Martyres aliqua, non politica ratio, sed odium unice Christianae fidei Tyrannum acriter concitavit ut illos plecteret immanissimo crucis supplicio. Denique observarunt plura illa miracula ab idoneis testibus enarrata esse, eaque ad martyrii veritatem divinitus confirmandam apprime conferre. Ad extremum accuratissimam totius negocii hujus relationem concludebant declarantes *Causam istam esse in tali statu, ut juxta Sanctae Romanae Ecclesiae ritum et sacrorum canonum dispositionem, si Sanctitati Vestrae placuerit*, (Urbano VIII) *posset procedi ad istorum Famulorum Dei Canonizationem, et in numero Sanctorum adscriptionem in forma Ecclesiae consueta.*

Ejusmodi disquisitione faustum ad exitum perducta, de more postea delata Causa est ad Congregationem sanctae Romanae Ecclesiae Patrum Cardinalium sacris tuendis Ritibus, quae, maturo consilio censuit « *Constare de Martyrio et Miraculis, ideoque ad actualem illorum Martyrum Canonizationem quandocumque deveniri posse.*

Quum vero Praeses Ordinis Minorum S. Francisci ab Urbano VIII san. me. enixe postulasset ut Officium et Missa de illis Martyribus *donec ad solemnem eorum Canonizationem deveniretur* recitari, ac celebrari possent, Summus ille Pontifex *de Cardinalium consilio* facultatem impertivit Literis Apostolicis in forma Brevis expeditis decimo octavo kalendas Octobris Anni MDCXXVII ut *de*

eisdem Martyribus tam ab omnibus dicti Ordinis S. Francisci ubique existentibus, quam etiam aliis ecclesiasticis, et saecularibus personis Manilensis Dioecesis dumtaxat, ubi praecipue dictorum Martyrum pro Christi fide labores valde profecerunt, Officium et Missa de Communi plurimorum Martyrum die eorum Natali, videlicet die quinta Februarii, recitari et celebrari respective libere, et licite posset et valeret.

Attamen praeclarissima haec Causa substitit, neque ad Consistorium progressa unquam est in posterum, decretoriam Pontificis sententiam subitura. Quapropter ejusmodi judicium mira successus prosperitate eatenus adductum, postrema eaque potissima destituebatur sui parte, quae necessaria prorsus erat ad hanc Canonizationis Causam legitime expediendam. Quidquid namque Rotae Auditores, et sacrum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Consilium dijudicaverant, non aliam vim obtinebat nisi consulentis sententiae. Quare oportebat ut Pontificis expressa declaratio accederet, quae latam ab iis sententiam decretorio judicio confirmaret.

Hinc per tria fere saecula altum hac super re silentium servatum est. Verum Deus Omnipotens, cujus judicia incomprehensibilia sunt, et investigabiles viae, disposuit, ut luctuosis hisce temporibus quibus sceleris omnis maturitas vel in cultissimis Italiae nostrae Regionibus adversus Christi fidem erupisse visa est, expediretur Causa Canonizationis propemodum absoluta horum Martyrum Japonensium. Novum sane et spectatissimum exemplar fidelibus proponitur, in quod sedulo intuentes imitari eos Christi athletas studeant pro viribus, quatenus nec fraudibus irretiti, nec minis deterriti a Fidei suae integritate haud unquam vel paullulum desciscant. Quare Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX Divinae Providentiae consiliis ex animo obtemperans voluit ut juxta vetustiorem disci-

plinam judicium hoc absolveretur. Ideoque postulationes excipiens Praesidis totius Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia, audita *Sententia pro Veritate* R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris, Consistorii loco, Consilium habuit Reverendissimorum Cardinalium Sacrae Rituum Congregationis in Palatio Apostolico Vaticano Tertio nonas Septembris superioris anni, in quo per Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Portuensem, et Sanctae Rufinae, ejusdemque Sacrae Congregationis Praefectum, nec non Causae Relatorem proposito Dubio « *An tuto procedi possit ad solemnem eorumdem Beatorum Viginti trium Martyrum ex Ordine Minorum S. Francisci Strictioris observantiae Canonizationem* » Omnes Patres Cardinales Affirmativum protulere Responsum.

Quapropter Sanctissimus Dominus Noster Sancti Spiritus ope enixe implorata, ad Ecclesiam S. Mariae in Aracoeli se contulit, ubi ad se accitis in ejusdem Ecclesiae Sacrario Reverendissimo Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae Sacrorum Rituum Congregationis Praefecto, et Causae Relatore, et R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore, nec non Dominico Bartolini ejusdem Sacrorum Rituum Congregationis Secretario acta haec exarante, Quintodecimo Kalendas Octobris anni MDCCCLXI quo die solemnis recolebatur Commemoratio Sacrorum Stigmatum S. Francisci, cujus Regulam Beati isti Martyres sequuti fuerant, rite decrevit « *Tuto procedi posse ad horum Beatorum Viginti trium Martyrum Japonensium Canonizationem* ».

Cum vero R. P. Petrus Bechx Praepositus Generalis Societatis Jesu preces Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX adhibuisset ut idem Decretum promulgare dignaretur pro tribus Beatis ejusdem Societatis Martyribus, Sanctitas Sua, iterum expetita *Sententia pro Veritate* R. P. D. Sanctae Fidei Promotoris, rursus Consilium Re-

verendissimorum Patrum Cardinalium collegit in eodem Palatio Apostolico Vaticano Pridie Nonas Martias vertentis anni MDCCCLXII, in quo per Reverendissimum Cardinalem Nicolaum Clarelli-Paracciani Causae Relatorem proposito Dubio « *An tuto procedi possit ad Solemnem eorumdem trium Beatorum Martyrum e Societate Jesu Canonizationem* » Omnes Patres Cardinales affirmativum protulere Responsum. Tandem Beatissimus Pater postquam ferventius divinam precatus est Sapientiam ad impetrandum lumen et auxilium, suam statuit aperire mentem die illa sacratissima, in qua Virgo Immaculata Maria tam venerabiliter ab Angelo salutata castissimis visceribus Aeterni Patris Unigenitum excipere meruit. Quapropter Octavo Kalendas Aprilis ejusdem anni cum prius in Ecclesia S. Mariae supra Minervam Sacro circumdatus Patrum Cardinalium Senatu Missae pontificali adstitisset, in proximo ejusdem Ecclesiae Sacrario solemniter pronunciavit « *Tuto procedi posse ad horum Trium Beatorum Martyrum Japonensium e Societate Jesu Canonizationem* ». Ut autem quod tam faustis inceptum est ominibus, et ad felicem exitum deductum, perficiatur, universa Seraphica Minorum Familia, nec non Societas Jesu suis prosequuntur votis, ac humillimis precibus deposcunt.

COMPENDIUM VITAE, VIRTUTUM, ET MIRACULORUM NEC NON ACTORUM IN CAUSA CANONIZATIONIS BEATI MICHAELIS DE SANCTIS SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS SS. TRINITATIS FRATRUM DISCALCEATORUM REDEMPTIONIS CAPTIVORUM.

Beatus Michael de Sanctis Henrico Argemir et Margarita Monserrada piis atque ingenuis ortus est parentibus, anno supra millesimum reparatae salutis quingentesimo nonagesimo primo (1591) die sacra inclyto coelestis militiae Duci, in Catalaunia hispanicae ditionis Principatu, Urbe Vichensi. Quam semel Divino inspirante Flamine per salu-

tares aquas gratiam regenerationis invenit, eam ad extremum usque spiritum servavit et auxit. Praeventus siquidem in benedictionibus dulcedinis, totum se puerulus divinis rebus addixit, eumque potissimum erga Deiparam Virginem concepit affectum, ut ipsam balbutientibus adhuc labellulis salutaret, ejus aediculas luminibus ac floribus decoraret, alios quoque puerulos ex editiori conscenso loco, velut e suggestu quodam ad haec obsequia praestanda adhortaretur. Eo demum processit, ut vix quinquennis perpetuum suae castitatis florem Immaculatae Virgini consecraret: quod ita praestitit perbelle, ut deinceps ne per jocum quidem mundanas sibi nuptias proponi pateretur.

Studiorum curriculum mox ingressus, sedulam eis dedit operam; suspecta interim sodalium consortia devitans, et Sanctorum, in eremo praesertim degentium, historiis versandis jugiter intentus; a quibus veluti apis industriosa virtutum flores colligebat, seque magis atque magis ad illorum sectanda vestigia allici sentiebat. Quapropter veterum Ascetarum inhians institutum, duobus comitantibus discipulis, clam ab urbe discessit, celsumque petiit montem *Monsenium* nuncupatum, ibique se in eodem recondidit antro, ubi S. Sigismundus Burgundiae Rex eremiticam duxisse vitam perhibetur. Verum diligenter conquisitus, tandem a patre repertus est in genua provolutus, lacrymisque perfusus; cujus rei causam percontatus, se acerbissimos Christi dolores recolere asseruit. Paternam inde repetens domum, eremi licet spe fraudatus, intra domesticos tamen parietes ascetarum vitam ducere constituit. Quapropter acerrimum sibi bellum indixit: asseribus enim pro stragulo, saxo pro pulvinare utebatur; flagellis, cilicio, jejuniis corpusculum extenuabat. Quin etiam patiendi amore adhuc puer se inter spinas conjecisse traditur, superque ipsas toto corpore aliquandiu volutasse, aequalibus qui aderant prae timore obstupescentibus, qui etiam postea aliis

narraverunt testibus, mirifice sese esse recreatos cum non modo innoxium ex illis assurgentem viderint, sed ne leviter quidem punctum; proinde ac si spinae illae purissima membra attingere ausae non fuissent. Idque se piissimus puerulus fecisse dixit « *pro Dei Amore et imitatione S. Patris Francisci* ».

At dives in bonitate Deus voluntariam hanc, asperrimamque servi sui afflictationem non magno sine praemio reliquit; quod enim de Beato Aloisio Gonzaga legitur, id quoque in Michaele renovatum voluit, ut nunquam carnis traheretur illecebris, neque ulla unquam species haud satis modesta, aut minus honesta cogitatio ejus menti obversaretur.

Dum octavum ageret annum, utroque orbatus parente, tutorum curae traditus est, a quibus literarum studia relinquere jussus, mercaturae addiscendae operam dedit. Tutores enim patrimonii utilitati consulere putarunt, si propriis adolescens laboribus victum sibi compararet. Verum poenitentiae et pietatis exercitia nunquam reliquit, quibus mercatoris familiae, penes quam morabatur, exemplo et admirationi fuit. Beatissimam Virginem, quam sibi parentis loco elegerat, enixis precibus obsecrabatur, ut sibi perfectioris vitae tramitem praemonstraret. Nec vota in irritum cessere: cum enim quadam die impensius orationi vacaret, subita praedefuncti patris apparitione intelligit se ad coenobiticae vitae institutum Dei nutu vocari. Quapropter cognatis, amicis, patriae valedicens, longum asperumque iter Barcinonam versus pedes arripuit. Quo ubi tandem pervenit, Ordini Fratrum calceatorum SS. Trinitatis ad captivos redimendos nomen dedit, in quo sextumdecimum agens aetatis annum solemnia vota nuncupavit. At cum P. Joannem Baptistam a Deiparae Virginis Conceptione, in Beatorum album deinceps relatum, veterem ipsius Ordinis arctioremque Regulam instaurare comperiisset, Praesidum venia Pampelonam petiit, strictioris hujus instituti habitum ab

eodem Institutore accepit, et omnium admiratione tyrocinio expleto, nova in hoc Ordine edidit Vota. Arduum plane dictu est et cogitatu quanta in nova religiosae vitae palaestra fecerit incrementa virtutis, quaeque maturae sanctitatis ceteris argumenta reliquerit, quam ab ineunte usque aetate totis viribus inhiaverat.

Interea philosophicis ac theologicis disciplinis primum in Academia Beazensi, tum in Salmaticensi, Moderatorum jussu, sedulam navavit operam: cum autem et solertioris esset ingenii, et in assidua coelestium contemplatione rerum superno lumine perfunderetur, eos inde sapientiae percepit fructus, ut a praeceptoribus ipsis non semel in arduis ac difficillimis consuleretur quaestionibus. Obedientiae merito ad sacerdotium evectus, penitus Deo se se junxit, ac proximorum procurandae saluti prorsus devovit: quibus duobus tota constat perfectio sanctitatis et summa virtutis. Ac revera quod ad amorem Dei pertinet, eo cor ejus flagravit divinae caritatis incendio, ut crebris ac mirificis raperetur ecstasibus.

Quare cum aliquando in Salmaticensi Academia P. Antolinez ex Augustiniana familia virum doctissimum de Verbi Dei Incarnatione disserentem audiret, illico toto assurgens corpore in hujus contemplatione mysterii cunctis stupentibus tamdiu defixus haesit, quamdiu ipsius disserentis perduravit oratio. Alias cum haud procul a Coenobio cum confratribus de divina loqueretur bonitate, statim per aera volitans ejusdem Coenobii muros, nec non agrum densis contectum messibus transiliit, donec Ecclesiae januam ingressus Sanctam Eucharistiam adoraturus paullatim descendit.

Insuper cum cives Salmaticenses bacchanalium tempore turpibus diffluerent illecebris, hic Dei Servus per urbis vias cum Fratribus supplicationem instituens eo pervenit, ubi debacchantium magis clamor crebrescebat: tum Coenobii

Praefectus celsiorem ascendens locum, et crucem manu tenens ad poenitentiam populum excitare satagebat; cum subito raptus spiritu Michael, atque a terra sublatus, crucem Domini complectitur, ac toto concionis tempore, maxima omnium qui aderant cum admiratione et fructu, ita permansit. Praesertim vero sacrum faciens vel in sublime elevato calice rapiebatur, vel expansis manibus coelum ascendere videbatur, ita prorsus a sensibus abstractus, ut olim ardentem altaris cercum dexteram ipsius comburentem, nonnisi adstantium clamoribus excitatus animadverterit. Tantam B. Michaelis in Deum dilectionem impensa erga proximos sollicitudo cumulavit. Diu enim noctuque ad ejus inopiam sublevandam intendit. Moerentes solabatur; mulieres deperditas ad salutis tramitem revocabat; de infirmorum salute adeo sollicitus, ut quandoque eorum languores sibi tolerandos exciperet; in redemptione captivorum veluti praecipua sui Ordinis tessera plurimum adlaboravit; omnibus omnia factus, ut omnes Christo lucrifaceret. Hanc vero praeclarissimam in Deum ac proximum dilectionem sociae veluti atque administrae ceterae omnes in Michaele sunt comitatae virtutes. Ob frequentes enim illustrationes divina mysteria nedum fide, sed, quantum viatori licet, evidentia tenuit; rogatus siquidem aliquando quid experiretur in raptibus, *sentire se* respondit *in divinorum mysteriorum confirmatum veritate*. Spem similiter adeo coluit, ut beatorum gaudia praegustare videretur. Ingens vero perfectionis hujus aedificium in imo, ac solidissimo creverat humilitatis fundamento; cunctis enim se contemptibiliorem putabat, et divinos, quos experiebatur, afflatus pro viribus tegere satagebat. Obedientiae tantum merito Fratribus semel atque iterum praeesse adactus est. Arctissima praeditus paupertate per plures annos nec cellulam habuit, neque pulvinar ubi caput reclinaret. Christi mansuetudine indutus cum omnibus patiens fuit et misericors. Iis qui contume-

lias sibi, aut damnum intulerant, semper pro malo bonum reddidit. Invictam in adversis exercuit fortitudinem, quae tum maxime eluxit, cum ob Fratrum quorumdam invidiam et calumniis est obrutus, ac per summum nefas in carcere detrusus. Prudentissimus in aliorum regimine, sibi se judicem acerrimum, reliquis vero humanissimum patrem exhibuit.

Tam admirabilem vitae perfectionem innumerabilibus bonitatis suae donis misericors Deus ditatam voluit. Nam prophetiae afflatus spiritu plurima et loco, et tempore remotissima enuntiavit. Suis precibus non minus languentibus corporibus, quam populatis a locustis messibus tutamento fuit. In malignos spiritus formidabile imperium exercuit. Illo tandem divinae bonitatis praeclarissimo enituit prodigio, quo Christus ipse divini sui Cordis mysticam commutationem cum corde illius inire dignatus est. Verum cum hoc divinae caritatis incendium humanis majus esset viribus, ejus potius vi, quam morbo decubuit, et divinis recreatus mysteriis, octavo suae infirmitatis die ad coelum evolavit IV Idus Aprilis anni MDCXXV in Vallisoletano Coenobio, quod ipse mirabiliter divinis subsidiis aedificaverat. Dignus sane cui divina aptarentur eloquia: *consummatus in brevi explevit tempora multa;* vix enim tertium supra trigesimum ingressus annum divinae occubuit victima caritatis.

Statim ac per urbem rumor diffunditur B. Michaelem obiisse, permagna hominum multitudo ad eum visendum circumfluit; undique ejus insonat fama sanctitatis; mirandae memorantur ecstases; patrata adnumerantur mirabilia. Hinc parentalibus ei persolvendis non modo cujusvis ordinis cives, sed, quod nonnisi in regali funere consuevit, et proceres ac magistratus adfuere.

Paullo post ejus obitum ab Archiepiscopo Vallisoletano conditi sunt auctoritate ordinaria processus, quibus a Sacra

Rituum Congregatione approbatis, Urbanus VIII sa. me. Commissionem introductionis Causae signavit VIII Idus Februarii anni MDCXXVII. Literae datae sunt remissoriales ad processus in civitatibus Vallisoletana, Beazensi, Vicensi, et Matritensi auctoritate Apostolica instruendos. Quum anno MDCXXIX persoluta haec fuisset inquisitio, et Romam transmissa, tum in vulgus edita sunt Decreta Summi Pontificis Urbani VIII sa. me. quibus cautum erat *ne deinceps procedatur in Causis Servorum Dei nisi lapsis quinquaginta annis ab obitu illius, qui petitur Canonizari.* Quare oportuit ut Causa tam secundis auspiciis suscepta sisteret; neque de ea amplius actum est usque ad annum MDCLXXX.

Tunc cl. me. Cardinale Nortfolcia Relatore Sacra Rituum Congregatio decrevit, ut Causa isthaec resumpta juris ordine servato ageretur.

Dein processibus ad exitum perductis, de eorum validitate Decretum Nonis Februarii anni MDCLXXXIV ab eadem Sacra Rituum Congregatione latum est. At prius quam singulare virtutum examen institueretur, scripta Servi Dei diligenter sunt perpensa praeter tractatum *de animae tranquillitate,* qui inveniri haudquaquam potuit. Postea Congregatio Antipraeparatoria coram Causae Relatore Cardinale Zondadari collecta est XII Kalendas Augusti anni MDCCXXXIII. Deinceps ad difficultates a Fidei Promotore allatas facilius diluendas geminae habuere locum Praeparatoriae Congregationes, nempe V Kalendas Octobris anni MDCCXXXV et III Idus Maji anni MDCCXXXVIII. Quas demum subsequuta est Generalis Congregatio coram Benedicto XIV sa. me. in qua proposito Dubio de virtutibus Ven. Michaelis in gradu heroico, idem Summus Pontifex Eucharistico sacrificio religiosissime celebrato in Ecclesia S. Caroli ad quatuor fontes IV Idus Aprilis anni MDCCXLII anniversaria obitus ejusdem Servi Dei suam declaravit sententiam *Constare de Virtutibus Theologali-*

bus, et Cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico.

Diuturnum post temporis spatium, scilicet anno MDCCLXXVI per Postulatorem duo e processibus selecta fuere miracula ut Sacrorum Rituum Congregationis examini subjicerentur. X Kalendas Augusti an. MDCCLXXVI Cardinalis Boschius cl. me. penes se Congregationem Antipraeparatoriam habuit; item Idibus Januarii anni MDCCLXXVIII Praeparatoria Congregatio apud Vaticanum habita est. Postremo, sexto elapso mense, V Kalendas Augusti coram Pio VI Pontifice Maximo sa. me. Generalia convocata sunt Comitia. Summus ille Pontifex postquam Patrem Luminum enixe exorasset III Kalendas Octobris, qui dies Archangelo Michaeli sacer est, et Servi Dei nativitatis anniversarius, iterum in Ecclesia S. Caroli ad quatuor fontes Decretum tulit *Constare in tertio genere de primo Miraculo instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Aegidii Gil a tumore canceroso in mamma: Ac de secundo repentinae integraeque sanationis Alphonsi Ottero Grassal ab humeri fractura.*

Tandem Comitiis iterum Generalibus indictis VIII Kalendas Decembris ejusdem anni, in quibus discuteretur Dubium *An tuto procedi possit ad hujus Servi Dei Beatificationem*, cum omnes Patres Cardinales et Consultores in affirmativam ivissent sententiam, idem Summus Pontifex Pius VI sa. me. VI Idus Decembris die Immaculatae Deiparae Conceptionis Festo alterum edidit Decretum, nempe *Tuto procedi posse ad ejusdem Servi Dei Beatificationem.* Quae postea solemnis coeremonia, datis Literis Apostolicis in forma Brevis, maximo apparatu in Vaticana Basilica celebrata est VI Nonas Majas anni MDCCLXXIX.

Postquam Altarium honores Beato Michaeli decreti fuere, novis ipse coepit coruscare prodigiis, quibus cunctis satis apparebat hunc majori honore dignum censendum,

quem Rex Regum sic honorare voluerat. Quapropter instructae iterum sunt juridicae tabulae de duobus miraculis post indultam venerationem ejus ope patratis. Haec fuerunt miracula.

Primum patratum est sub initio mensis Maji anni MDCCLXXX cum in urbe Granatensi apud Ecclesiam Fratrum discalceatorum Ordinis Sanctissimae Trinitatis solemnia agerentur ob coelitum honores Beato Michaeli attributos. Nam Francisca Navarrete-y-Sanz annorum sexaginta quatuor canceroso tumore exulcerato in inferiori parte linguae ita decem inde annis laboraverat, ut nec cibum capere posset, cum morbus totam oris cavitatem obstruxisset; quapropter a medicis derelicta B. Michaelis suppetias imploravit, et novendiali supplicatione ad ejus honorem absoluta, statim tumor cancerosus absque ullo artis chyrurgicae medio ab ore prolabitur, nec ullum ibi aliquot teterrimi ulceris vestigium permansit.

Alterum vero splendidius, intercessione B. Michaelis, miraculum accidit anno MDCCCXXX. Frater Joannes Baptista a Sanctissima Trinitate laicus professus in eodem Ordine discalceatorum aetatis suae anno vigesimo quarto apud S. Mariam de Fornacibus quotidianae stipi quaeritandae a Coenobii Praeside addictus est. At laboribus, aerisque insalubritate attritus in febrim incidit, quae continuo cum discrucians medicos edocuit aegrotum pulmonari tabe laborare. Tertio vero Nonas Martias anni MDCCCXXX eo morbus processerat, ut in discrimen vitae adductus, Sacra Eucharistia refectus, et oleo infirmorum inunctus, vitae extremum jam attigisse videretur. Et jam ejusdem diei secunda post meridiem hora praeterlapsa, illico se ad B. Michaelis opem implorandam sensit excitatum; hinc subito ejus arripiens imaginem, et infirmo applicans pectori promisit, se undique stipem, si mortem sanus evasisset, corrogaturum, ut ei Sanctorum tribuerentur honores.

Mirabile dictu! inchoatam adhuc non expleverat precem, et se jam integrum et salvum, acutis depulsis doloribus, anhelituque remisso persensit. Quapropter e lectulo statim prosiliens, propriis resumptis vestibus, templum adjacens petiit festinans, et ante B. Michaelis aram provolutus, lacrymarum vim profundens, sospitatori suo gratias egit ex animo. Eum vespertinis exactis precibus e choro egredientes Fratres viderunt, et sibi redivivum hominem cernere visi sunt. Coenobii Praeses, ut evidentius pateret miraculum, sanatum jussit ad officinam medicamentariam se se ferre, quae adjacet templo Mariae Deiparae nuncupato trans Aelium pontem, et longe distat a Claustro, ibique se medico sisteret. Hic Fratrem Baptistam aspiciens, cui etiam, prorsus depulsa macie, naturalis color, et in membris vigor redierat, vehementer expavit, idque coelesti portento adscribendum esse palam enunciavit. Hinc Vaticanam invisit Basilicam, et domum se recipiens in domestico perambulabat horto, simul suo Praesidi affirmans, se ita experiri comparatum viribus, ut adhuc longum iter suscipere posse confideret. Hic sane Frater, triginta licet ac duobus jam elapsis annis, adhuc vivit, et bona utitur valetudine.

Quapropter absoluta juxta Apostolicas leges Inquisitione ter de more prodigiosae hae sanationes solertissimo examine expensae sunt in Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis, et praesertim in postremis Generalibus coram Gregorio XVI. sa. me. in Palatio Apostolico Vaticano habitis VIII. Kalendas Junii an. MDCCCXLI. Idem Summus Pontifex XI. Kalendas Septembris ejusdem anni decrevit *Constare de duobus Miraculis tertii generis intercessore Beato Michaele a Deo patratis*, scilicet de primo *Repentinae perfectaeque sanationis Franciscae Navarrete-y-Sanz ab inveterato tumore canceroso exulcerato in inferiori linguae parte*; et de altero *Instantaneae perfectaeque sa-*

nationis Fratris Joannis Baptistae SS. Trinitatis a phtysi pulmonari viribus illico restitutis.

Quod autem supererat, ut scilicet ad summum gloriae fastigium coelitibus datum extollerctur B. Michael de Sanctis, id ab Aeterna Dei Providentia Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX reservatum fuit. Siquidem Generalia Sacrorum Rituum Congregationis Comitia coram Sanctitate Sua coacta sunt in Palatio Vaticano III Nonas Septembris anni jam elapsi MDCCCLXI in quibus proposito Dubio per Reverendissimum Cardinalem Ludovicum Altieri Episcopum Albanensem Causae Relatorem *An stante approbatione duorum Miraculorum post indultam Venerationem Tuto procedi possit ad Solemnem Beati Michaelis de Sanctis Canonizationem,* omnes qui aderant uno ore *Tuto procedi posse* responderunt.

Tandem Sanctissimus Dominus Noster, postquam effusis precibus sibi a Divina Sapientia auxilia comparaverit, Quintodecimo Kalendas Octobris ejusdem anni, qua die Beato Francisco coelitus impressa stigmata recoluntur, in Sacrario Ecclesiae S. Mariae in Ara Coeli adstantibus Reverendissimis Cardinalibus Constantino Patrizi Episcopo Portuense et S. Rufinae Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et Ludovico Altieri Episcopo Albanense Causae Relatore, nec non R. P. D. Andrea Maria Frattini Sanctae Fidei Promotore, et Dominico Bartolini ejusdem Sacrae Congregationis Secretario, Acta haec exarante, solemniter decrevit, *Tuto procedi posse ad Canonizationem Beati Michaelis de Sanctis;* plumbique sphragide munitas Literas expediri jussit de Canonizatione in Patriarchali Basilica Vaticana pro tempore celebranda.

Quae tot votis expetita ut demum perficiatur Universus SS. Trinitatis Fratrum discalceatorum Ordo etiam atque etiam efflagitat.

Verum juxta Summorum Pontificum Sanctiones Consistorium publicum primum sibi locum vindicabat, in quo Consistoriales

Aulae Advocati discrtissimis Orationibus Beatorum Canonizationem instantius expeterent. Decrevit itaque Sanctitas Sua Consistorium hoc Idibus Maji convocandum, missa prius per Cursores unicuique Patrum hujusmodi Scheda.

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria V. die 15 mensis Maji anni 1862 *hora decima ante meridiem* in aula regia Palatii Apostolici Vaticani erit Consistorium publicum pro futura Canonizatione Beatorum Petri Baptistae cum viginti duobus sociis ex Ordine Minorum S. Francisci, et Pauli Miki cum aliis duobus e Societate Jesu Martyrum Japonensium; atque B. Michaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum Confessoris.

Emi ac Rmi DD. Cardinales convenient in aulam paramentorum, ibique Summi Pontificis adventum expectabunt, ex qua Sanctitatem Suam comitantes ad praefatam aulam regiam procedent.

Praestita obedientia Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. ab Emis et Rmis Dominis, D. Franciscus Morsilli sacrae consistorialis aulae Advocatus referet martyrium, causam martyrii, et signa viginti sex martyrum, qui superius commemorati sunt, atque pro illorum canonizatione de more instabit.

Deinde vitam, virtutes et miracula Beati Michaelis narrabit D. Advocatus Joannes Baptista De Dominicis-Tosti, qui pro canonizatione pariter instabit.

Demum R. P. D. Lucas Pacifici Apostolicarum literarum ad principes Secretarius, DD. Advocatis in genua provolutis, Sanctitatis Suae nomine, stans a sinistro pontificii solii latere cappa indutus, respondebit.

Ideo intimentur omnes, et singuli Emi et Rmi DD. Cardinales, ut hora praefata ad memoratam aulam paramentorum accedant cappis *violaceis* induti.

Intimentur etiam Rm̃i DD. Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Vice-Camerarius, Princeps solii, R. C. A. Auditor et Thesaurarius, Antistes Pontificiae domui praepositus, Senator et Conservatores Urbis, Magister S. Hospitii, ac Priores Collegiorum omnium tam Praelatorum, quam Officialium, ceterique intimari soliti, qui Collegas suos admoneant, ut cappis de more induti, una cum sacrorum rituum Congregationis Secretario, Fidei Promotore, et Advocatis Consistorialibus in publicum Consistorium conveniant.

De Mandato SSm̃i D. N. PAPÆ

ALOISIUS FERRARI PROTON. APOST. CAEREM. PRAEFECTUS.

In Vaticanis aedibus Aula Regia amplitudine, magnificentia ac celebritate praefulget; ad quam per magnos Berninianae Scalae gradus patet ascensus. Ejus parietes vario marmore ac illustrium virorum picturis exornatae ad laevam ingredientium et ad dexteram utrique Sacello Paulino nempe et Xistino aditum praebent. In primo Sacello a Paulo V. Pontifice Maximo extructo augustissimum Eucharistiae Sacramentum quotannis solemniter fidelium venerationi exponitur. In altero vero quod a Xisto IV. Pontifice Maximo fundatore nomen habet Pontificiae Cappellae celebrantur. Ante valvas Paulini Sacelli super gradibus coccineo panno obtectis Summi Pontificis eminebat sedes, quae rubra cooperiebatur veste serico auroque contexta; ejus postica pars parieti adhaerens ditissimo atrebatico obtendebatur tapete; qui allegoricam de virtutibus Leonis X. Pontificis Maximi pictoris eximii Raphaelis Sanctii praeferebat grafidem; nempe Providentiam ad orbis gubernaculum sedentem, cui Justitia, et Caritas ex utroque adstabant latere; inferius leones cubantes paria Ecclesiae unguibus sustentabant vexilla; desuper ex eodem atrebatico opere pendebat umbella. Cardinalium sedilia aulaeis atrebaticis ornata hinc inde de more posita erant, aequo tamen spatio a solio Pontificali relicto, viridique panno contecto. Scabella pro Cardinalibus Diaconis adsistentibus hinc inde ad sedem posita erant. A tergo sedilium sacri Senatus scamna sive dorsalia pro Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis disposita erant. In extrema aulae hujus parte sive e sedis Pontificalis conspectu pulpita (vulgo *palchi*) in gyrum erecta erant pro Principum Legatis, aliisque nobilibus viris, et matronis. Milites Helvetii custodiebant Consistorii

aulam, nec non alteram Ducalem ne nimis ab ingenti confluentium multitudine occuparentur, atque ut transitus Dominis Cardinalibus ac Praesulibus libere pateret.

Jam Reverendissimi Patres Cardinales, ceterique qui in Consistorialibus actionibus locum habent in Aula paramentorum, ita dicta quia summi Pontifices Sacra in ea paramenta sumere consueverunt, coadunati Sanctissimi Domini expectabant adventum. Stata hora Summus Pontifex aulam ingressus est, sumptaque prius in proximiori cubiculo *Falda*, magno scilicet serico vestimento albi coloris, quod a femore ultra pedes amplissimo syrmate circumquaque protenditur, ad lectum paramentorum accessit : ubi Cardinalium Diaconorum adsistentium ministerio vestes induit Pontificales, nempe Amictum, Albam, Cingulum, Stolam rubram, et Pluviale similiter rubrum auro illitum, quod ante pectus Formalio vel Rationale gemmis pretiosis distincto firmavit, mitraque ex auro texta caput cooperuit. Cum caeremoniarum Praefectus per verbum *Extra* omnes inde egredi admonuisset, statim Eminentissimi ac Reverendissimi Patres Cardinales Cappis violaceis super vestes purpureas induti post Crucem hastilem a R. P. D. Rotae Auditore Subdiacono Apostolico delatam bini incedere coeperunt. Sanctissimus Dominus sellam gestatoriam conscendit, quae jam in medio Aulae Ducalis in promptu erat, quamque octo ex suis parafrenariis sago rubro amicti in altum delatam ad aulam Regiam detulerunt. Sella gestatoria relicta Sanctissimus Pater sedem Pontificalem ascendit, et sedens Eminentissimos Patres ad *obedientiam* per osculum manus recepit. Cardinalibus ad propria subsellia reversis, ceterisque locum assignatum tenentibus Praefecti caeremoniarum nutu subscriptus Sacrorum Rituum Congregationis secretarius, R. P. D. Andreas M. Frattini Sanctae Fidei Promotor, R. D. Petrus Minetti Fidei subpromotor et ejusdem Congregationis Assessor, ac omnes Advocati Consistoriales ante solii Pontificii gradus constiterunt. Postquam genua ante Pontificem flexissent surgentes, in modum hemicycli se se composuere. Dein R. D. Franciscus Morsilli Advocatus et ipse Consistorialis inter Sacrorum Rituum Congregationis secretarium et Promotorem Fidei stans de Beatis Martyribus Japonensibus ornatissimam hanc Pontifici habuit Orationem.

Quod unum gloriosis Pontificatus Tui gestis, Beatissime Pater, deficere hactenus sentiebamus, id divina Providentia factum admiramur luctuosissimo hoc tempore, quo per amaritudinem suam amarissimam, per flagitiosissimos,

atque impudentissimos nempe homines, qui catholico nomine immerito gloriari audent, Ecclesia Dei super iisdem propter omnium scelerum maturitatem vel in cultissimis Italiae nostrae regionibus, et super illis praesertim lugere cogitur, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, atque alíus exempli martyrium, horrore quidem mitius, sed diuturnitate molestius, invicto et alacri tolerant animo.

Hinc peropportune, et summa bonorum omnium laetitia accidit, ut hoc eodem tempore sex supra viginti Martyrum per Te ab ipsa Ecclesia invictissima praedicetur atque imitanda proponatur patientia.

Ego vero tametsi in amplissima hac, quam assequutus sum provincia, plus oneris reperiam quam me ferre posse intelligam, tamen intra eos fines coercenda mihi narratio erit, quos et ingenii mei tenuitas, et sex supra viginti Martyrum necessaria numeratio, et cognitio, reique tandem necessitas pertingere jubet. Hinc parcendum si longius quam par esset protrahatur oratio.

Postquam Indiarum Apostolus S. Franciscus Xaverius in Japoniam Christianam invexerat fidem, eamque multis confirmarat signis, et magnam populi copiam, complures quoque illius ditionis reges per sacrum lavacrum Ecclesiae catholicae pepererat; ibique per quadraginta annos Christi Religio longe lateque esset diffusa, antiquus humani generis hostis cum tantam Christi fidei dilatationem nullatenus ferre posset, eam funditus evertere, radicitusque destruere impense est molitus.

Quamobrem, per plus sceleris ac impietatis, quam infimae plebis generis, quemdam suscitavit Faxibam vel Taicosamam, qui exordiretur ab insidiis et regicidio, ut totius Japonensis imperii summa potiretur.

Hic ad imperatoriam evectus dignitatem, paulo post naturalem prodiens feritatem jussit: Missionarios omnes Japoniae excedere finibus: cunctos Japonenses qui novam

amplexati fuerant religionem ad veterem patriam illico redire; sacras aedes omnes diripi ignique tradi. Plures quoque ex nobilioribus viris pepulit in exilium.

Tempore hoc Hispaniarum Rex in Japoniam ad Taicosamam Legationis nomine misit Fratres Petrum Baptistam Legatum, et Commissarium, Bartholomaeum Ruiz, Franciscum de Sancto Michaele, et Gonzalvum Garcìa laicum, quippe qui Japoniae calleret idioma, omnes ex Ordine Minorum observantiae S. Francisci discalceatorum.

Hi eo laetanti, et alacri animo suscepere munus, ut occasionem inde arriperent Christi evangelium ibidem praedicandi. Quare Manilia solventes die vigesima sexta Maji anni 1593 ad Japoniae littora appulerunt, et statim Taicosamam tunc Nancojae commorantem adivere. Communicatis hinc inde per interpretem variis sententiis, Fratres veniam ab Tyranno petiere Meacum, et Ozacam praecipuas Japoniae invisendi urbes. Tyrannus hujusmodi postulationem aequi bonique faciens annuit, et imperialibus expensis de more ali jussit. Dein iisdem facultatem quoque impertivit Meaci domicilium sibi aedificandi, ea tamen adjecta conditione, ne Japonensibus christianam legem praedicarent.

Quoniam vero et Coenobium, et Ecclesiam, et duo pro infirmis valetudinaria cito construxerant, cumque plures Meaciani cives etiam ethnici confluerent, illa Christi qua jamdiu ardebant caritate, et animarum salutis zelo succensi in eadem Ecclesia continuas conciones habere coeperunt, quarum ope et uberem colligebant fructum, et quotidie magis augebatur credentium numerus.

Hinc Bonzi implacabili odio, et pharisaicam aemulantes perfidiam, adhibitis etiam machinationibus, apud meacianum Praesidem sunt conquesti, tum quia cives summopere Fratrum caritatem admirantes illos maxime venerabantur ac sequebantur, tum quia, quod erat potissimum, ipsi populi obsequio, et oblationibus destituebantur.

Quamvis Fratres ab ipso ethnico Praeside, Christianis minime adversante, amice monerentur, ut ab iis abstinerent, eo praesertim timore, ne Imperator jam editum persecutionis renovaret edictum, tamen Petri, ceterorumque Apostolorum moniti memores « *oportet obedire Deo magis quam hominibus;* » et ingenti gaudio quotidie cernentes maximum laborum suorum in vinea Domini fructum, nedum non destitere, verum etiam postquam alios laborum socios e Philippinis insulis adscivere Fratres Franciscum Blanco, et Martinum ab Ascensione, alteram Ozacae aedificarunt, et aperuerunt domum Bethlehem appellatam, et tertiam quoque, Lusitanorum et Hispanorum impensis, extra moenia Nangasaqui urbis prope sacellum Sancti Lazari.

Quae omnia cum turpi Bonzorum delatione rescivisset Imperator, se a Fratribus illusum existimans, immoderato, sed naturali incensus furore decretum renovavit, quo tum praedicantes, tum baptizati mortis poena plectebantur. Vix ac hujusmodi urgentis decreti renovatio Bonzis et satellitibus innotescit, illico et domum, et Ecclesiam Meacianam undique circumveniunt. In ea, divino sane consilio, nedum omnes omnino Fratres vespertinas preces recitantes, verum etiam nonnullos alios ad fidem conversos, baptizatos, et in tertium S. Francisci Ordinem adlectos invenere. Hi omnes numero tres, et viginti die 13 Decembris anni 1596 comprehenduntur, devinciuntur, et in carcerem detruduntur. Comprehensi quoque eodemque modo habiti sunt tres de inclyta Societate Jesu, quorum omnium Martyrum nomina, patriam, et conditionem dumtaxat recensere temporis angustia sinit.

Et primus quidem ordine, et dignitate occurrit Frater Petrus Baptista Legatus, et Commissarius annorum circiter quinquaginta natione hispanus nobilibus ortus parentibus in Castro S. Stephani Dioecesis Abulensis. Hic per eam eximiam qua pollebat et virtutem, et doctrinam praedicationis mu-

nere, quod suis humeris obedientia imposuit, nedum devios quamplures ad Deum adduxit, verum etiam infidelium salutis flamma summopere ardens, novam primum petiit Hispaniam, dein ad Philippinas transmeavit Insulas.

Natione quoque hispanus, et nobili genere natus Frater Martinus de Ascensione vel de Aquirre annorum triginta et alter de Legatione, Philosophicis, ac Theologicis scientiis optime praeditus in academia Complutensi. Adhuc adolescens avitis opibus, et mundanis omnibus valedicens ad Minores discalceatos convolavit. Penes hos vix solemnia nuncupavit vota, et Sacerdotio fuit initiatus bellum sibi acerrimum indixit, et omnium poenarum genere corpus suum excruciavit. Martyrii desiderio vehementer flagrans Mexicum primum, dein Maniliam petiit.

Frater Franciscus Blanco Sacerdos, et Concionator natione hispanus dioecesis Ovetensis nomen primum dedit Ordini Minorum de observantia, dein inter discalceatos Fratres cooptari voluit. In utroque tamen eximiae virtutis reliquit exempla. Japoniam petens, utpote idioma illud optime callens, ibi statim proximorum aeternae curandae saluti se totum dedit.

Frater Philippus a Jesu alias de las Casas clericus acolytus annorum vigintitrium in Mexico ex nobilibus hispanis parentibus Alphonso de las Casas, et Antonia Martinez natus Angelopoli inter Fratres discalceatos Sancti Francisci fuit exceptus. Sed sumpto habitu diabolicis suggestionibus, mundique cedens illecebris, a Coenobio abiit. Verum post biennium facti poenitens, Maniliae rursus eumdem sumpsit habitum et solemnia emisit vota. Divino sane consilio factum, ut cum Mexicum aventes parentes visurus peteret, in Urandum Tozzani Japoniorum portum tempestatis vi jactaretur, ubi a P. Petro Baptista Commissario humaniter exceptus, et apostolicum ministerium exercens cum ceteris sodalibus comprehensus fuit.

Frater Franciscus de S. Michaele laicus professus alter de legatione hispanus annorum quinquagintaquatuor. Primum S. Francisci de Observantia habitum induit, dein paucos post annos ad ejusdem Ordinis Fratres discalceatos transiit. Mexicum novamque Hispaniam, et Chichimecarum peragravit regionem, ubi male exceptus, et contumeliis affectus, ad Philippinas insulas cum Patre Petro Baptista se contulit. Ibi adeo inculpatam gessit vitam, ut gentes in sui admirationem attraxerit. Maximis quoque charismatibus ejus sanctitatem Deus testatam voluit.

Frater Gundisalvus Garzìa laicus professus Bazani in Indiis orientalibus parentibus Lusitanis ortus est. Tertio aetatis suae lustro Societatis Jesu Patribus Japoniam pergentibus veluti comitem se addixit, ubi illius regionis idiomate edoctus neophytis instruendis a praedictis Patribus deputatur. Multos inter ceteros devicit, et ad Christi fidem convertit Bonzos. Octo post annos Maniliam rediit, et discalceatorum S. Francisci institutum est amplexus, sacra vota nuncupavit in manibus Patris Petri Baptistae, a quo Legationis suae interpres, et comes designatus est.

Paulus Miki Japonensis de inclyta Societate Jesu, nobili genere natus tertium supra trigesimum annum agens. Tametsi nondum Sacerdos, nullis tamen parcens laboribus, tum scriptis libris, tum voce, tum exemplo plures e suis concivibus partim a vitiis ad virtutem, partim ab errore ad veritatem jam traduxerat. Hos inter alter de Imperialibus Praesidibus, et octo de custodibus Ozacensis, et Meacensis carcerum sunt recensendi.

Didacus seu Jacobus Kisai Japonensis e Societate Jesu. Hic Christi Athleta quamvis quartum supra sexagesimum explesset annum, et Cathechistae munus impense exerceret, tamen rem quoque domesticam eximia humilitate, et singulari patientia curabat. Patientis Christi poenas quarum

participipem se fore futurum praesentiebat assidue recolebat, eisdemque mirum in modum excitabatur.

Joannes Soan seu de Goto, quippe ex hac Insula oriundus, Japonensis e Societate Jesu cum unum supra vigesimum ageret annum literarum studiis dabat operam ac divinae legis elementa explicans, obeundis olim evangelicis ministeriis proludebat.

Paulus Suzuqui Japonensis oriundus ex Oari tertii Ordinis S. Francisci. Hic pro erudiendis neophytis plura Japonensi idiomate scripsit opera. Totum se addixit Fratrum hospitali, ubi assidue summaque caritate infirmis inserviebat. Fuit quoque Fratrum interpres.

Admirabilis Juvenis Gabriel a Duisco ex Regno de Ize tertii Ordinis et Fratrum discipulus, qui vix decem et novem annos natus pro Christo martyrium pati voluit.

Joannes Quizuya Meacensis civis, quamvis recenter sacro fuisset ablutus lavacro, tamen tertium Ordinem amplecti, et martyrium seligere voluit.

Item Thomas Danchi de Ize oriundus ex urbe Meaci tertii Ordinis, qui fuit quoque Fratrum interpres.

Franciscus Meacensis civis, princeps medicus tertii Ordinis qui cum fere omnes ingentes suas opes Fratribus esset elargitus pro construendis Coenobiis, hospitalibus, et pro piis aliis operibus, quosdam etiam conscripsit tractatus pro Christiana tuenda Fide. Fuit quoque Fratrum interpres.

Thomas Cosaqui Japonensis annorum quindecim tertii Ordinis, qui Fratribus Sacra peragentibus erat ministrans.

Joachim Saquijor Japonensis oriundus ex Usaca tertii Ordinis hospitalis servitio, ac Fratrum parandis cibis addictus.

Bonaventura, aut Ventura Japonensis ex Meaco tertii Ordinis. Hic cum adhuc puer sacro baptismate esset renatus, parentibus dein orbatus ad idolorum cultum redivit. Sed

cum a Fratribus scivisset onera quibus per Baptismum se Christo devinxerat, statim cum Christo se reconciliavit, neque amplius ab Fratrum latere divelli est passus, et continuo illis inservivit.

Leo Carazuma Japonensis ex nobilibus parentibus Oari natus tertii Ordinis, et praecipuus Fratrum interpres.

Aderat et alter Mathias Japonensis ex urbe Meaci tertii Ordinis, qui cum Martyres caperentur in alterius tunc absentis Mathiae locum suffectus est, et illius rapuit martyrii coronam.

Adolescens annorum tredecim Japonensis Nangasachanus nomine Antonius natus ex patre Chino, et matre Japonensi tertii Ordinis, Scholaris, et Patri Petro Baptistae Commissario in Missae Sacrificio ministrans.

Duodecim annorum puer Ludovicus Ibarchi Japonensis ex Oari Beati Pauli, quem mox nominabimus, nepos, qui paucis abhinc mensibus erat baptizatus et in tertio Ordine adscriptus, Fratrum scholaris, et illis in Missae Sacrificio inserviens.

Paulus Yuaniqui Ibarchi Japonensis ex Oari germanus Beati Leonis, de quo superius, recenter baptizatus, tertii Ordinis, vicinus, et interpres Fratrum.

Michael Cozoqui oriundus ex Regno Ize Japonensis tertii Ordinis, vicinus, et familiaris Fratrum.

Cosmas Raquisa Japonensis ex Regno Oari Meaci degens parentibus genere, et opibus clarus recenter baptizatus et in tertio Ordine adscriptus.

His omnibus numero viginti quatuor sunt addendi, et duo alii, nimirum Petrus Sequcixein et Franciscus Fahelante unus Meacensis, et alter Campiutensis civis, qui cum Fratribus in vinculis administrarent, a custodibus illorum martyrio adaucti sunt.

Nil porro est cur defatigemur in disquirenda horum omnium martyrii causa. Immanis siquidem tyrannus eam

cum Martyrum numero nitide legendam praebet in sua feroci sententia his concepta verbis « *Postquam Imperator annis praeteritis prohibuit legem, quam Patres docent, nonnulli Patres qui vocantur Legati Luzoni et habitant in Curia, et praedicant dictam legem, ideo ipsi cum Japonensibus ad eorum legem conversis condemnantur qui simul sunt numero vigintiquatuor, crucibus affigetis Nangasaqui. Et quia in futurum sua Majestas iterum, et cum majori rigore prohibet hanc legem, hoc scitote, et jubete quod cum rigore servetur istud mandatum. Et si forsan aliquis dicto mandato contraveniet, ipse contraveniens cum tota illius generatione mortis poena puniatur. Datum die vigesima lunae undecimae primi anni aetatis vocatae Eviocho.*

Hujusmodi prolata sententia, et in frequentioribus urbis Meaci affixa, sequenti mane omnes descripti viri fortissimi manibus post terga revinctis, et pedites ad quamdam Meaci plateam trahuntur, ubi singulis auris sinistrae particula resecatur: terni vehiculis imponuntur, et Meacum circumducuntur. Tandem in eumdem iterum detruduntur carcerem.

Postero die, nempe tertia Januarii, tyranni jussu omnes jumentis impositi Ozacam traducuntur, ibique per vias ignominiose ad spectaculum proponuntur. Idem Sacajo, quo deferuntur, peragitur. Ex hac urbe discessere die 9 Januarii. In omnibus locis Christi Athletas praeibat sententiae praedictae exemplar ligno superpositum. Postremo Januarii die Facatam pervenerunt, inde disceditur, et Kalendis Februarii venitur ad locum Carazu appellatum, ubi Fazamburus principalis sententiae executor eos praestolabatur cum satellitibus. Longum postea aggrediuntur iter per Regnum Figen. Cum vero viri isti fortissimi intellexissent ad martyrium faciendum sese propius accedere, ab Zucasachio Sinonchum usque, qui ab Nangasaquio octo vel

novem distat leucis, iter pedites conficere maluerunt, licet abrepti frigore.

Hocce confecto itinere antequam navim conscenderent omnium manus, Minoribus Fratribus exceptis, post terga revinciuntur, eisque collo injiciuntur funes. Una, et integra nocte algenti brumae sub dio in ipso navigio exponuntur.

Tandem Nangasaquium designatum martyrii locum pervenere.

Inter cetera illud unum silentio tegere haud valeo memoratu dignissimum, quod Ecclesia nostra Catholica dumtaxat frequenter renovat excelsae fortitudinis exemplum. Antonio adolescenti annorum tredecim in itinere cum obviam venissent parentes, eumque blanditiis allicerent, lacrymisque mollirent ut Christi fidem desereret, iis ille novo constantiae, et fortitudinis exemplo hisce restitit verbis: « *Quae mihi promittitis omnia terrena sunt, et transitoria, quae vero Christus mihi repromisit aeterna sunt et coelestia* ». Post haec, dimissa veste qua operiebatur parentibus, addidit « *Ecce vestem quam mihi dedistis vobis restituo;* » et ita nudus, ac laetus ad paratam sibi crucem properavit, eamque amplexatus ac pluries deosculatus *Te Deum* intonuit.

Tandem ipse cum ceteris omnibus sociis cruci affigitur, quae singulis extra Nangasaquium in quodam colle quasi in Calvariae loco erat parata, et omnes in altum elati Christi fidem praedicare haud cessabant. Immo Paulus Miki e Societate Jesu dum e Cruce pendebat quasi e triumphali cathedra, stimulante Dei caritate ad circumfusam multitudinem nativa sua eloquentia nedum pro Christiana Religione perorabat, verum etiam coram et laetanter sibi gratulabatur quod in Cruce uti Christus Dominus, et eadem aetate supremum obiret diem.

Singuli denique ab imis lateribus ad humeros binis transfossi lanceis victrices animas coelo inserendas emisere

die quinta Februarii anni millesimi quingentesimi nonagesimi septimi. Eorum corpora satellitibus custodienda tradita duobus mensibus in patibulis suspensa remanserunt.

Horum Athletarum Sanctitatem multis signis vel ipsis gentilibus testatam voluit Deus. A die siquidem comprehensionis usquedum ad martyrii locum pervenerunt magnus apparuit cometes crinibus ad crucium modum redimitus, qui singulis noctibus ab Insulis Philippinis Nangasaquium usque extendebatur. Sancti Francisci Assisiensis imago in Fratrum Ecclesia exposita post Martyrum capturam sanguinem exsudavit. Mulier infidelis loquela, et aliis corporis sensibus destituta, ad tactum crucis Beati Petri Baptistae adhuc viventis, et funibus tantum suspensi, incolumis evasit, et baptismum illico petens ab eodem Beato recepit. Post Martyrum obitum trium horarum spatio in urbe Meaci magnus factus est terraemotus, quocirca nonnulla idolorum corruere fana, eamdemque urbem invasit aquarum ex imbribus inundatio. Ex Beati Petri Baptistae triduano corpore sanguis copiose effluxit. Omnium Martyrum corpora, licet duobus mensibus in cruce pependissent, eorum tamen vultus viventium referebant speciem.

Mascangues illius regionis aves rapaces damnatorum corpora dilaniare eorumque carnibus vesci solentes horum tamen corpora summa omnium admiratione et stupore nullatenus tetigere.

Pater Petrus Baptista bimestri illò pluries visus est, derelicta cruce, Missam celebrare in Ecclesia Nangasaquensi inserviente adolescente Martyre Antonio alba induto veste. Fuit testis ocularis qui celebrantem Beatum ejusque crucem interim vacuam, et rursus in sua cruce pendentem suspexit, quod custodes, et satellites saepissime fieri confirmarunt. Fuit quoque qui suis haud credens oculis de Ecclesia ad Beati crucis locum celeriter convolaret, ibi celebrantem illum, hic vacuam aspexit crucem.

Jam vero cum horum omnium tum martyrium, tum martyrii causa undequaque constet; cum tot signis horum sanctitatem Deus ipse testatam voluerit, quid igitur est reliqui, Beatissime Pater, nisi ut Tu ea qua divinitus polles suprema auctoritate omnes hos Christi Athletas Martyrum agmini solemni ritu, et pompa adscribas, et Ecclesiae Catholicae in tot angustiis et persecutionibus versanti nova haec praesidia adjungas? Pro hoc enixe rogant gentes, humillime deprecatur universus Seraphicus Ordo, et inclyta Societas Jesu, quibus adduntur vota universae Christianae Reipublicae.

FRANCISCUS MORSILLI S. C. ADVOCATUS.

Cum absolvisset Advocatus Morsillus de Beatis Martyribus Japonensibus Orationem, genuflectens Pontificem salutavit, et recessit. Tunc alter de Advocatis Consistorialibus Dominus Joannes Baptista De Dominicis-Tosti hanc de Beato Michaele de Sanctis Orationem tulliano stilo persimilem texuit.

« *Ex eorum numero,* Beatissime Pater, *qui coelestem* « *possident patriam, nonnullorum fidem et merita in Ec-* « *clesia militanti, miraculis aliquando signisque declarat* « *Deus, ut catholici mentis torpore discusso, ad boni* « *operis excitentur justitiam, haeretici errore dimisso,* « *ab invio reducantur ad viam, Judaei et Pagani, vero* « *lumine cognito, de tenebris et umbra mortis currant* « *ad Christum lucem, viam, veritatem et vitam;* prout totidem fere verbis in Literis Canonizationis Sancti Laurentii Archiepiscopi Dublinensis Summus Pontifex *Honorius III.* sapienter eloquebatur.

Ad inclytum istorum coelitum chorum pertinet Venerabilis Dei Servus *Beatus Michael de Sanctis* de quo mihi hodierno die habenda oratio est, in hoc amplissimo quidem loco, coram principe totius orbis terrae consilio, coram

Pontifice Maximo catholici nominis patre ac magistro, de cujus laudibus, ob praeclara praesertim ejus in christianam rempublicam merita, nulla unquam aetas conticescet.

Quocirca, dum eo mihimetipsi ex animo gratulor, quod causam hanc perorandi mihi prae ceteris facta potestas fuerit, eo simul vehementer doleo, quod pro mearum virium tenuitate, illo eloquentiae genere uti non possim, quod loci amplitudo, quod diei sollemnitas, tot tantorumque virorum coetus, veneranda Pontificiae majestatis praesentia, nec non coelestis clientis virtutes ac merita postularent. Verum, Beati Michaelis vitae rerumque gestarum historiam facturus, vel potius in compendium relaturus, id profecto assequar, ut ingenii mei exiguitas, et eloquentiae defectus, insignium illius meritorum copia suppleatur.

Urbe Vichensi, quae in Catalaunia Hispanici Regni provincia sita est, ab Henrico Argemir et Margarita Monserrada conjugibus commemorabili pietate praeditis, Anno reparatae salutis millesimo quingentesimo nonagesimo primo Michael in vitales auras prodiit. Ei, dum salutifera baptismatis ablueretur unda, inditum fuit Michaelis nomen, eo quod frui hujus vitae usura coepisset eo die, quo Angelorum coelestium principi ac daemonum potenti, sollemnia peragebantur. Infantiam non inter crepundia, ut moris est, sed spiritu pietatis urgente, altariola inter, quae sibi ipse tum luminibus, tum floribus exornabat, exegit, quasi angelicae, qua fulgere debebat, sanctitati praeluderet. Ab infantia, per pietatis ac religionis gradus, ad pueritiam evasit. Erat autem in eo praestans ingenii docilitas, caritas in parentes eximia, incredibilis in Deum pietas, atque ita fervens in Deiparam Virginem dilectio, ut eidem quinquennis adhuc voluerit irrevocabili sese castitatis voto illigare. Hinc, puerili quolibet solatio posthabito, modo in secretioribus aedium locis errantem, modo, aequalibus sui studiose congregatis, christianae religionis praecepta tradentem, eosque

ad immaculatae Virginis amorem inflammantem summopere admirabantur.

Politiori jam literarum generi operam dabat, atque ita quidem, ut nobilis inter aequales merito haberetur, alacritate enim discendi, morumque elegantia adeo suaviter incitabat ceteros, ut carior iis, utiliorque fuerit nemo. Nihil porro antiquius habuit, quam perniciosa quorumdam sodalium consortia devitare, in quibus, prout in seminibus est causa arborum, sic multorum malorum, quibus humana societas afflictatur, fons et origo continetur. Librorum inutilium lectionem vehementer abhorrens, Sanctorum historiis, eremitarum, ascetarumque praesertim, saepissime delectabatur; quod quidem vitae genus sic meditanti placuit, ut puerum istum jam videam, uno atque altero comitante discipulo, paternas aedes relinquere, clam urbe discedere, et *Monsenii* montis ardua petere, antrum ibi quaesitum, in quo latere posset. Quid pater, quid mater, cum, quem studiose quaerebant, iteratis eorum vocibus minime responderet? Quid, cum effusis lacrymis, repetitis gemitibus, clamoribus ingeminatis, is, quem plus oculis suis amabant, minime praesto esset? Quaeritare hinc, interiora aedium loca perquirere, deposcere, flagitare, coelum defatigare precibus, ex quo tandem luminis aliquid affulsit, quo mentis animique trepidatio quodam modo minueretur. Quaedam subiit patris animum spes, se fortasse inventurum filiolum in antro vel ipso, in quo Sanctus Sigismundus Burgundiae Rex eremiticam olim vitam traduxisse perhibebatur. Maturato igitur opus esse ratus, Monsenium montem contendit, ibique tandem Michaelem invenit in genua provolutum, suspiria inter et lacrymas, quas, ut ipse sciscitanti respondit, acerbissima Christi dolorum expresserat recordatio.

Patrios hinc lares repetiit, domesticosque parietes, exultante Matre, iterum salutavit. Rigidam tamen, quam foris instituèrat vitam, domi perficere curavit. Nullum sane

fuit privationum, tormentorumque genus, quod ipse non adhibuerit, nulla animi relaxatio, nulla corporis quamtumvis honesta recreatio fuit, a qua non abhorruerit. Admirandum vere poenitentiae genus! quod Deus singulari certe praemio remuneratus est. Statuit namque, ut nullam unquam Michael legem sentiret repugnantem legi mentis suae, nullam unquam in mente impuram cogitationem haberet, ita ut de eo, quod de Beato Aloisio Gonzaga dici possit « *Minuisti eum paulo minus ab Angelis* ».

Octavo vitae suae anno, utriusque parentis funus lacrymis prosequutus est, inque tutorum incidit potestatem, qui satius duxerunt Michaelem mercaturae negociis exercendis addiecre. Quanto cum animi dolore, rigido tutorum imperio parere debuerit, nemo est quin viderit. Verum, dum injunctum sibi munus implebat, et exemplari agendi ratione, cunctis admirationi erat, coelestem perpetuo obsecrabat Reginam, ut supplicantem doceret cognoscere et facere voluntatem Dei. Nec vota in irritum cessere. Ei namque, majori quo poterat ardore exoranti, sese ex-tempore obtulit defuncti patris imago, ex quo facile novit, ad coenobiticae vitae institutum ex Dei voluntate vocari. Stuporem inter et gaudium stetit Michael novae attonitus miraculo rei. At, nulla deinde interjecta mora, vix salutatis hospitibus, Barcinonam contendit. Diuturnum satis iter et asperum, nulla rheda, nullo equo, sed pedibus iniit confecitque. Quo cum pervenisset, nihil potius habuit, quam ut sodalium calceatorum Ordini a SSma Trinitate, captivis redimendis, nomen daret, in quo, sextodecimo aetatis suae anno, sollemnia vota nuncupavit. Nec satis. Cum namque accepisset, strictioris observantiae regulam praeclarum sanctitate virum ejusdem Ordinis proposuisse et instaurasse, illico, rite accepta venia, Pampelonam petiit, ab eodemque institutore in reformatorum album adscriptus est, ibique nova edere vota non dubitavit.

Philosophicae tunc ac Theologicae disciplinae adeo impigre feliciterque studuit, ut ejus consilio ad salebrosa expedienda negocia, non raro vel ipsi praeceptores uterentur. Tandem Sacerdotio auctus, strictiori amoris vinculo Deo sese conjunxit, et procurandae proximorum saluti se magis magisque devovit. Sane, quid dicam de amore erga Deum? Vos, Vos appello, fortunatissimi quidem, qui Michaelem conspexistis divina caritate flagrantem, crebris ac durabilibus ecstasibus raptum, sive audiret de Verbi incarnatione doctissime disserentem, sive de divina loquentem bonitate, sive Coenobii Praefectum, bacchanalia inter, populum ad poenitentiam excitantem, sive sacrum faceret vel ipse, in quo quidem raptu hoc singulare olim fuit, quod nonnisi fidelium clamoribus excitatus, ardentis cerei flammam ejus dexteram comburentem devitare potuerit.

Et ad proximorum dilectionem quod attinet, quis poterit enarrare, quanta caritate modo afflictis, ac moerentibus solatio fuerit, modo vel egentibus, vel oppressis subsidio venerit; quanto studio ac labore dissidentium quandoque animos conciliavit, quandoque honoris ac pudoris expertes feminas ad poenitentiam induxerit, quanta diligentia et assiduitate aegrotantes in hospitiis pauperes adspectu suo recreaverit, ac coelesti de christiana religione sermone refecerit, de quorum sanitate adeo sollicitum se praebuit, ut non raro eorum languores sibi tolerandos exciperet; quanto demum ardore Captivorum operam redemptioni dederit, quod cum principem constitueret Ordinis sui finem idcirco in id principali cura voluit incumbere.

Cum autem caritas, rectissima nimirum animi affectio, qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum, (D. Thomas in 3 Sentent. Dis. 22) sit vinculum perfectionis, sanctitatis perfectio, et summa virtutis; cumque ordine perfectionis caritas praecedat fidem et spem, quia fides et spes a caritate formantur et perfectionem accipiunt, atque

ita caritas sit radix omnium virtutum in quantum est singularum forma, ut ait *D. Thomas* (1. 2 Quaest. 65 art. 4, et 2. 2 Quaest. 23 art. 8); idcirco mirum non erit, si in homine isto ceterae, sive theologales, sive cardinales virtutes, heroice coaluerint.

Coaluit *Fides*, mentis nimirum habitus, quo, ut ait Divus Thomas, inchoatur vita aeterna in nobis faciens intellectum assentiri non apparentibus; coaluit *Spes* certa illa expectatio futurae beatitudinis ex gratia et merito proveniens; coaluit *Prudentia* quae edocet, referente Augustino (ad erem. serm. de prudentia) qualiter praeteritorum reminiscendo, praesentia dirigas, et futura provideas; coaluit *Justitia* constans illa et perpetua voluntas suum cuique tribuendi; coaluit *Temperantia*, nempe affectio cohibens et coercens appetitum ab his, quae turpiter appetuntur (Augustin. De Lib. arbitr.): atque idcirco verecundia, honestas, abstinentia, jejunium, castitas, humilitas, modestia, urbanitas, atque aliae hujus generis virtutes mirifice coaluerunt.

Et ad *Humilitatem* praesertim quod attinet, haud praeterire licet, Michaelem semper abjecte de se sensisse, studuisse semper, ne privilegiata dona quibus cumulabatur patefierent; semel iterumque sodalibus praefuisse, arduisque fuisse muneribus oneratum, non eo quod haec affectasset vel imperitandi cupidine, vel ambitionis impulsu, quae quidem ab istiusmodi munerum fine longe remota sunt, sed eo tantum, quod superiorum voluntati vel invitus obsequi teneretur.

Coaluit *Fortitudo*, considerata nimirum periculorum susceptio et laborum perpessio, ex qua magnanimitas, fiducia, securitas, patientia, perseverantia, atque his similia derivantur. Tum vero conspicuum praebuit in adversis fortitudinis exemplum, cum ad tantam Christiani hujus militis labefactandam virtutem, subdola quorumdam inita

machinatio fuit, cum nempe obscurissimorum hominum (quorum nullo unquam tempore penuria est) invidia et calumniandi libido perfecit, ut innocens manibus et mundo corde, perinde ac si deliquisset, detruderetur in carcerem. Calumnia utique conturbat sapientem et perdit robur cordis ejus; verum, heroica praeditus fortitudine, evictis tandem injuriarum calumniarumque procellis, fractoque vexationum impetu splendidam retulit Michael de inimicorum persequutione victoriam; ejus virtutibus, novae veluti lucis accessione illustratis, redditus est honor, atque animi dotes tanto posthac in pretio habitae sunt, ut in eum, quasi in aurum igne probatum, omnes intuerentur.

Cetera mittam, quae vel patienter pertulit, vel fortiter operatus est, quaeque, si temporis angustiae sinerent, essent quidem panegyrica oratione celebranda. Memorabo tantum prophetiae donum, quo plurima praenuntiavit, precum efficaciam, quibus plura morborum genera evicta, quibus in daemones quoque imperium exercuit; illud porro prae ceteris memoratu dignum existimo, singulare omnino prodigium, quo Christus ipse divini sui cordis cum illius corde mysticam dignatus est commutationem inire. Incredibile istud caritatis incendium Angelis quidem ipsis spectaculo fuisse puto.

Tertium et trigesimum vitae suae annum agebat Michael, cum exantlatis consumptus laboribus, gravi admodum correptus morbo est. Sacramenta continuo sibi ministrari postulavit, et morbi vim magno animo perpessus, innocentia, pietate, recte factis coelo maturus, quarto idus Aprilis anni millesimi sexcentesimi vicesimi quinti, in Vallisolitano Coenobio, quod vel ipse mirabiliter aedificarat, tota ingemiscente Civitate, solus illacrymabilis, consentaneam vitae mortem oppetiit.

Michaelem vita functum, ne dum bonorum omnium desiderium, sed praeclara sanctitatis fama prosequuta est.

Hinc frequens hominum concursus, quorum alii admirandas ecstases memorant, alii numerant quae mirabilia patraverat, alii eum tamquam antiquae virtutis instauratorem laudibus efferunt; is namque fuit, qui sancta semper excogitavit, recta constanter operatus, vera loquutus est, terrena et caduca posthabuit, semperque fuit contemplatus aeterna.

Parentalibus rite persolutis, quibus non solum cujusvis ordinis cives, sed proceres etiam et magistratus adfuere, perinde ac si de regio funere res esset, corpus ejus, ea qua par erat cura ac diligentia, conditum est.

Paucis post obitum mensibus, *processus* instituti sunt, quibus ab S. Rituum Congregatione approbatis, *Urbanus Octavus* cum jam miraculorum fama Venerabilem Dei Servum commendasset, commissionem pro Causae introductione signavit Octavo Idus Februarii Anni millesimi sexcentesimi vicesimi septimi. Verum, ob plura rerum adjuncta, ventum fuit ad annum millesimum septingentesimum vicesimum octavum, quo anno Summus Pontifex *Pius VI* quarto idus Decembris decrevit « *Tuto procedi posse ad ejusdem Servi Dei Beatificationem*, quae paullo post celebrata fuit.

Anno vix clapso ab celebratae Beatificationis die, novo Michael coepit fulgere prodigio, quod alterum splendidius etiam excepit. Quae duo, cetera inter, singillatim praestat referre. Francisca Navarrete-y-Sanz sexagesimo quarto vitae suae anno, cum ei in propinquo mors esset, eo quod inferiorem linguae partem, decem abhinc annis, sic cancerosus exulceratusque tumor occupaverat, ut cavitate oris obstructa, ullo jam sese reficere cibo nequiret; cumque nullam amplius aegrotanti curationem adhiberi posse medicae artis prudentes affirmassent, ad Beati Michaelis intercessionem conversa est. Extrema novendialis, quam iniverat, supplicationis aderat dies, cum, canceroso tumore ex-tempore prolapso, nil prorsus in ore reliquit, ex quo fa-

talis praeexistentia morbi argui potuisset. Prodigium istud, anno sese circumagente millesimo septingentesimo octuagesimo, patratum est dum in urbe Granatensi in sodalium excalceatorum Ecclesia Michaeli in Beatorum album relato sollemnia fiebant.

Eodem intercessore prodigium alterum anno millesimo octingentesimo tricesimo Urbs haec nostra vidit et admirata est, prout hodierno etiam die hominem adspicit vitae adhuc usura perfruentem, et bona utentem valetudine, qui tanti intercessoris opem feliciter expertus est. Is namque est Joannes Baptista a SSm̃a Trinitate in eodem Ordine Laicus professus, qui viginti quatuor annos natus, quotidianae stipi quaeritandae ad *Mariae prope figulinas extra pomerium* fuerat addictus. Hic, tum ob labores, tum ob aeris inclementiam in diuturnam adeo atque obstinatam incidit febrim, ut facile intellectum Medicis esset, aegrotum pulmonari tabe laborare. Ea fuit morbi hujus vis ac tenacitas, ut cum in vitae discrimen adduceret. Qua de re, sacrae Eucharistiae viatico munitus et infirmorum inunctus Oleo, in extremis versabatur. Verum, qualibet humana recuperandae sanitatis incisa spe, ad Beati Michaelis opem implorandam sese convertit, illiusque imagine pectori admota, spopondit, quoties integer evasisset, se stipem pro viribus coacturum, ut eidem Sanctorum honores tribuerentur. Nec mora; Preces namque excepit prodigium, cumque illico, perinde convaluisset ac si nunquam morbo fuisset implicitus, vestibus indutus, adjacentis Templi limen, citato cursu, contendit sospitatori suo gratias pro accepto beneficio relatum.

Obstupuere Sodales, cum e Choro egredientes corpore sanum conspicerent, quem vita functum putabant. Continuo ad Medicamentariam, quae longe distabat Officinam; Superioris jussu sese contulit, quem ut vidit Medicus qui omnem de illius sanatione spem abjecerat, suis certe oculis nega-

bat fidem adjungere: sed certior factus, id miraculo tantum evenire potuisse, affirmavit. Deinde postquam Vaticanam Basilicam visitasset, domum reversus, et in horto deambulans, Coenobii illius Praesidi asserere non dubitavit, tantum sibi esse virium, ut longum adhuc iter commode inire posset.

Cunctis itaque jure ac rite peractis decretum fuit ab sa. me. *Gregorio XVI.* Summo Pontifice, undecimo Kalendas Septembris anni millesimi octingentesimi quadragesimi primi « *Constare de duobus miraculis tertii generis, intercessore B. Michaele patratis,* scilicet de primo » *Repentinae perfectaeque sanationis Franciscae Navarrete-y-Sanz, ab inveterato tumore canceroso exulcerato in inferiori linguae parte* « et de altero » *Instantaneae perfectaeque sanationis Fratris Joannis Baptistae SSmae Trinitatis a phtysi pulmonari, viribus illico restitutis.*

Quod praedecessores Tui, *Beatissime Pater*, aggressi sunt, et fere ad exitum perduxerunt opus, Tibi perficiendum erat. Misericors namque Deus voluit, ut Tuus, qui impeditis hisce teterrimisque temporibus undique angoribus et molestiis implicatur animus, in tanti operis perfectione, inque optatissimae hujus diei laetitia relaxaretur, et quodammodo conquiesceret. Sane, ad tanti operis implementum generalia jam Sacrorum Rituum Congregationis comitia Apostolica Tui auctoritate convocata « *tuto procedi posse* » responderunt, eademque verborum formula, decimoquinto Kalendas Octobris nuper elapsi anni, Divino implorato auxilio, Beati Michaelis canonizationem judicio decrevisti Tuo gravissimo et maximo, Literasque expediri jussisti.

Quae cum ita se habeant, Beatissime Pater, Te oro obtestorque, ut ad catholicae fidei exaltationem, et Christianae Religionis augmentum, singularem virum, heroicis virtutibus, optime gestis, miraculorum fama, ac populorum veneratione commendatum, velis jubeas in coelitum San-

ctorum album referri, sacrisque fastis adscribi. Unum Te scimus in terris esse, qui templo dare potes. Fac igitur, ut cujus dum viveret auxilio homines recreati sunt, cujus in coelitum Beatorum album relati, suae sunt intercessionis efficaçiam experti, illius ad summum coelestis gloriae fastigium evecti saepius implorato suffragio subleventur. Liceat suffragium illud, ex oraculi Tui liceat implorare sententia. Supplicibus id votis universus excalceatorum SSmae Trinitatis sodalium Ordo postulat, Catalauniae Provincia expetit, Hispania tota vehementer exoptat.

Enixis horum precibus dabis, ut Te, Beato Michaeli Sanctorum coelitum decernentem honores, maximo omnium elogio, et numquam defuturis grati animi sensibus prosequantur.

Oratione ad finem perducta R. P. D. Lucas Pacifici ab Apostolicis ad Principes epistolis secretarius, Protonotarius Apostolicus, Vaticanae Basilicae Canonicus vir scribendi nitore ac pietate insignis nomine summi Pontificis utrique advocato Oratori unicum dedit responsum hisce verbis:

Cum Sanctissimus Pater ac Dominus Noster luctuosissimis hisce christianae civilisque reipublicae temporibus in suprema catholicae Ecclesiae procuratione sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissa suas omnes curas cogitationesque ad ipsius Ecclesiae decus augendum omniumque fidelium bonum curandum intentissimo studio assidue conferat, tum summopere exoptat, ut Christifideles tot tantisque angustiis et calamitatibus afflicti nova ac validissima habeant ad salutem praesidia ac laeta ad optatam pacem, tranquillitatemque auspicia et splendidissima ad imitationem exempla. Itaque optime noscit, nihil esse opportunius, quam ut publicus christiani populi cultus tribuatur Beatis Petro Baptistae, illiusque duobus et viginti Sodalibus clarissimo Ordini S. Francisci adscriptis, ac Beatis Paulo

Michi, ejusque duobus Sociis inclytae Societatis Jesu, strenuis sanctissimae nostrae religionis propugnatoribus, ac praeclaro in Japonia martyrio defunctis, nec non Beato Michaeli De Sanctis illustris Ordinis Sanctissimae Trinitatis redimendis captivis.

Quocirca idem SSmus Dominus Noster non mediocri animi sui jucunditate disertissimas audivit orationes, quibus ab ipso enixe petitum est ut commemoratis Beatis Sanctorum honores et cultum decernere velit. Namque ex eisdem orationibus scienter eleganterque exaratis magis agnovit quanta animi fortitudine et constantia hi sex et viginti Beati fortissimi nostrae religionis athletae in Japonia Christi fidem strenue praedicaverint, ac pro eadem fide fortiter dimicantes acerbissima tormenta constanter perpessi triumphali sanguine fuso, martyrii palmam adepti sunt. Atque etiam magis magisque intellexit quibus maximis ac plane heroicis virtutibus praestiterit Beatus Michael De Sanctis, qua caelestium charismatum copia fuerit cumulatus, quo miro in Deum et homines amore incensus. Ad rem vero in primis faciunt insignia sane prodigia ab egregiis oratoribus exposita, quibus Deus mirabilem se ostendit in hisce omnibus Beatis servis suis. Vehementer autem delectarunt Sanctissimum Dominum Nostrum studia et postulationes quibus Religiosi Ordines, quorum instituta Beati illi, dum viverent, professi sunt, efflagitarunt ut eosdem Beatos Sanctorum titulo et honore colere, ac venerari liceat.

Sed cum hujusmodi negotium maximi sit momenti, iccirco Sanctitas sua pro summa qua pollet prudentia adhuc de tota re diligentissime deliberandum existimat, idque, Deo bene juvante, in semipublicis Consistoriis propediem habendis praestabit audiens sententias horum Venerabilium Fratrum suorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, ac Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, qui Romae morantur. Interim vero Sanctissimus Dominus Noster

omnes et singulos etiam atque etiam hortatur, ut orationibus, jejuniis, eleemosynis, aliisque piis operibus Sancti Spiritus praesidium studiosissime implorare non desinant, ut divinae suae lucis lumine nunc Ecclesiae suae sanctae praesto sit, ejusque ductu id Christi in terris Vicarius decernat, quod ad majorem Dei gloriam, ad spirituale fidelium bonum, ad catholicae Ecclesiae exaltationem, decus et incrementum spectat. Haec Sanctitatis Suae jussu a me gravissimis, ornatissimisque orationibus modo habitis erant respondenda.

Antequam semipublica cogerentur Consistoria ad exquirendas Patrum Cardinalium et Episcoporum sententias Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Summi Pontificis in Urbe Vicarius ejus nomine supplicationes in Patriarchalibus Ecclesiis coram Augusto Eucharistiae Sacramento solemniter exposito peragendas indixit ad impetrandum lumen a Domino et auxilium in gravissimo hujusmodi negotio perficiendo.

NOTIFICAZIONE

COSTANTINO per la Misericordia di Dio Vescovo di Porto e S. Rufina
della S. R. C. CARD. PATRIZI Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana,
della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale,*
della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario ec. ec.

Uno degli atti più solenni della Cattolica Chiesa è di annoverare nel numero de' Santi quei gloriosi Campioni, che o percorsero immacolati la via dei divini precetti ed eroicamente esercitarono le cristiane virtù, o che professando la fede cattolica in mezzo ai nemici della Croce, non dubitarono in contestazione della medesima lasciare la loro vita nei più squisiti tormenti.

Mentre Iddio per i suoi sapientissimi fini permette che una duplice persecuzione soffra la sua Chiesa, l'una mossa da figli sleali ed ingrati, che imitando l'Apostata Giuliano colla maschera dell'ipocrisia proclamano la difesa,

e la libertà della Chiesa e ne deridono le leggi, ne disprezzano gli anatemi, ne incarcerano i Pastori, ne disperdono i Claustrali, e fanno segno del loro livore ogni sincero cattolico; l'altra poi mossa da nemici dichiarati di Cristo che nella Concincina, e nel Tonchino rinnovano la crudeltà dei Neroni, e dei Domiziani contro i Confessori gloriosi della Cattolica Fede; ha disposto con ammirabile provvidenza che nel tempo appunto di queste fiere persecuzioni si venisse all'atto solenne della Canonizzazione dei 26 Martiri del Giappone, e del Beato Michele Desanctis, onde i fedeli dall'esempio dell'esercizio eroico di Cristiana virtù, in modo speciale della vera fraterna carità, e della costanza nel soffrire ogni pena fossero animati a mostrarsi sempre veri seguaci di Cristo, osservatori zelanti della sua celeste dottrina.

Da questi luminosi esempj difatti animati, come da relazioni autentiche, e degne di fede venute dalla Concincina, e dal Tonchino, Vescovi, Sacerdoti secolari e regolari, Religiose, e fedeli di ogni sesso si sottopongono a spietati tormenti, non temono carceri, battiture, eculei, e perfino la più lenta crudelissima morte, anzichè abbandonare quell'unica Religione in cui soltanto può trovarsi l'eterna salvezza.

La Santità di Nostro Signore Papa Pio IX. disponendosi al grande atto della solenne Canonizzazione vuole che questo sia preceduto da pubbliche, e private orazioni onde ottenere dal Padre dei lumi quell'assistenza che tanto gli è necessaria in questa azione eminentemente Pontificale.

Ha ordinato perciò che nelle infrascritte Patriarcali sia esposto il Santissimo Sagramento secondo il metodo che sarà notato, ed esorta i fedeli a concorrervi col più vivo fervore, e colla più esemplare divozione.

Il Santissimo Sagramento verrà esposto nella mattina dopo la Messa conventuale, e l'Esposizione sarà preceduta

dalla Processione come suole praticarsi nell'orazione delle Quarantore, col canto però del *Pange Lingua* ed orazione del Santissimo Sagramento.

Nella reposizione si canteranno le Litanie de' Santi cogli annessi versetti, ed orazioni, l'Inno *Veni Creator Spiritus* coll'analoga orazione, e dopo il *Tantum ergo* si darà la Benedizione del Santissimo Sagramento.

Queste medesime preghiere si faranno ogni giorno un'ora prima dell'*Ave Maria* nella Basilica ove è esposto il Santissimo Sagramento prima della reposizione della sera.

In ogni giorno ancora alcune delle Confraternite di Roma si porteranno processionalmente alla visita delle sopraddette Basiliche secondo l'ordine che verrà notato.

L'istessa Santità Sua si è degnata di concedere l'Indulgenza di sette anni, ed altrettante quarantene a tutti i fedeli ogni volta, che visiteranno il Santissimo Sagramento come sopra esposto, e l'Indulgenza plenaria a tutti quelli che confessati, e comunicati visiteranno una delle suddette Basiliche, e digiuneranno nel Mercoldì 14, Venerdì 16, e Sabato 17 del corrente Maggio, pregando che il Signore si degni illustrare col lume del suo Santo Spirito la Santità Sua nel grandissimo atto della Canonizzazione dei suddetti Beati, e perchè si degni ancora di concedere la necessaria fortezza ai Martiri della Concincina, e del Tonchino nel sopportare tanti crudeli tormenti.

Sua Santità poi benignamente concede che nei sopraddetti digiuni, venga soltanto escluso l'uso delle Carni, ma che possa farsi uso dei Latticinj nell'unica comestione e dei condimenti di grasso tanto nella comestione, quanto nella colazione della sera.

Concede inoltre l'istessa Santità Sua la facoltà ai Confessori di commutare le opere ingiunte per l'acquisto dell'Indulgenza a quei loro penitenti, che per legittimi motivi fossero impediti a praticarle.

Accorriamo, o fedeli, al Trono della Divina misericordia, secondiamo le sante intenzioni del Vicario di Gesù Cristo, innalziamo a Dio la nostra fervorosa preghiera per tanti nostri Fratelli, fatti segno di fierissima persecuzione perchè si degni il Signore nella sua infinita Misericordia di farla cessare, ed intanto di concedere loro costanza per riportare la gloriosa palma del martirio. I Romani particolarmente che danno segnalate prove della loro devozione figliale al Comune Padre de'fedeli, mostrino a quei forastieri che in tanto numero affluiscono a questa Santa Città, che la loro fede, la loro pietà, è degna di chi ha avuto la sorte di nascere nel Centro del Cristianesimo, nella Sede gloriosa del Vicario di Cristo.

Dato dalla Nostra Residenza li 5 Maggio 1862.

C. CARD. VICARIO

Palino Canonico Deangelis Segretario

IL SANTISSIMO SAGRAMENTO SARA' ESPOSTO

Nella Basilica di S. Giovanni in Laterano dalla Domenica 11 Maggio fino al mezzo giorno di Mercoldì 14.

Nella Basilica di S. Pietro in Vaticano dalla mattina del 14 fino al mezzo giorno di Venerdì 16.

Nella Basilica di S. Maria Maggiore dalla mattina di Venerdì 16 fino alla sera di Domenica 18 Maggio.

LE ARCHICONFRATERNITE, E CONFRATERNITE SI PORTERANNO ALLA VISITA DEL SAGRAMENTO COLL'ORDINE SEGUENTE

DOMENICA 11 Maggio 1862 si recheranno alla Patriarcale Basilica Lateranense le Archiconfraternite

di S. Giuseppe de'Falegnami
della SSma Trinità de'Pellegrini
del SSmo Cuor di Gesù in S. Teodoro
delle Stimmate di S. Francesco
del SSmo Sagramento in S. Maria ad Martyres

LUNEDI' 12 Maggio

di Maria SSma del Rosario in S. Clemente
di Maria SSma del Carmine alle Tre Cannelle
della Beata Rita da Cascia
degli Amanti di Gesù e Maria al Calvario
del SSmo Sagramento presso S. Maria in Cosmedin

MARTEDI' 13 detto

del SSmo Sagramento di S. Niccola in Carcere
del SSmo Sagramento presso le Scale Sante
SSmo Nome di Maria al Foro Trajano
di Maria SSma della Neve al Colosseo
di S. Francesco Saverio in S. Maria in Vincis

MERCOLEDI' 14 detto si recheranno alla Patriarcale Basilica Vaticana le Archiconfraternite

di S. Maria dell'Orazione e Morte
della SSma Natività detta degli Agonizzanti
della divina Pietà di Campo Santo dei Teutonici
del SSmo Sagramento in S. Michele in Borgo
del SSmo Sagramento a S. Andrea Apostolo in S. Cecilia

GIOVEDI' 15 detto

di S. Anna de' Parafrenieri
di S. Giuliano delle Missioni in Banchi
del SSmo Sagramento in S. Giacomo Scossa Cavalli
del SSmo Sagramento in S. Spirito
di S. Ambrogio e Carlo dei Milanesi

VENERDI' 16 detto si recheranno alla Patriarcale Basilica Liberiana le Archiconfraternite

di S. Francesco di Paola alla Suburra
di Maria SSma Addolorata in S. Maria de' Monti
di Maria SSma del Buon Consiglio ai Monti
del SSmo Sagramento presso S. Eustachio
del SSmo Crocifisso presso S. Marcello

SABATO 17 *Maggio*

del SSmo Sagramento in Via Belsiana
del SSmo Sagramento presso S. Andrea delle Fratte
di S. Maria in Via in Piazza Poli
di Maria SSma della Perseveranza alle Coppelle
del Divino Amore in S. Andrea della Valle

DOMENICA 18 *detto*

di Gesù e Maria in S. Niccola in Arcione
degli Angeli Custodi
di S. Antonio di Padova ai Ginnasi
di S. Lucia del Gonfalone
di S. Rocco in via di Ripetta

Eodem temporis momento hae duo schedae per Cursores unicuique Cardinalium et Episcoporum delatae sunt quae dies adnotabant quibus Summus Pontifex ad Patriarchales Basilicas Sanctissimum Sacramentum adoraturus accederet, ut et ipsi simul interessent.

Emo e Rmo Signore

La Santità di Nostro Signore Pio Papa IX. volendo con incessanti suppliche ricorrere all'Altissimo acciò coll'abbondanza de' suoi lumi si degni assisterla nell'importantissimo atto della futura Canonizzazione dei Beati Pietro Battista, Paolo Miki coi loro rispettivi compagni Martiri Giapponesi, e Michele de Sanctis; come pure per implorare specialmente dall'infinita misericordia di Dio ai Cristiani fieramente perseguitati nel Tonkino e Concincina ajuto, conforto e fortezza per confessare la nostra Santa Fede, e soffrire fino alla morte i più atroci tormenti; si porterà alle ore *sei pomeridiane* Domenica prossima 11 del corrente mese di Maggio 1862 alla Basilica Lateranense; nella feria quarta 14 dello stesso mese alla Basilica Vaticana; e nella susseguente Domenica 18 Maggio alla Basilica Liberiana.

In ciascuna dell'enunciate Basiliche la Santita' Sua adorato il Santissimo Sagramento esposto per gl'indicati oggetti alla pubblica venerazione dei Fedeli, assisterà al canto delle Litanie de' Santi, dell'Inno *Veni Creator Spiritus*, e *Tantum ergo*, ricevendo in fine la benedizione dell'Augustissimo Sagramento.

Se ne porge notizia all'Eminenza Vostra Reverendissima, onde volendo intervenirvi, possa trovarsi nella rispettiva Sagrestia delle menzionate Basiliche in abito cardinalizio con rocchetto, mantelletta, e mozzetta di colore rosso.

Quanto alla visita della Basilica di S. Pietro si avverte, chè avvicinandosi la discesa di Sua Santità, gli Eminentissimi Padri dalla Sagrestia passeranno al luogo preparato, ov'è esposto il SSm̃o Sagramento.

Il Caudatario sarà vestito con abito talare pavonazzo, e ferrajolone nero.

Luigi Ferrari Proton. Apostolico Prefetto delle Ceremonie.

Illm̃o e Rm̃o Signore

La Santità di Nostro Signore Pio Papa IX. Domenica 11 del corrente mese di Maggio alle *ore sei pomeridiane* si porterà alla Basilica Lateranense; nel Mercoledì 14 dello stesso mese alla Basilica Vaticana; e nella susseguente Domenica 18 Maggio alla Basilica Liberiana, onde implorare il divino ajuto specialmente per la prossima Canonizzazione, e la fortezza ai Cristiani perseguitati nel Tonkino e nella Concincina per confessare la nostra Santa Fede, assistendo alle preci, che verranno recitate dinanzi al Santissimo Sagramento esposto alla venerazione dei Fedeli.

Sarebbe di gradimento alla Santita' Sua che si conducessero gli Illm̃i e Rm̃i Vescovi che sono in Roma.

Se ne dà notizia a V. S. Illm̃a e Rm̃a, onde volendo

intervenirvi, possa trovarsi nelle dette Basiliche in abito prelatizio con rocchetto e mantelletta nei giorni ed ore di sopra indicate.

LUIGI FERRARI PROTON. APOSTOLICO PREFETTO DELLE CEREMONIE.

Die Dominico igitur quinto Idus Maji Missarum solemniis expletis in Patriarchali Archibasilica Lateranensi Canonicorum Collegium et reliqui de Clero devotam prius per Ecclesiam ducentes supplicationem Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum fidelium adorationi in Ara principe exposuerunt, qnae magna luminum copia undique coruscabat. Post vesperas Summus Pontifex Basilicam petiit ubi eum Cardinalium Collegium, et Episcopi pene omnes qui Romae aderant praestolabantur. Per januam Sacrarii ingressus lustrali aqua omnes aspersit; mox praecedente cruce a Sacrae Romanae Rotae Auditore delata ad Pontificium Altare Dominis Cardinalibus et Episcopis seqnentibus processit. Cum Sanctitas Sua augustissimum Eucharistiae Sacramentum adorasset genua ante faldistorium super pnlvinare flexit; Cardinales similiter, Episcopi et Capitulares omnes ad propria sedilia in longum duplici ordine disposita diversoque stragulo contecta accedentes in genua provoluti sunt; deinde per Capellanos Sacelli Pontificii cantores Litaniis Sanctorum aliisque precibus decantatis, a Reverendissimo P. D. Petro Villanova-Castellacci Archiepiscopo Petrensi ejusdemque Basilicae Canonico trina adstantibus Augustissimi Sacramenti benedictio impertita est. Postea Sanctissimus Dominus a Basilica discedens, populo per vias fauste acclamante, Vaticanas repetiit aedes.

Pridie Idus Maji in Patriarchali Basilica Vaticana Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum ad Altare Gregorianum Beatae Virginis Mariae (ara enim maxima artificum operibus occupabatur) pari expositum fuit solemnitate. Horis pomeridianis Summus Pontifex, Dominis Cardinalibus et Episcopis comitantibus Sanctissimam Eucharistiam adoravit; precibus ac benedictioni adfuit.

Demum expositionum ritus non minori dignitate ac decore locum habuit in Ara majori Patriarchalis Basilicae Liberianae. Illuc die Dominica decimoquinto kalendas Junii se contulit Sanctissimus Dominus; eum Ecclesiae Capitulum reverenter excepit; et Domini Cardinales et Episcopi omnes ad adorandum Sanctissimac Eucharistiae Sacramentum, precesque fundendas sequuti sunt. Post benedictionem Pontifex civibus rursus plaudentibus ad Patriarchium Vaticanum reversus est. Interea per Cnrsores Domini Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi de die Consistorii semipublici

pro Canonizatione Beatorum Martyrum Japonensium habendi moniti sunt relicto unicuique schedae hujus exemplari.

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Feria quinta die 22 Maji in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, consistorium semipublicum habebitur hora *nona cum dimidio ante meridiem*. In eo, servata methodo juxta instructionem jam distributam, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. tam Eminentissimorum Cardinalium, quam Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum suffragia excipiet pro futura Canonizatione Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci, et Pauli Miki cum aliis duobus e Societate Jesu, Martyrum Japonensium.

Intimentur idcirco omnes, et singuli Emi, et Rmi DD. Cardinales, nec non Rmi DD. Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe praesentes, ac DD. Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotae Auditores, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, Promotor Fidei, et Procurator Fiscalis Camerae Apostolicae, ut omnes cappis *(sine pellibus armellineis)* induti, enunciato consistorio hora praedicta intersint.

De Mandato SSmi DD. N. PAPÆ

Aloisius Ferrari Proton. Apost. Caerem. Praefectus.

In majori Palatii Vaticani Aula omnia ad Consistorium semipublicum celebrandum parata sunt. In nobiliori Aulae parte Pontificia sedes rubra, auroque contexta bombice cooperta pro tribus gradibus eminebat; a sedis tergo aulaeum pendebat atrebaticum Spiritus Sancti exhibens adventum ut omnes illud intuentes a divino Paracleto lumen impetrarent et consilium. Umbella ex serico villoso panno rubri coloris desuper pendens Sedi majestatem addebat. Cardinales in summis subselliis atrebaticis aulaeis contectis accum-

bebant. Retro manebant sedilia stragulis viridis coloris operta pro Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis servato dignitatis et susceptae consecrationis ordine, dummodo Cappas induerent, qui enim sine Cappa advenerant post ceteros ex Pontificis placito sedebant. Coeremoniarum Apostolicarum Magistri Antistitum catalogum prae manibus habentes singulis locum assignabant. E Pontificalis Sedis conspectu in extrema Aulae parte scamna sine dorsali, straguloque viridi cooperta cernebantur disposita in quibus sedebant Protonotarii Apostolici, et duo seniores Sacrae Rotae Auditores. His similia ad utrumque Sedis Pontificalis latus sub gradibus sita erant scamna; dextrorsum nempe pro me Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, et Coeremoniarum Magistris; sinistrorsum vero pro R. P. D. Ruggero Antici-Mattei Sacri Collegii Secretario; pro R. P. D. Andrea Maria Frattini Advocato Consistoriali, et Sanctae Fidei Promotore; pro R. P. D. Luca Pacifici ab Apostolicis ad Principes epistolis a secretis; et D. Petro Benvenuti Procuratore Fisci Camerae Apostolicae. Intimi autem Pontificis cubicularii assistentes super solii gradibus stabant. Praesules cappa erant induti; Procurator Fisci cappa violacea Advocatorum Consistorialium more convestitus erat; Magistri Coeremoniarum vestes violaceas induebant; Cubicularii tunica manticata et caputio coloris rubri de more inverso amiciebantur.

Summus Pontifex stata hora, falda, amictu, alba, cingulo, stola violacea, et pluviali rubri coloris cum formalio, et mitra ex textili auro indutus, e secretioribus cubiculis pedes prodiit; duo seniores Cardinales Diaconi anteriores pluvialis sustinebant oras; anterior autem faldae limbus a duobus Protonotariis Apostolicis, posterior vero a duobus Cubiculariis assistentibus deferebatur; Subdiaconus Apostolicus Sacrae Rotae Auditor gestabat ante Pontificem crucem.

Cum Sanctissimus Dominus Consistorialem introivisset aulam Cardinales surrexerunt, ceteri qui aderant genua submiserunt; quos omnes signo crucis benedicens solium ascendit, in eoque sedit. Tunc duo Cardinales Diaconi ad propria adivere sedilia.

Tam gravis, augustus, et nobilissimus erat Sacri hujus Consessus aspectus, ut omnium intuentium oculi in bis centum octoginta septem Episcopis cum Summo Pontifice ibi Spiritus Sancti praesidio congregatis triumphalem illam Ecclesiam in coelorum sublimi manentem quodammodo ostensam cernerent!!

Reliquis exclusis, clausisque foribus Summus Pontifex pro exquirendis suffragiis Dominorum Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum etiam Orientalium de Canonizatione viginti sex Martyrum Japonensium sic loquutus est:

Quanto studio Beatus Petrus Baptista, illiusque duo et viginti sodales Sancti Francisci Ordini adscripti, ac Beatus Paulus Miki, ejusque duo Socii Societatis Jesu christianam fidem in Japonia propagandam curaverint, quantaque animi constantia et fortitudine pro Christo minas, ludibria, tormenta perpessi, ac, triumphali sanguine effuso, vitam profuderint, Vobis satis compertum exploratumque esse arbitramur, Venerabiles Fratres, tum ex iis, quae de egregiis horum viginti sex Beatorum factis et insignibus miraculis in publico Consistorio praeteritis diebus habito relata audivistis, tum ex fideli alia narratione, quam ad Vos transmitti jussimus. Nunc vero restat, ut in hoc sacro amplissimoque vestro consessu de Sanctorum cultu hisce sex et viginti Beatis decernendo deliberemus, qui venerunt ex magna tribulatione, et pro testamento Dei sua corpora tradiderunt, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Coelesti autem rerum dispensatione evenisse existimamus, ut asperrimis hisce temporibus, quibus catholica Ecclesia acerrimo undique bello divexatur, et haec Sancta Petri Sedes tot oppugnatur injuriis, hi viginti sex fortissimi nostrae religionis propugnatores in Sanctorum album referantur, ac Nostrae, vestrae, omniumque fidelium populorum imitationi proponantur ad divinam nostram fidem strenue profitendam, ac tuendam, atque ad

aspera quaeque constanter toleranda pro ipsius fidei defensione. Itaque de hac gravissima re, dum divini luminis opem humillime imploramus, vestras quoque sententias ex Praedecessorum Nostrorum more et instituto quam libentissime exquirimus.

Hisce a Pontifice dictis, Domini Cardinales, deinde Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi quo sedebant ordine propriam protulere sententiam hoc modo.

Beatissime Pater

Divinitus contigisse reor, ut Causa hujusmodi sex et viginti Japonensium Martyrum, quae jamdiu felicem ad exitum properabat, nonnisi post tria fere saecula, tenebricosissimis hisce temporibus erecta Sapientissimo Judicio Tuo, Beatissime Pater, numeris omnibus, rite recteque absoluta refulgeat!

Verumtamen ex summa Indulgentia Tua data nobis, et mihi fandi hac super re facultate, non votum ego ultra proferre audeo, sed vota potius, precesque quamplurimas effundo, hoc unum efflagitans, ut Tu, Beatissime Pater, divini luminis gratia suffultus selectissimam hanc ex divis Francisco, atque Ignatio Martyrum cohortem triumphanti Ecclesiae adjicias, et superaddas!

Ita porro devios tot inter, acerrimosque hostium conatus militans Ecclesia nostra praeclarissimo exemplo roborata addiscet magis, et assuescet, praeliari praelia Domini, atque ejus in Cruce solummodo gloriari.

MARIUS Episcopus Ostien. et Veliternen. Card. MATTEI.

Beatissime Pater

Aspicientes Beati isti Martyres primitiae Japoniae in Auctorem fidei, et Consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit Crucem, Crucis et ipsi desiderio inflammati bonum certamen certarunt, et crudelissimo necati supplicio pretiosam in conspectu Domini mortem subierunt. Et quoniam qui legitime in stadio pugnavit, gloria, et honore coronandus est, dignum idcirco arbitror, Beatissime Pater, quod fortissimi Christi Athletae oraculo Tuo infallibili in Canone Sanctorum recenseantur, ut Ecclesia Dei tantis in praesens angustiis pressa de glorioso istorum Martyrum triumpho laetificetur.

C. Episcopus Portuensis et S. Rufinae Card. PATRIZI.

Beatissime Pater

Quae Apostolicae hujus Sedis gravi accuratoque judicio, pro suo more, hucusque acta sunt ad martyrii veritatem juxta Sacros Canones constabiliendum, quod die 5 Februarii anni 1597 in Japonia pro Fide Catholica passi sunt B. Petrus Baptista cum aliis viginti duobus Sociis Ordinis Minorum S. Francisci, et B. Paulus Miki una cum aliis duobus e Societate Jesu, ut ad eorumdem Famulorum Dei solemnem Canonizationem tuto pede procedi possit mihi satis superque fuisse videntur. Et quoniam admirabili divinae pietatis oeconomia contigit ut haec invictae fortitudinis praeclarissima lumina, miraculorum gloria illustrata et priorum Ecclesiae saeculorum prorsus dignissima eo fere tempore excitarentur in Ecclesia quo Novatores ab ea turpiter discesserant summopere curandum esse opinor, ut quam cito et majori qua potest luce novum hoc nostrae Catholicae

Ecclesiae decus in terris splendeat; inde enim errantibus a via salutis et quaerentibus sincero corde virtutem novis signis manifestum erit spiritum Dei in illo coetu manere ex quo tam nobiles prodeunt athletae et ubi Dei magnalia reserantur. Catholicorum quoque fides, luctuosis hisce temporibus in discrimen adducta, hoc praeclarissimo constantiae et invicti animi exemplo proposito firmabitur et solidabitur. Atque hinc factum esse reor B. P. ut gravissima haec causa quae Urbani VIII. sa. me. aetate via non penitus absoluta videbatur, Tibi tandem aliquando finienda superno consilio servaretur.

Datum Romae die 22 Maji 1862.

A. Card. AMAT Epis. Praenest. S. R. E. Vice-Cancell.

Abstineo, Beatissime Pater, a commemoratione virtutum, quibus sex et viginti Martyres Japonenses se, ut milites Christi, armarunt ad praelia Domini praelianda: nec opus esse arbitror accensere quantum fuerint in fide stabiles, in dolore patientes, in quaestione victores. Jamdiu enim notum est universae Ecclesiae, et maxime Praedecessoribus Tuis Paulo V, et Urbano VIII quanta constantia et alacritate acerbas inter aerumnas, ac ludibria eam quam verbis, et exemplis adstruebant fidem, sanguine confirmaverint: idque Deo fuisse pergratum, haud pauca, eaque praeclara ostenderunt signa.

His itaque Beatis Martyribus Sanctorum honorem pro meritis debitum censeo non esse ulterius differendum. Atque eo magis in eam adducor sententiam, quia mihi videor videre singularem quamdam Dei providentiam in eo quod voluerit ad haec usque tempora differre hanc novam laetitiam, sive ut lacrymas tergeret Matris Ecclesiae, quae plangit ruinas et funera plurimorum; sive ut in tot cala-

mitatibus virtutes roboraret fidelium; sive denique ut praeclarissimi Ordinis Sancti Francisci, et inclytae Societatis Jesu splendor decusque augeatur.

ANT. M. CARD. CAGIANO DE AZEVEDO EPISCOPUS TUSCULAN.

BEATISSIME PATER

Historiam immanissimi ac barbari martyrii quod in Japonensi Imperio viginti sex illustres viri, dum verbo et exemplo praedicarent Christum Crucifixum Judaeis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, Cruci affixi, fortiter, profuso sanguine, subiere, diligenter perlegi, atque statim sine ulla haesitatione mihi persuasi eos strenue, et praeclare de re christiana meritos, mortem primaevae Ecclesiae saeculis apprime invidendam in exemplum obiisse. Quum vero ex monumentis satis superque constet tum de martyrii causa, odium siquidem susceptum pro fide asserenda quam humani generis Salvator et Redemptor in mundum invexit, tum de coelestibus prodigiis quibus tanta constantia et virtus est confirmata, idcirco hosce fortissimos Christi athletas candidato Martyrum choro accensendos deque eorum victoria sollemnem triumphum celebrandum esse autumo. Qui quidem triumphus non solum Ecclesiam militantem novis praesentissimis patronis augebit, sed verum etiam mortalibus omnibus in mari consistentibus atque hac illac fluctibus jactatis magno oppido incitamento atque exemplo erit, quo posthabitis temporalibus bonis quae sunt vento fluxiora, illecebrisque abdicatis et voluptatibus rejectis, quae sursum sunt, quaerant, quae sursum sunt sapiant; atque induentes Dominum Nostrum Jesum Christum, pro ejus nomine et gloria propaganda proque fide vindicanda paratos se exhibeant contumelias quaslibet pati, inju-

rias tolerare, pericula adire, imminentia exitia aspernari, angustias, vexationes, exilium, carcerem aequo animo ferre, vitamque et sanguinem profundere, et tandem mortem ipsam, si opus fuerit, crucisque tormentum, uti Martyres Japonenses, hilares laetique subire.

Quapropter magnum opus bene ac sapienter aggressum perfice, Beatissime Pater, et Orbem universum Apostolicae Sedis oracula avidissime expectantem exhilara.

Dabam Romae die 22 Maji anno MDCCCLXII.

HIERONYMUS Episcopus Sabinensis S. R. E. Cardinalis DE ANDREA.

Beatissime Pater

Duobus et amplius abhinc saeculis Causa de qua agitur, BB. Martyrum Japonensium jam examinata, disquisita, ac probata ita extiterat, ut tam S. Rom. Rotae Auditores, quam S. Rit. Congregationis Cardinales maturo consilio declararint, Causam ipsam esse in tali statu, ut juxta S. R. E. ritum, et Sacror. Canonum dispositionem procedi posset ad istorum Famulorum Dei Canonizationem, in forma Ecclesiae consueta. Ex tunc idcirco manifestum apparuit: constare de illorum martyrio, ac de vera causa martyrii, nec non de miraculis, vel signis illud comprobantibus, ideoque ad actualem eorumdem in Sanctorum albo adscriptionem quandocumque posse deveniri. Quae cum ita sint, minime est dubitandum quin Sanctitas Vestra supremos coelitum honores tandem aliquando illis conferendos esse jubeat, ac decernat.

LUDOVICUS Card. DE ALTERIIS Episcopus Albanensis.

Pro Canonizatione Beatorum Martyrum

Sanctis suis, quibus in carne positis certamen forte disponit Deus, plenam laboris mercedem usque ad mortem in verae Religionis impavida confessione perseverantibus promittit in Coelis, gloria, et honore coronandis.

Ad hujusmodi autem propositum, et gloriam quasi anhelantes, Petrus Baptista una cum suis Sociis, Ordinis Minorum Strictioris Observantiae Discalceatorum ad Japoniae Regiones se contulerunt ad Catholicam Fidem inter barbaras gentes disseminandam, ibique in odium ipsius Fidei tam ipsi cum illius Ordinis Tertiariis, ac duobus iisdem ministrantibus, tam denique et tres e Societate Jesu Alumni, Crucis supplicium, jussu crudelissimi Tyranni, ac, praeeuntibus exquisitissimis cruciatibus, invicta animi constantia pertulerunt.

Quos itaque gloriosissima martyrii palma signis, et miraculis a Deo confirmata in Coelis condecoravit, eos congruum erit, ineluctabili Sanctitatis Vestrae oraculo, rite Sanctorum albo adscribi, unde et illud Redemptoris vaticinium impleatur, quo iis omnibus glorificatio promittitur, qui per mortem, nomen suum in terris confiteri non erubuerunt.

B. Card. BARBERINUS.

Dominante in Imperio Japonensi immanissimo tyranno Taicosama, qui initio privilegium concesserat Missionariis e Societate Jesu praedicandi legem Christi nec non domicilia et templa construendi per totam Japoniam, deinde Bonzorum suggestionibus, infensum quam maxime in Christianos se ostendit, sex ex Ordine Minorum discalceatorum S. Francisci, tres e Societate Jesu, decem et septem ex tertio Ordine S. Francisci dum ad vespertinas preces in

Ecclesia Meaciana die 13 Decembris 1596 convenerant; jussu tyranni ab ejus satellitibus vinculis constricti, extremoque supplicio damnati, die 5 Februarii anni 1597. Nangasaquio crucibus affixi, animi fortitudine invictissima, fidem Christi praedicare haud cessantes, victrices animas coelo inserendas emisere.

Pluribus signis omnipotens Deus horum Martyrum sanctitatem testatam voluit, praesertim eo tempore, quo eorum corpora in patibulis suspensa manserunt.

Urbano VIII. Pontifice sedente, causa Canonizationis eorum ad Congregationem S. R. E. Cardinalium sacris tuendis ritibus delata est, et votum emissum: ***ad illorum Canonizationem quandocumque deveniri posse.***

Canonizatio haec autem, quam toto animo adprobo, post diuturnum trium saeculorum silentium Summo Pontifici Pio Nono reservata provide est, ut Patri Nostro augeatur solamen et gaudium.

A. Card. TOSTI.

Beatissime Pater

Quandoquidem certo constat de martyrio ab istis viginti sex martyribus Japonensibus pro Fide Catholica tolerato, censeo ad illorum Canonizationem tuto procedi posse, immo in praesentibus rerum adjunctis maxima inde bona proventura esse.

At equidem sententiam meam, irrefragabili judicio Sanctitatis Vestrae plene subjicio.

Romae die 22 mensis Maji 1862.

ENGELBERTUS Card. STERCHX.

Mirabili Divinae Providentiae consilio factum esse laetamur, Beatissime Pater, quod dum Japonenses Legati hisce diebus Europam circumeunt, et magna persequutio tum alibi tum in Italia nostra contra Ecclesiam et catholicam fidem excitata impie grassatur, novo circumfusi splendore universo Orbi proponantur Viri, qui in Japonia pro Christo fortiter pugnarunt, et terrore victo saeculi illustrem martyrii palmam Cruci affixi sunt consequuti. Hoc exemplo fideles plurimi ad sectandas virtutes inflammabuntur, sin minus Apostolicorum hominum constantiam admirari cogentur, qui vero persequutionem patiuntur propter justitiam fortiores evadent.

Humillime igitur obsecro Beatitudinem Tuam, quoniam rite peracta sunt omnia quae hisce in casibus fieri solent, ut Sanctorum Martyrum cultum BB. viris Petro Baptistae et viginti duobus sociis ejus nec non B. Paulo Miki pariter cum duobus sociis quamprimum Auctoritate suprema, qua polles, decernere digneris.

F. Card. ASQUINIUS.

Hoc erat in votis, Beatissime Pater, ut Pontificatui Tuo multis nominibus claro, et in Ecclesiae fastis memorando accederet quoque gloria Canonizationis. Et quod maxime admirandum est, eo tempore haec gloria accederet, quo ubique terrarum fervet bellum contra Ecclesiam, quo tempore in Italia vesano furore correpti homines sacra et divina omnia miscent, bona Ecclesiae diripiunt, Episcopos exilio, carcere, omnibusque aerumnis divexant. In hoc sane elucet Dei providentia, quae novo praeliandi genere hostes Ecclesiae prosternit, et Romani Pontificis potestatem tunc Romae explicat, cum contra Romam, et Romanum Pontificem infremunt impotentius hostes.

At vero haec solemnis Canonizatio eo etiam nomine peropportuna accidit, quod universis Christifidelibus ad imitandum proponit eximiae fortitudinis in Japoniae martyribus exemplum. Fortitudo enim hoc tempore omnibus, sed praecipue Ecclesiae praesulibus est summopere necessaria, cum undique hostes religionis omni opere conentur Episcopos, coetus religiosos, ipsamque Petri Sedem suis juribus expoliare, ita ut mortem prius gloriosam oppetere parati simus, quam turpiter cedere.

Quocirca numquam satis praedicari poterit Providentia Divina, quae hac recenti gloria exornat Romanam Ecclesiam, Tuumque Pontificatum, Pater Sanctissime.

NICOLAUS Tit. S. Petri ad Vincula S. R. E. Presb. Card. PARACCIANI-CLARELLI.

Pro Causa Canonizationis
Beatorum viginti sex Martyrum Japonensium
proposita in Consistorio semipublico
Diei 22 *Maji* 1862.

Ex Actis pro Canonizatione sex et viginti beatorum Martyrum Japonensium instructis, luculentissime constat, solemnem illis universalemque Sanctorum cultum ab Apostolica Sede, omni posthabita dubitatione, decerni posse. In comperto enim est, fortissimos Christi Athletas propter Evangelicae doctrinae praedicationem, quam in Japoniae regionibus susceperant, diris tormentis atque immani crucis supplicio affectos, praeclarissimum Catholicae Fidei divinitati testimonium praebuisse. Quorum pretiosam mortem multiplicibus Deus signis ornatam voluit, ut Famulorum suorum virtus et gloria in novum Ecclesiae decus cederet, fidelibusque solatio esset et exemplo. Hisce omnibus mature perpensis ac rite probatis sub Paulo Quinto felicis

recordationis, luce evidentius apparuit, praefatos Christi milites *Martyrium sustinuisse pro Fide Catholica, et ejus confessione et praedicatione.* Accedit constans sanctitatis opinio iis in locis, quae vel eorum Apostolici zeli beneficia sunt consequuta, vel gloriosum admirata martyrium; unde Urbanus VIII, Maniliensis Cleri totiusque Seraphici Ordinis vota clementer excipiens, istorum Martyrum venerationem probavit, atque ut Officio ac Missa eorum memoria celebrari posset, indulgere non dubitavit.

Tibi vero, Beatissime Pater, servata haec gloria est, ut calamitosis hisce temporibus, Martyrum Japonensium virtutes ac merita Pontificia Auctoritate firmares, eisque supremos in universa Ecclesia honores adtribueres: superna namque ductum inspiratione, ad horum Martyrum Canonizationem *tuto procedi posse* Te nuper audivimus decernentem.

Quapropter, Beatissime Pater, dum sapientissimo Sanctitatis Tuae consilio obsequens me submitto, nulla prorsus impedior ratione, quominus et meum pro hujusmodi Canonizatione suffragium praebeam, et humillimas Tibi offeram preces, ut Beatis istis Martyribus Sanctorum cultus et honor quamprimum tribuatur.

I. Card. CARAFA Archiep. Benev.

Beatissime Pater

Praeter ceteras eximias virtutes quibus constat Patrem Petrum Baptistam in Japoniam Legatum, et Commissarium cum omnibus suis Sociis numero viginti quinque, computatis tribus ex inclyta Societate Jesu summopere enituisse, legitime quoque patet omnes Martyrii coronam fuisse assecutos. At cum *Martyres non poena sed causa faciat*, et causa isthaec ex ipsius Tyranni Taicosamae sententiae verbis

nitidissime eruatur, quae Christi Fidei odium quaquaversus redolent: cum praeterea omnes illi Christi Athletae nedum catholicam Fidem ad obitum usque constantissime servaverint, verum etiam cruci affixi circumstanti multitudini quasi e triumphali cathedra eamdem praedicare haud destiterint, hinc neque de Martyrio, neque de Martyrii causa, neque de illorum in Fide invictissima constantia ullo pacto dubitari potest. Ad haec peropportune quidem accedunt tot signa quibus eorum Sanctitatem vel ipsis Ethnicis multifariam Deus confirmavit. Quamobrem nil aliud mihi est reliqui quam Sanctitatem Vestram enixe rogare, ut illos omnes Martyrum fastis adscribas hoc praesertim tempore quo, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, novis stimulis indigere videntur.

XISTUS CARD. RIARIO SFORZA ARCHIEP. NEAPOL.

Acta Martyrii eaque omnia quae ad hanc Causam spectant a Sacra Rituum Congregatione mature discussa atque examinata sunt. A Te, Beatissime Pater, omnia sunt adprobata, atque Decretum emissum tuto procedi posse ad adscriptionem horum Fidei Athletarum in albo Sanctorum.

Cum Feria V. in Consistorio, publica facta fuerit Postulatio pro eorum sollemni Canonizatione, Defensor Fidei nullam emisit protestationem, quod, testante Benedicto XIV in opere de Canonizatione Sanctorum satis indicat, nihil amplius eum invenisse quod opponere posset. Hisce rationibus innixus suffragium meum daturus, sententiam libentissime profero deveniri posse ad sollemnia Canonizationis in Templo Vaticano, quod majori Dei gloriae, Ecclesiae decori, animi Tui solatio ut benevertat, enixis precibus etiam atque etiam a Deo Optimo Maximo imploro.

CAMILLUS TIT. S. JOANNIS ANTE PORTAM LATINAM CARD. DI PIETRO.

Invicti in Japonia Martyres Dominum Salvatorem imitati in Cruce pro Christo vitam strenue profuderunt. De eorum martyrio gaudet Sancta Mater Ecclesia, quia ipsis intercedentibus, de suis inimicis expectat triumphum: laetantur fideles, quia sublatis ad Crucem oculis, in Cruce spem omnem ponendam esse magis magisque agnoscunt. Quocirca Te, Pater Sanctissime, humillime etiam atque etiam precor, ut iisdem Martyribus Sanctorum cultum et honores decernere velis.

CAROLUS AUGUSTUS Tit. S. Caeciliae Presbyter Card. REISACH.

Judicium de causis Beatorum Petri Baptistae, cum aliis viginti duobus Sociis Ordinis Minorum S. Francisci, una cum B. Paulo Miki et aliis duobus e Societate Jesu, qui omnes die* 5 *Febr.* 1597, *pro Christo passi sunt, et in Sanctorum album cooptandi proponuntur.

Beatissime Pater

Nihil prorsus deesse mihi videtur causae viginti sex Beatorum Japonensium, ut ad solemnem Canonizationem admittantur. Nam ex asseveratione multitudinis testium omni exceptione majorum, subierunt mortem pro fide catholica illiusque confessione et praedicatione: hujus porro fidei odium unicum fuit motivum sententiae contra ipsos latae et executioni mandatae.

Omne igitur punctum perficietur, Pater Beatissime, si votis nostris accedat necessarium ac infallibile Sanctitatis Tuae Oraculum, quo, in instantibus pressuris solatium praebeatur Ecclesiae gementi in terris, et exultatio Ecclesiae triumphanti.

Scribebam, Romae, mediante mense Majo anni 1862.

✠ CLEM. Card. VILLECOURT.

Beatissime Pater

Constito ad evidentiam de causa martyrii, deque miraculis ejusdem veritatem divinitus confirmantibus humillime peto ut per Te inclytos viros Japonenses tam forti defunctos certamine corona honoris laetificet in terra, quos jam Dominus Sertis gloriae ornavit in coelis; ibique novos agnoscat Ecclesia sibi adesse patronos, quibus, amota praesentium temporum acerbitate, optatae pacis serenitas illucescat, cesset in Sinis finitimisque regionibus saevissima persecutio, avitae religionis dogmata toto terrarum orbe refloreseant, totque veterum novorumque martyrum sanguine facto Christianorum semine tandem aliquando unum ovile sub uno Pastore, Bme Pater, videre possimus.

ALEXANDER Tit. S. Susannae Presb. Card. BARNABÒ.

Militantis Ecclesiae decus insigni constantia in Christi fide asserenda auxerunt tum Petrus Baptista ex Ordine Minorum strictioris Observantiae discalceatorum cum sociis viginti duobus, tum tres e Societate Jesu Alumni, qui omnes in Japoniae Regno jussu Tyranni prohibentis, ne gentes docerent, ut salvae fierent, contumeliis ac ludibriis affecti et exquisitissimos cruciatus experti ad palmam martyrii per Crucis supplicium securi pervenerunt, illorum virtutem confirmante Domino sequentibus signis.

Quapropter, Beatissime Pater, fortissimi Christi athletae digni mihi videntur, qui a Te Sanctorum Albo recenseantur, ut novo filiorum suorum honore gaudeat Sancta Mater Ecclesia, eorumque intercessione novis in dies honestetur triumphis.

JOSEPH Tit. S. Mariae in Aracoeli Presb. Card. MILESI.

Infallibili Apostolicae Sedis judicio firmatum est, Petrum Baptistam ex Ordine Fratrum Minorum strictioris Observantiae cum Sociis, nonnullisque Tertiariis ac Ministrantibus necnon tres e Societate Jesu Alumnos penes Japoniae Regiones in odium Catholicae religionis ob verbi Dei praedicationem post contumelias, post vincula, post exquisitissima tormenta Crucibus affixos pro Christi nomine Sanguinem fudisse, eaque de causa Martyrii palmam promeruisse.

Stare insuper ejusmodi fortissimos milites ante thronum et in conspectu Agni signis ac portentis a Deo patratis mirifice comprobatum est.

Eapropter aequum censeo, Beatissime Pater, solemni Canonizationis ritu eosdem Martyres in Ecclesia plebis exaltare, ut quos omnipotens Deus gloriae sertis jam ornavit in coelis, iidem et in terris, Sanctitate Vestra decernente, honoris coronam assequantur, quorum intercessione praesentium temporum abeat amaritudo, et Ecclesia tandem valeat recreari.

PETRUS CARD. DE SILVESTRI.

BEATISSIME PATER

Eximii illi viri, de quorum Canonizatione agitur, minime perterriti saevissimis poenis, quibus mulctabantur in Japonia Evangelii praecones, inibi nomen Domini annunciaverunt, ut Christo lucrifacerent animas in tenebris et in umbra mortis sedentes. Qui juxta monitum Petri, imitati sunt exemplum Christi, et secuti vestigia ejus, digni habiti sunt, ut et ejusdem mortem assequerentur in cruce. Haud dubium, quin haec mors inflicta, et accepta sit pro Christo, et proinde quin iidem verum martyrium subierint.

Et cum socii passionis Christi fuerint, Paulo docente, et consolationis et gloriae facti sunt. Quod comprobatum est coelesti testimonio, nempe praeclaris signis et miraculis. Existimo ergo, Bme Pater, ut merito ipsi albo sanctorum Martyrum inscribantur.

CAROLUS Tit. S. M. de Populo Presb. Card. SACCONI.

Ad BB. Martyrum Japonensium Petri Baptistae et sociorum e Franciscanorum familia numero viginti trium, et trium aliorum e Societate Jesu solemnem Canonizationem tuto procedi potest. Constat enim mea quidem sententia, de vero martyrio, id est, de morte in odium Christi inflicta, et pro eo patienter tolerata. Constat insuper de miraculis quae sunt veluti Dei lingua servorum suorum sanctitatem attestantis. Pro eorum igitur canonizatione suffragium fero.

Datum Romae die 22 mensis Maji 1862.

M. Card. GARCIA CUESTA Archiep. Compostellan.

J. M. J.

Dignum sane arbitror, Beatissime Pater, atque Ecclesiae Dei apprime salutare, ut Beati Martyres sex ac viginti, qui anno 1597 in Japoniae Imperio pro Christo passi sunt auctoritate Sanctitatis Vestrae summis Sanctorum honoribus augeantur. Sentio enim in Domino nil magis in praesenti saeculo nequam, atque inimico Crucis Christi conferre posse ad aedificationem populi Christiani, quam ut fortissimi illi Martyres Fidelibus imitandi proponantur; quorum in fide ac caritate constantia usque ad mortem ab Apostolica Sede jamdiu recognita luculenter docet, per-

secutiones in Ecclesia Dei viam semper sternere triumphis, et sanguinis effusionem pro Christo, qui tantopere dilexit nos in Sanguine Suo, maxima praeconia laudis in terris, et immarcescibilem consequi gloriae coronam in Coelis.

CAJETANUS Tit. S. M. supra Minervam Card. BEDINI Arch. Ep. Viterb. et Tusc.

Beatissime Pater

Perlegenti mihi diligentissime tum historiam martyrii et miraculorum, tum acta in causa canonizationis Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti quinque Martyribus Japonensibus, nihil amplius visum est posse desiderari ad illos in albo Sanctorum adscribendos. Testium enim adest plusquam sufficiens numerus omni exceptione majorum qui tam de martyrio, quam de causa martyrii unanimi voce deponunt. Accedunt miracula quibus Filius Dei glorificavit eos, qui Ipsum coram hominibus confessi sunt. Perveniunt denique decreta ex quibus Summus Pontifex sancivit tuto procedi posse ad eorumdem Martyrum canonizationem. Huic igitur sententiae ex toto corde et maturo judicio adhaerens, meum suffragium pro canonizatione praedictorum Martyrum Japonensium libentissime fero.

Sanctitatis Vestrae

Romae die 22 Maji 1862

Humus, devmus ac obsmus filius ac creatura
F. Card. DE LA PUENTE Archiep. Burgen.

Beatissime Pater

Gloriosum christianae fidei testimonium reddidere Beati Martyres Japonenses, pro qua adserenda bonum certamen certantes, vincula, probra, cruciatus, acerbissimam denique

mortem invicto animo tolerarunt. Mors vere pretiosa in conspectu Domini, qui nobilem militum suorum triumphum pluribus illustravit prodigiis, eisque dedit ligno crucis perfrui, adeoque vel ipso supplicii genere conformes fieri imaginis Filii sui, ut quum viam passionis ejus experti essent, experirentur et gloriae.

Facies itaque pro singulari Tua sapientia, religione, pietate, Beatissime Pater, ut ipse arbitror, si Japonensibus Martyribus supremos cultus honores tandem decreveris, ut in miseranda hac temporum calamitate mirae fortitudinis exemplum ad imitandum propositum Christifideles in ipsis habeant, et potentissimo eorum patrocinio tueantur.

ANGELUS Tit. ss. Andreae et Gregorii in Monte Coelio Presb. Card. QUAGLIA.

Beatissime Pater

Praeclarissima Beatorum Martyrum Japonensium caussa diu quidem sed non casu nec frustra quievit: inscrutabilis enim divini consilii altitudo disposuit, ut dum Christi Ecclesia iniquorum consilio et pravis cujusque generis artibus crudeliter divexatur majori quadam divina luce niteret, atque fideles populi in tanta rerum ac temporum perturbatione et novum praesidium haberent, et invictae fortitudinis mirabile exemplum. Quae vitam spectant virtutesque Beatorum Japonensium libenter omitto; quid enim hic memorem singulorum gesta cum de eorum martyrio feliciter consummato atque de communi martyrii caussa luculenter constet? hoc siquidem probant gravissima documenta et probatissimi testes, ac miracula tum in glorioso Beatorum certamine tum post martyrii consummationem a Deo patrata cumulatissime firmant. Sed quale martyrium! vidit enim, ut verbis utar Divi Cypriani « vidit admirans prae-

sentium multitudo coeleste certamen, certamen Dei, praelium Christi: stetisse servos ejus voce libera, mente incorrupta, virtute divina, telis quidem saecularibus nudos, sed armis fidei ardentis armatos ». Tales profecto se exhibuerunt Martyres Japonenses, quippe qui post contumeliarum ludibria et passionum tormenta crucibus affixi, voce libera virtute prorsus divina Christi evangelium annunciare, psalmos et hymnos canere, grates denique Deo persolvere invicta animi fortitudine non destiterunt, donec singuli binis lanceis confossi martyrium consummarunt. Unde S. Rit. Cong. sub Urbano VIII maturo consilio censuit: constare de martyrio et miraculis *beatorum Japonensium*, ideoque ad illorum canonizationem « deveniri posse ».

Preces itaque precibus addam, ut tandem velit Beatitudo Vestra invictissimis Ecclesiae Catholicae heroibus honores cultumque Sanctorum decernere.

Fr. ANTONIUS M. Tit. ss. xii. Apost. S.R.E. Presb. Card. PANEBIANCO.

Beatissime Pater

Dicam et ego quod sentio de causa Canonizationis sex et viginti Martyrum Japonensium.

Ad me quod attinet, causa dicta est. Cum enim jam constet ex sapientissimis Sanctae hujus Apostolicae Sedis Decretis tum de immani persecutione ipsis illata in odium Fidei, tum de fortissima illorum passione, tum denique de miraculis, quibus Deo placuit Servos suos glorificare, Sanctitatem Tuam enixe rogo atque obsecro, ut hanc meam sententiam ratam habere velis, et solemnem eorum Canonizationem statuere.

Persuasum enim mihi est et novam inde gloriam Ecclesiae triumphanti, et novum Ecclesiae militanti praesidium accessurum.

ALOISIUS S. Ang. in foro piscium Diac. Card. CIACCHI.

BEATISSIME PATER

Beatus Petrus Baptista cum viginti duobus Ordinis praeclarissimi Minorum Sancti Francisci, et Paulus Miki cum aliis duobus ex inclyta Societate Jesu Sodalibus apud Japonias gentes praedicaverunt Evangelium Verbi Dei, amaverunt Christum in vita, imitati sunt Illum in morte, et tormentum Crucis subeuntes, coronas triumphales meruerunt. Ideo refulgent tamquam stellae in perpetuas aeternitates.

Sed et nostram hanc aetatem splendidius ornabunt, si a Sanctitate Vestra in Sanctorum album relati fuerint; quod vehementissime expostulo.

J. CARD. UGOLINI S. M. IN VIA LATA DIAC. TITULARIS.

BEATISSIME PATER

Extrinseca et intrinseca hujus causae amice conspirare mihi videntur, ut quamcitius fieri potest supremo oraculo Pontificiae Auctoritatis concludatur, et Sanctorum catalogus splendeat nominibus viginti septem divi Francisci divique Ignatii illustrium discipulorum, qui suis clarissimis Institutis tamdiu de christiana societate et de Sancta Romana Ecclesia benemeritis, novum lumen et maximum honorem martyrio addiderunt. Concordissimi enim et spectatissimi testes martyrium et causam martyrii ita probatam faciunt ut nihil dubitationis relinquant. Praeterea non defuerunt plures divini testimonii significationes in externis signis quae martyrium comitata et consecuta sunt.

Intrinseca vero ejusmodi sunt ut in admirationem rapiant tantae virtutes quae ex gratiae divinae copiosa irrigatione mirabiliter profluxerunt. Isti Martyres scientes quod

oportet magis obedire Deo quam hominibus, fuerunt in tormentis patientes, in confessione fideles, in sermone veraces: confessi sunt Christum coram omnibus et certarunt usque ad mortem pro lege Dei et fide nostra. Quare vana et contemptibilia hujus mundi et aerumnosos hujus vitae dies commutaverunt cum immarcescibili gloriae corona et cum perpetuo aeternitatis gaudio.

Nihil igitur deest in hoc maximo negotio nisi ut per oraculum Tuum, Beatissime Pater, novo lumine ornati appareant in Ecclesia intercessores fortissimi isti athletae ad corroborandam patientiam nostram, ad erigendos animos omnium fidelium nimia terrenarum rerum cupiditate attritos et impendentium malorum formidine commotos.

PETRUS S. NICOLAI IN C. T. DIACONUS CARD. MARINI.

Japonen. Canonizationis
Beatorum sex et viginti Martyrum.

Non sine peculiari Dei munere factum apparet, Sanctissime Pater, Canonizationem Beatorum Martyrum Japonensium ad haec usque tempora dilatam, ut videlicet fideles nostris etiam in regionibus dura quaeque, et aspera pro Christo perferentes luculentissimò heroicae fortitudinis erigerentur exemplo, novoque efficaci praesidio munirentur.

Opus itaque peropportunum, quod a Paulo V coeptum Urbanus VIII est prosecutus, feliciter absolve; strenuosque evangelicae doctrinae propugnatores, quos inter sanctos Domini Athletas regnantes in coelis evincunt ipsa persecutoris sententia, carceres, mutilationes, effusus sanguis, mors asperrima crucis hilari vultu, constantique animo tolerata, indubiis effulgens prodigiis, intra eorumdem ordinem colendos in terris Apostolico oraculo decernere ne differas.

JOSEPH CARD. BOFONDI

Si alias semper opportune Christi fidelibus fortissimorum in agone pro Christo certantium proprio sanguine parti triumphi exhibiti fuere; hisce nostris temporibus id maxime necessarium, et in votis totius Ecclesiae fuisse ultro fatendum. Quare Deo primum Optimo Maximo adspiranti; Tibi dein Beatissime Pater dignae referendae grates, qui praeclarissimos viginti sex Japoniae Martyres solemni ritu, et maxima qua fieri possit celebritate Sanctorum albo adscribendos, et militantis Ecclesiae venerationi, et in Fidei constantia imitationi proponendos statuisti.

Die 22 Maji 1862.

J. Card. ANTONELLI.

Saluberrimum futurum esse Christianae, ac Catholicae Ecclesiae, si canonizatio viginti sex Martyrum Japonensium fieret in hac infelicis saeculi, quo degimus, periodo, lynceis oculis tuis, Beatissime Pater, perspexisti. Hinc enim teterrime saevit religionis nostrae persecutio; ut qui illam patiuntur vel praestolantur solamen, refrigerium, spem, ac spiritum sumere queant ex novis hisce invidendis exemplaribus invictae fidei ac fortitudinis. Illinc Japoniae insularum portae, per biscentum, et quinquaginta fere annos, incredibili perseverantia toti orbi immaniter clausae, improviso hodie christianis nationibus reserantur. Quid opportunius, quam isti populo redivivo magno sane animo atque acri ingenio praedito ob oculos ponere plures suae gentis fortissimos heroes qui pro Christi confessione durissimum supplicium pertulerunt, quos Religio ipsa ab eorum tyrannis adeo olim vexata, atque oppressa, sed in ceteris Orbis totius regionibus longe lateque diffusa, ac jugiter permanens, infinitarum gentium admirationi offert, ac mirabili gloria, quae Sanctos comitatur, distinguit ac ditat?

Nihil igitur ambigo, quin sapientissimo consilio Tuo, Beatissime Pater, adhaeream, ac pro expetita canonizatione meum suffragium adjiciam.

ROBERTUS S. CAESAREI DIAC. CARD. ROBERTI.

De Beatis sex et viginti Martyribus Japonensibus.

Sanctorum in album solemniter cooptare B. Petrum Baptistam cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci nec non B. Paulum Miki et alios duos e Soc. Jesu, qui omnes die 5 Februarii anni 1597 in Japonia Crucis subeuntes tormentum pro Christo passi sunt, nil aliud est, veluti mihi subscripto videtur, nisi quod tam faustis inceptum est ominibus et ad felicem exitum deductum opus perficere. Nam dum ad Canonizationem duo copulative requiruntur, scilicet excellentia virtutum in gradu heroico et miracula. In hisce omnibus Beatis adest virtus in gradu heroico, et adsunt miracula. Testes quippe duodeviginti recensentur, qui certa scientia asseverant eos Dei famulos alacri laetoque animo martyrium sustinuisse *pro fide Catholica et illius confessione et praedicatione*, veluti confirmant plura signa, quibus Omnipotens Deus horum Martyrum sanctitatem testatam voluit. Huic accedit quod paulo post mortem BB. Martyrum accurata ad Apostolicam Sedem per Archiepiscopum Maniliensem transmissa fuit martyrii relatio, quae tamquam processus ordinaria auctoritate instructus habita est. Quamobrem postquam Congregatio S. R. E. PP. Cardinalium sacris tuendis ritibus maturo consilio censuit: constare de martyrio et miraculis ideoque ad actualem illorum Martyrum canonizationem quandocumque deveniri posse: et postquam SS. DD. NN. Pius Papa IX rite de-

crevit tuto procedi posse ad horum Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium Canonizationem, eos in numero Sanctorum solemniter in forma Ecclesiae consueta adscribendos esse, libenti animo in Domino existimo.

Dabam Romae pridie Idus Maji 1862.

DOMINICUS Tit. S. M. in Aquiro S.R.E. Diac. Card. SAVELLI.

Beatissime Pater

Aequum est, Beatissime Pater, ut eorum triumphis Ecclesia in terris militans coronetur, quorum societate ipsa in coelis triumphans exultat.

Beatum Petrum Baptistam sociosque ejus in Japonia a tyranno Taicosama crucibus affixos jamdiu gloria et honore coronavit Dominus, qui eosdem sibi antea formaverat suae fidei Athletas. Etenim certamen forte dedit illis ut vincerent, quos tamquam aurum in fornace probatos voluit.

Ipsi vero ambulantes in lege Domini et praeceptis ejus servientes, servaverunt fidem, amaverunt Christum in vita sua, imitati sunt eum in morte sua. Jure igitur meritoque honorem illum quem in coelis obtinent, et quem per signa et miracula Deus comprobavit, habeant a Te, Beatissime Pater, etiam in terris. Novos per Te agnoscat Ecclesia adesse in coelis Patronos, quorum sanguis incendium persecutionis extinguat, quorum patrocinio, praesentium temporum acerbitate remota, optatae pacis serenitas illucescat.

PROSPER S. Mariae Scalaris Diaconus Card. CATERINI.

Trecentos fere abhinc annos, Beatissime Pater, viginti sex Martyrum corpora pro Christo interfectorum in extremis Asiae oris sub ara Dei siluerunt, quod factum esse sapientissimo divino consilio censeo. Illae enim Japoniae

Insulae jampridem Sancti Francisci Xaverii saeculo decimo sexto ad medium vergente (1549) deinde ad ejusdem Ævi prope exitum hujus Beati Petri Baptistae, de quo in hac disquisitione agitur, praedicatione ad fidem adscitae et sudoribus irrigatae, rursum superstitionis tenebris obductae et persecutionis furoribus territae Evangelii facem fere amiserunt, quasi Deus clamantem Sanctorum sanguinem vindicare voluisset. Sed nostris diebus, et Te Beatissime Pater Vaticanam arcem tenente, exurrexit Deus et arma fortissimarum Gentium contulit ut nova et sancta Fidei lux affulgeret, et semitae rectae et tutae ad illas Regiones sternerentur sub pedibus evangelizantium pacem. Nec solum vidimus has pene toto Orbe discretas Insulas Deum expectantes, sed illud pene interminatum ad Orientem Sinarum Imperium, hominum et Urbium frequentia non minus quam antiquissima superstitione, necnon vetusta civilitate percelebre, et illas adhuc pene ignotas Tonkini et Conchinchinae late patentes, lacte et melle fluentes Regiones, vidimus et laetati sumus, Apostolorum non modo sonitu et verbis, sed etiam Martyrum sanguine, in quo gloria et victoria Crucis vere adimpletur, Universalis Ecclesiae plausu celebratas, et precibus et votis ad ulteriores palmas excitatas. Hujusmodi simul concurrentes eventus, scilicet, illuminatio prope dicam vultus Domini super illas Regiones jamdudum in umbra mortis jacentes, et ad Sanctorum honores evectio eorum qui proprio sanguine eas purpurarunt coelestis ille afflatus, mihi videtur, Spiritus Domini, quem Tu Beatissime Pater solum expectas et a Deo jamdiu precibus exoras, ut novus Ezechiel ossa dormientium Tuo verbo expergefacias, et ad solemnem Canonizationis actum tutus et alacer devenias, tot firmis argumentis roboratum, tot Ecclesiae Procerum votis expetitum, ab Universo Catholico Orbe diutissime et universaliter optatum.

GASPAR TITULI SS. VITI ET MODESTI DIACONUS CARD. GRASSELLINI.

Dudum martyrii acta diligenti juridicoque examini exposita fuerunt, atque probata. Post unius alteriusque saeculi cursum, qui commenta delere solet, judicium illud ad iteratam disquisitionem revocatum, uti veritati innixum, meruit confirmari. Nihil itaque obstat quin Sanctitas Vestra terminali sententia Canonizationem decernat; itaque, ingruentibus Ecclesiae agonibus, horum beatorum Martyrum caritatis ardor et fidei constantia imitanda proponatur.

THEODULPHUS DIACONUS S. EUSTACHII CARD. MERTEL.

BEATISSIME PATER

Quod juxta sacrorum Canonum leges pro futura viginti sex Beatorum Martyrum Japonensium Canonizatione requirebatur, numeris omnibus expletum esse, luculenter ac firmissime constat ex Decretis a Summis Pontificibus latis, et praesertim e Supremo Tuae Sanctitatis Oraculo, quo decrevisti « Tuto procedi posse ad solemnem eorumdem viginti sex Beatorum Martyrum Canonizationem ». Nihil aliud igitur pro hujus causae coronide optandum esse videtur, nisi Beatitudinis Tuae suprema et infallibilis sententia. Quapropter hoc judicium pro ingenii mei tenuitate singulari sapientiae Tuae humillime submitto, ac deprecor, ut ad majorem Dei gloriam, ad militantis Ecclesiae utilitatem, et heroicae fortitudinis exemplum iis Christi fidelibus, qui in longinquis Asiae regionibus in praesentiarum diras persecutiones pro christiana Religione patiuntur, quam citius, Beatissime Pater, suprema qua polles Apostolica auctoritate, hanc Canonizationis sententiam solemniter proferre digneris, per quam isti Beati Martyres inter Sanctos recenseantur; et quos in terris Sanctorum cultu venerari

nobis dederis, ipsos apud Deum novos intercessores habere mereamur in Coelis.

Datum Romae XI Kalendas Junii MDCCCLXII.

MELCHIADES FERLISI PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS.

BEATISSIME PATER

Non sine mirabili Dei consilio factum arbitror solemnem Canonizationem BB. Martyrum Japonensium, quorum 23. ex Ordine Seraphico Strictioris Observantiae, et tres e Societate Jesu, ad haec usque tempora dilatam ut excelsum triumphum in Coelis consolaretur in aerumnis Sancta Mater Ecclesia militans in terris. Quapropter, Beatissime Pater, vehementissime rogo ut hoc tam dulce ac gloriosum opus digneris Apostolica auctoritate perficere, et memoratos viginti sex Martyres Christi albo Sanctorum adscribere, ut, magis magisque multiplicatis intercessoribus, ab Omnipotenti Deo Optimo Maximo gratiae omnes misericorditer largiantur.

22 Maji 1862.

CAROLUS BELGRADO PATRIARCHA ANTIOCHENUS.

BEATISSIME PATER

Provida Divinae sapientiae ratio effulget, uti plane sentio, ex incepto abs re consilio majoribus coelitum honoribus ditandi sex et viginti Beatos Evangelii Praecones, qui ex familia divorum Francisci et Ignatii in Japoniae Imperio gloriosam mortem alacriter pro Christo passi sunt, et quorum inclyta merita praeclaris patent miraculis.

Quapropter non modo sentio, sed magnopere cupio, quinimo et expostulo, Beatissime Pater, ut quod habes propositum quamprimum perficias, et ita veri fideles laudantes benedicent Dominum, impii vero pudore affecti ad veram fidem tanto istorum Martyrum triumpho convertentur.

Romae die vigesima secunda mensis Maji Anni millesimi octingentesimi sexagesimi secundi.

Ego Thomas Indiarum Patriarcha.

Գերերջանիկ Հայր

Որք յերկիրն Ճաբոնացւոց ընդ ձեռամբ անագորոյն կռապաշտիցն զարիւն իւրեանց հեղին, և զորոց զպանծալի մահն մեծագործ նշանիւք գերահրաշ պերճացոյց Աստուած, զքաջազօտի ախոյեանս Քրիստոսի արդարև արժանիս դատիմ՝ զի Սրբութիւն Ձեր 'ի կարգ երկնայնոց դասել հաճեսցի. և յօգուտ մեծ լինել համարիմ՝ եթէ մեծահանդէս նուակատօք սրբացուցման յորինակ քաջութեան համօրէն հաւատացելոց հանդիսացին, որով և ուղղափառ եկեղեցիս՝ որ յողբալից յաւուրս յայսմիկ հալածի յանիրաւս՝ քաջալերութեամբ նոցուն իսկ մարտիրոսաց հասցէ 'ի նաւահանգիստն խաղաղութեան. և որ միանգամ շնորհիւ Սրբութեան Ձերոյ սկիզբն առաք միութիւն արևելեան եկեղեցեաց ընդ Աթոռոյ Պետրոսի՝ համատիւ առաւել ծաղկեսցի ։

✠ Ա. Վ. Հասունեան Արքեպիսկոպոս
Նախագահ Հայոց Կ. Պօլսոյ.

Ejusdem versio.

Beatissime Pater

Fortissimos Christi Athletas, qui in Japonensibus regionibus idololatrarum saevitie perculsi sanguinem suum effuderunt, et quorum gloriosum obitum praeclaris miraculis

Deus ditavit, jure arbitror Sanctorum Martyrum albo a Sanctitate Vestra esse accensendos, atque utilissimum esse existimo ut solemni Canonizationis ritu universis fidelibus imitandi proponantur, ac simul Catholica nostra Ecclesia, quae luctuosissimis hisce temporibus tam diras patitur persecutiones, intercedentibus ipsis Martyribus, pacem acquirat, et cum hac Petri Cathedra Orientis Ecclesiarum unio quae auspiciis Sanctitatis Vestrae jam incepit, latius universeque diffundatur.

Antonius Hassun Archiep. Primas Armenus Constantinop.

Beatissime Pater

Sancta Mater Ecclesia Catholica semper docuit, ut qui in testimonium nostrae Catholicae Fidei sanguinem suum fuderit Martyr appellari debeat. Cum autem beatus Petrus Baptista cum aliis viginti duobus sociis ex Ordine Minorum S. Francisci strictioris Observantiae, nec non beatus Paulus Miki aliique duo e Societate Jesu sanguinem suum effuderint in testimonium nostrae sanctae Fidei; ideoque ego subscriptus ad Pedes Sanctitatis Tuae in genua provolutus humillime oro quaesoque ut ad gloriam Dei, nostrae sanctissimae Catholicae Religionis incrementum, et honorem tum Ordinis Minorum S. Francisci, tum Societatis Jesu, nec non ad excitandam constantiam Catholicorum qui degunt sub immanitate Paganorum in Concincina, Tunchino, et alibi, pro fide catholica usque ad mortem viriliter adserenda, inter sanctos Martyres illos adscribere digneris.

✠ Aloysius M. Cardelli Archiepiscopus Acridae.

Μακαριώτατε Πάτερ

Επειδὴ ἐν τῇ παρούσῃ τῶν αἰδεσιμωτάτων Πατέρων ἑορτασίμῳ Βουλῇ, Σοῦ προεδρεύοντος Ἄκρου τῆς Οἰκουμενικῆς Ἐκκλησίας Ἀρχιερέως, ἀνακρίνεται ἡ περὶ τοῦ κηρύττειν Ἁγίους τοὺς εἴκοσι καὶ ἓξ ἐν Ἰαπωνίᾳ πολὺν ἤδη χρόνον μαρτυρήσαντας Μακαρίους ὑπόθεσις· οὐδὲν εὐτυχέστερον, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν πνευματικῶς συμφερότερον ἀποβαίνειν μοι ἡγέομαι, εἰ μὴ κατὰ δύναμιν συνεργεῖν εἰς τὴν λαμπροτέραν αὐτῶν τιμὴν. καὶ δόξαν. Εἰς ἄκρον γὰρ ἄξιοι οἱ τοῖοι ἄνδρες μοι φαίνωνται ἵνα ἐν τῷ Συλλόγῳ τῶν Ἁγίων ἀναγραφῶσι, οὐ μόνον διὰ τὰς ἐνδόξους ἃς ἀεὶ ἔπραξαν ἀρετὰς, καὶ διὰ τὰ οὐράνια χαρίσματα καὶ θαυμάτων δῶρον, ὧν μεταλαβεῖν ἐκαταξίωσεν αὐτοὺς ὁ Παντοκράτωρ καὶ ἐλεήμων Θεός, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν ἀήττητον αὐτῶν ἐν πίστει σταθερότητα, ὑπερφυὴν ψυχῆς ἀνδρείαν, καὶ ἡρωϊκὴν ἀγάπην πρὸς τὸν Σωτῆρα Ἰησοῦν, ὑπὲρ οὗ το αἷμα αὐτῶν γενναίως ἔχυσαν.

✠ Στέφανος Ἀρχιεπίσκοπος Εἰρηνουπόλεως

Ejusdem versio.

Beatissime Pater

Cum in hoc solemni Patrum Conventu, Te Pastore Principe, de suffragiis a Sanctitate Tua excipiendis prospere agatur quibus plaudentes universi gratulamur Tibi de triumphali gloria quam Beatis Japoniae Martyribus jamjam es delaturus; non equidem dubito quin et meas aequus bonusque preces admittere velis et vota. Scilicet Ecclesiae Graecae, cujus hinc absentes Pontifices vehementer doleo, sensum propensamque voluntatem veluti interpres et quodammodo Orator ipse Tibi humillime pando. Nemo enim ambigat et Orientis etiam Ecclesiam exoptare impense ut in Sanctorum Album illi ab hac Sede Apostolica festo cultu cooptentur qui praeclaris virtutum meritis donis signisque aucti, invicta fidei constantia, mira animi fortitudine, et heroica in Deum caritate sanguinem alacres pro Christo fuderunt. Spes interea alta manet cordi reposita viros glo-

riosos, quos utpote virtute divites jure optimo laudibus commendamus, grati animi sui ergo cum Tibi tum Ecclesiae, quam sapienter adeo moderaris, secundos foventesque non sero futuros.

✠ Stephanus Archiep. Irenop. Ritus Graeci.

Beatissime Pater

Quum rite probata fuisse abunde constet Martyrium causamque Martyrii, ac signa et miracula sex supra viginti Beatorum Martyrum Japonensium a Deo ipsorum intercessione patrata, nimirum B. Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis ex Ordine Minorum S. Francisci, ac B. Pauli Miki, aliisque duobus e Societate Jesu: cumque dubio rite proposito Sanctitas Tua responderit, ad solemnem eorumdem canonizationem tuto procedi posse, iccirco dignissimos eosdem judico, qui solemnis Canonizationis honore decorentur.

Datum Romae cum facultate Pontificia sub die XXII M. Maji anno MDCCCLXII mea manu scriptum ac subscriptum.

✠ Emmanuel Marongio-Nurra Archiep. Calaritan.

Սրբազան Հայր

Որ ինչ խոհական խորհրդով սրբոյ արարողութեանց ժողովոյն յաղագս գործոց և առաքինութեանց և վկայութեան երանելեացն ՚ի Ճապոնիա կատարելոց հաստատեալ է, բաւական համարիմ առ ՚ի թիւս սրբոց իշխանութեամբ սրբոյ առաքելական Պ՟ահուդ զնոսա դասակարգելոյ։ Վ՟անզի երանելին Պետրոս Մ՟կրտիչ ընդ քսանևերկու վկայակիցս իւր ՚ի կարգէ կրտսեր եղբարց սրբոյն Փրան-

կիսկեայ, և երանելին Պօղոս Միքի հանդերձ երկոքումբք վկայակցօքն իւրովք 'ի կարգէ Յիսուսեանց, խաչեալք 'ի Յապոնիա ետուն զկեանս իւրեանց վասն Քրիստոսի. և քանզի սրբութիւն վարուց նոցա աստուածահրաշ նշանօք բազմօք վկայեալ է, 'ի դէպ համարիմ զի 'ի նախանձ նմանութեան ազգին հաւատացելոց. որպէս զի և նոքա ըստ օրինակի սրբոց նահատակացս զերկրաւորս արհամարհեալ՝ աստուածային սիրով ըստ կարի բորբոքեսցին: Արդ արոյ արժան է արևմտեան և արևելեան եկեղեցեաց տօնախմբել զյիշատակ սոցա, և զՔրիստոսի յերկրի աստ խաչակցեալս ունել յերկինս առ նա բարեխօս: Ինձ այսպէս թուի, եթէ և քեզ, Սրբազան Հայր՝ որ ամենայն եկեղեցեաց գլուխ ես և հովուապետ, այսպէս հաճոյ թուեսցի:

✠ Ղուկաս Հիւրմիւզեան
Արքեպիսկոպոս Շիրակայ Հայազգի:

Ejusdem versio.

BEATISSIME PATER

Quod maturo Sacrae Rituum Congregationis judicio, de Beatorum Japonensium gestis, virtutibus, ac martyrio firmatum habemus, satis esse arbitror, ut de hac Sedis Apostolicae auctoritate, Sanctorum fastis vel ipsi inscribantur. Beatus enim Petrus Baptista, aliique viginti duo socii Ordinis Minorum S. Francisci, et Beatus Paulus Miki, aliique duo e Societate Jesu Crucis tormentum in Japonia passi, animam pro Christo posuerunt. Et quum ipse Deus, istorum Martyrum vitae sanctimoniam, mirabili prorsus modo, signis, ac prodigiis iterum iterumque comprobarit, dignum censeo quod spectatissimum istiusmodi fidelibus proponatur exemplar, ut Christi Athletas, in humanarum contemptu rerum, Deique caritate, imitari pro viribus studeant. Congruum est itaque, Pater Beatissime, ut hosce Sanctos, occidentalis et orientalis veneretur Ecclesia, et qui

in terris Christum imitati sunt, intercessores apud eum in coelis habere mereatur. Haec autem sentio, si tamen Tibi, supremo totius Ecclesiae Pastori, arrideant.

✠ Eduardus Hurmuz Archiep. Siracensis Nationis Armenae.

Beatissime Pater

Cum ex accurato examine, a Sacra Rituum Congregatione jam peracto, apprime constet tum de Martyrio, tum de Miraculis Beati Petri Baptistae, et Sociorum ejus ex meo Seraphico Ordine S. Francisci, et Beati Pauli Miki cum aliis duobus ex Societate Jesu; iccirco mihi jucundissimum est, affirmativum proferre suffragium, nempe, quod hujusmodi fortissimos Martyres Japonenses solemni Canonizatione dignos esse arbitror. Ipsi omnes enim pro Fidei Catholicae confessione, et praedicatione in Japonia crudele Crucis supplicium alacri, laetoque animo subierunt: atque tam ante, quam post mortem crebris miraculis Deus eorum Sanctitatem illustravit. Quapropter enixe deprecor, B̃m̃e Pater, ut recensitos sex et viginti Christi Martyres suprema ac infallibili Auctoritate Tua Sanctorum fastis adscribere digneris ad laudem Omnipotentis Dei, ad majorem Fidei catholicae, et Ecclesiae Militantis gloriam atque exaltationem, nec non ad splendorem, tutelam, ac incrementum inclyti Ordinis Minorum, et clarissimae Societatis Jesu. Ita igitur sentio, sic precor.

Romae ex Conventu S. Petri in Monteaureo die 22 mensis Maji 1862.

Ego humillimus filius
Fr. Raphael De Ambrosio Archiep. Dyrrachien. in Macedonia.

BEATISSIME PATER

Viginti sex Martyres qui apud Japoniae gentes praedicaverunt Evangelium verbi Dei ad salvandas animas, amaverunt Christum in vita, imitati sunt Christum in morte, et postquam Crucis supplicium subierunt, meruerunt coronas triumphales. Age igitur Beatissime Pater; atque istos Coelestes Patronos, quod ego una cum universo Catholico orbe expostulo, in Sanctorum album enumera.

Datum Romae die 22 Maji 1862.

✠ JOANNES ARCHIEP. NEO-EBORACEN.

Cum epitomen actorum, quae in causa de qua agitur ad juris tramites summa sedulitate confecta sunt, attente perpenderim, nulla nec levissima dubitatio ingeri animo potuit, quae Beatorum vigintisex Martyrum sollemni Canonizationi adversari videatur: quinimmo irrefragabili judicio Tuo, Beatissime Pater, eam statim decernendam existimo, ne illis debitus honor amplius protrahatur, et nos in hac lugenda temporum acerbitate ad alacrius certandum praeclaro eorum exemplo, fulgidissimam, qua in coelis emicant, coronam ob oculos habeamus.

FR. ANTONIUS ARCHIEP. ICONIEN. ALMAE URBIS VICESGERENS.

Ex probatissimis testimoniis, aliisque rationum momentis satis exploratum est, B. Petrum Baptistam, suosque duos et viginti consocios Ordinis Minorum S. Francisci strictioris observantiae, et B. Paulum Miki cum aliis duobus e Societate Jesu, pro sanctissima Religione nostra asserenda fortiter in Japonia pugnasse, et cruci affixos lanceisque dire

confossos sanguinem, vitamque ipsam infracto pectore profudisse, propositisque suo tempore dubiis « *An tuto procedi posset ad solemnem eorumdem Beatorum Martyrum viginti trium, et aliorum trium e Societate Jesu Canonizationem,* » Emos Patres in Congregationibus statuto tempore habitis, uno ore affirmativam sententiam protulisse, quam quidem Apostolica confirmavit auctoritas.

His ex instituto praemissis, ac jure riteque peractis, id meo sane judicio reliquum est, ut, scilicet, pontificium decretum executioni solemniter demandetur. Eapropter ea majori, qua possum, animi alacritate, Te, Beatissime Pater, oro, obtestorque, ut tam gravi negotio fine tandem imposito, invictissimos Christi athletas in Sanctorum album referas, ad gloriam Dei sempiternam, ad sanctae religionis nostrae praesidium ac decus, ad catholicum Orbem sancta ac veneranda laetitia exhilarandum, utque Sanctorum piissimo pro nobis multiplicato interventu, ad coelestem Jerusalem felicem tandem aliquando habeamus introitum.

Romae hac die vigesima secunda mensis Maji An. millesimi octingentesimi sexagesimi secundi.

A. Archiep. Damascenus.

Beatissime Pater

Omnibus mature consideratis, quae in causa Canonizationis Beatorum Martyrum B. Petri Baptistae et viginti duorum sociorum, B. Miki et duorum sociorum juxta SS. Canones acta sunt, nullatenus dubito quin tuto ad eorum Canonizationem procedi possit et oporteat.

Vota insuper facio, ut per eorumdem potentissimum patrocinium in coelis sub dilectissimo Pontifice nostro Pio IX

dies mali abbrevientur et Ecclesia sancta Dei omni pace frui mereatur.

22 Maji 1862.

✠ I. Archiepiscopus Ultrajectensis.

Beatissime Pater

Religio pietas sui ipsius abnegatio et ferventissimus caritatis ardor quo in Deum et proximum Beati viginti sex Martyres Japonenses ita exarserunt, ut vitam pro Christo darent, meritissimos ipsos reddunt, ut supremo Sanctitatis Vestrae judicio inter coelites referantur, quemadmodum etiam atque etiam a Sanctitate Vestra, nomine Sanctae Constantinopolitanae Latini ritus Ecclesiae, cui uti Vicarius Apostolicus Patriarchalis immerito deservio, supplex exposco.

✠ P. Brunoni Archiep. Taronen. Vic. Apost. Patr. Const.

Beatissime Pater

Ex Apostolicae Sedis actis constat de Martyrum Japonensium martyrio, martyriique causa, signis, et cultu; idcirco iisdem actis adhaerens summopere expedire existimo, ut Martyres ipsi in album Sanctorum referantur, cum, tristissimis hisce temporibus, quibus Ecclesiae bonisque omnibus teterrimum indictum est bellum, ex eorum Martyrum solemni cultu novus Religioni triumphus, fidelibusque in perferenda persecutione fortior ex exemplo animus adjiciatur.

A. Archiepiscopus Philippensis.

Beatissime Pater

Injuriam facit martyri, qui orat pro martyre vetus est effatum prisca Patrum traditione confirmatum. Constat de martyrio B. Petri Baptistae cum aliis vigintiquinque Sociis, constat de causa martyrii, quam Deus ipse plurimis signis testatam voluit, constat de cultu his tanquam Beatis praestito, quid aliud expectandum nobis erit? Si Christus exaltatus a terra omnia traxit ad seipsum, et hi Martyres in similitudinem Christi et ipsi exaltati a terra trahent ad se Japoniam, quae denuo portas Evangelii praeconibus aperiet, trahent Societatem Jesu, quam a malignantium calumniis vindicabunt, trahent Ordinem Seraphicum cui novum addent splendorem, trahent totam Ecclesiam, cui victoriam de hostibus infensissimis obtinebunt. Hinc censeo, si Sanctitati Tuae placeat, eorum nominibus Sanctorum fastos augeri.

✠ Franc. Xav. Archiep. Surrentinus et Assistens.

Beatissime Pater

Japonenses Protomartyres veterum christianorum aemulati constantiam, firmitate animi infirmitatem corporis vincentes, ut Cypriani verbis utar, alacri animo pro Christi fide crucis poenam sustinuerunt. Qua re supremo duliae cultu eos esse honorandos humillime sentio.

Die 22 Maji 1862.

✠ Vincentius Archiep. Nisibenus.

BEATISSIME PATER

Beatorum Martyrum de quibus agimus, ut verbis utar Augustini, patet *confessio in fide, fortitudo in spe, latitudo in caritate* (1). Id ineluctabilibus documentis et supernis signis comprobatur: id Urbani VIII et Sanctitatis Tuae decretis luce clarius apparet. Igitur absque ulla haesitatione censeo Beatos ipsos inter Sanctos accensendos, et humillime rogo Sanctitatem Tuam, ut quod sapientissime judicasti, re demum compleas.

✠ PETRUS DE VILLANOVA CASTELLACCI ARCHIEP. PETRAE.

BEATISSIME PATER

Nihil in hoc subversionis saeculo utilius, nihil optabilius, quam Christifidelium non solum venerationi, sed magnifico exemplo illos praeclarissimos Viros, qui animam suam non fecerunt pretiosiorem quam se, et seipsos tradiderunt ut veritati solemne perhiberent testimonium, Suprema Apostolicae Sedis infallibili auctoritate proponere. Et certe viginti sex Japoniae Martyres, et ut ita dicam dantes odorem, et frondentes in gratia flores, quorum viginti tres S. Francisci Ordinem, tres vero Societatem Jesu, novo honore cumularunt, non immerito inter eos sunt adscribendi. Ipsi enim inter maximos cruciatus usque ad mortem, mortem autem crucis sanguine proprio purpuream Ecclesiae Christi vestem ut semper tamquam aquilae juventus ejus renovetur, antiquo splendore cohonestarunt. Quapropter ut Ipsos ad laetitiam et juvamen populi Christiani, cum dies sunt mali, in toto orbe terrarum Sanctitas Vestra inter Sanctos invocandos irreformabili judicio decer-

(1) In Psal. 39 n. 16 (quod est) *caritatis in corde diffusio* in Psal. 67 n. 36.

nat, non solum dignum censeo, sed etiam ut mihi in nova missione commissa utinam sanguinem dandi, saltem meipsum tradendi exemplo sint, etiam supplex rogo, atque obtestor.

VINCENTIUS SPACCAPIETRA ARCHIEP. SMYRNEN. ET ASIAE MINORIS VIC. AP.

Cum ex sapientissimo Apostolicae Sedis judicio constet de Martyrio, ac Miraculis sex et viginti Martyrum Japonensium Petri Baptistae, et Paulo Miki, eorumque sociorum, qui exeunte saeculo decimosexto pro Christi fide crucis supplicium subierunt, nihil obstat, mea quidem sententia, cur non cito ad solemnem eorum Canonizationem procedatur; praesertim cum Divinae Providentiae consilio sane factum sit, ut quae ea de re facienda erant hisce luctuosissimis temporibus explerentur, in quibus quamplures nefarii homines, spiritualis aeternaeque vitae immemores, Crucis Christi inimici ad quasdam disseminandas doctrinas humanis cujuscumque generis passionibus nimis faventes, et huic materiali vitae accomodatissimas, sub specie libertatis et progressus, ut ajunt, totis viribus intendunt. Quare rogo obtestorque, Beatissime Pater, ut Sanctitas Vestra quamcitissime Sanctorum albo adscribat Martyres Japonenses: maxime enim decet in tanta rerum tempestate Christifidelibus nova exempla perfectissimae omnium bonorum, ipsiusque vitae temporalis abnegationis et contemptus proponere, novosque Patronos praebere.

✠ MARIANUS ARCHIEP. RHEGIN. ASSISTENS.

Insigne profecto caritatis ac fortitudinis specimen exhibuerunt hi sex et viginti religionis nostrae heroes, quorum causa hic agitur, qui admiranda primorum Martyrum exem-

pla, quorum sanguine crevit Ecclesia, in illis remotissimis Japoniae oris retulere. Hoc autem iis auspicatissime contigit, ut Christum Dominum, cujus imaginem viventes moribus expresserant, Eumdem et mortis genere imitarentur. Hanc vero mortem, aut ex verae Religionis odio iis a Tyranno illatam, aut ab iis fortiter pieque toleratam fuisse nemini dubium esse potest. Neque defuit Deus solemni prodigiorum testificatione eorum triumphum decorare; quibus factum est ut jamdiu iis cultum deferendi venia aliqua data fuerit. Verum solemniter Eos in Sanctorum Censum referre, iisque supremos Sanctorum virorum honores decernere id Tuum est, Beatissime Pater, qui Dei nutu post tria ferme saecula ab Eorum felici exitu hoc consilium suscepisti. Equidem nihil magis opportunum hisce temporibus censeo, quam ut perspicuum hoc religiosae constantiae exemplum fidelibus proponatur, quando iis tanta fraudum varietate circumseptis, tot perturbationibus exagitatis in verae fidei ac pietatis professione fortiter pugnandum est. Quare ut ad eorum Martyrum solemnem Canonizationem quantocius deveniatur ad Dei honorem, ejusque Ecclesiae bonum vehementer exposco.

Salvator de Nobilibus Vitelleschi Archiep. Seleuc. Assistens.

Felix faustumque Catholicae Ecclesiae, Beatissime Pater, evenisse arbitror, ut Martyrum Japoniae causa jam inde ab Urbano VIII Praedecessore Tuo ad exitum perducta ad haec usque calamitosa tempora supremo Sanctitatis Tuae judicio definienda reservaretur. Quo enim tempore Christi Sponsa degenerum filiorum pravitate injuriis ac contumeliis afficitur, Sanctorum Martyrum gloria ad ipsius exaltationem ac triumphum mirifice confert: quo tempore Christifideles ad catholicam fidem deserendam tot insidiis ac fallaciis impel-

luntur, invicta Martyrum constantia ac fortitudo ad aspera quaeque impavide subeunda proponitur: quo demum tempore Apostolica haec Sedes in tantis versatur periculis, potentissimum ipsi ad dissipanda inimicorum consilia Martyrum patrocinium exhibetur. Humillime ergo Te obsecro, Beatissime Pater, ut Martyribus Japoniae, qui coronam de consummatione virtutis acceperunt, Sanctorum decernas honores, et beneficia exinde obventura apostolico Tuo ministerio quam citissime properes. Hac die 22 Maji anni 1862.

✠ Alexander Franchi Archiep. Thessalonicen.

Beatissime Pater

Beatos viginti sex Martyres Japonenses in album Sanctorum referendos esse censeo; ideoque Sanctitatem Vestram enixissime rogo, ut hunc actum solemnem gratiosissime perficere dignetur.

Romae, vigesimo secundo Maji 1862.

✠ Gregorius Archiep. Monac. et Frising.

Beatissime Pater

Ex relatis et consignatis in compendio historiae martyrii et miraculorum, nec non actorum in causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium, pronum est colligere *tuto posse ad ipsorum canonizationem procedi.* Ita sentio, ita judico, juxta responsum Eminentissimorum Patrum Cardinalium, et mentem Sanctae Sedis Apostolicae, quam quidem lubenti animo amplector et veneror.

Dat. Romae die 22 Maji anni 1862.

Joseph Dominicus Archiep. Tarraconen.

Beatissime Pater

Christi vestigia secuti Beatus Petrus Baptista cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum Sancti Francisci, et Beatus Paulus Miki cum aliis duobus e Societate Jesu martyrium a Taicosama tyranno Imperatore Japoniae, in odium Christianae Fidei, quam verbo et exemplo diffundebant, eis impositum, alacri laetoque animo usque ad obitum sustinuerunt pro Fide Catholica, et illius confessione et praedicatione, ac sanguinem suum in Cruce extra Nangasaquium pro Domino fuderunt. Quare, Beatissime Pater, tales ac tantos Christianae Religionis Propagatores imperterrita fortitudine atque constantia admirabili ornatos, quosque, tam ante quam post mortem, multis Omnipotens Deus miraculis condecoravit, gloriosis Sanctorum Martyrum fastis adscribendos esse censeo, et Apostolico Tuo infallibili judicio adscribi Sanctitatem Tuam supplex exoro.

Romae die 22 Maji 1862.

Ludovicus Archiep. Vallisoletan.

Beatissime Pater

Qui et genus martyrii, quod beati Christi athletae (B. Petrus Baptista, Paulus Miki et socii) sex illi et viginti Martyres Japonenses, partim ex familia S. Francisci Assisinatis partim ex Societate Jesu, invicta sane et mira animi constantia pro fide catholica subierunt, et miracula, quibus Deus Omnipotens ipsorum gloriosum certamen et mortem illustrare voluit, vel obiter contemplatus fuerit, in dubium vertere nequit, eosdem omnino dignos censendos esse, qui Albo Sanctorum solemniter adscribantur. Qua in re Sanctitas Vestra exultationem coeli, plausum Orbis Ca-

tholici et benedictionem Dei, in tanta et tam gravi Ecclesiae, sponsae suae, pressura, optimo jure sibi conciliabit.

Die 22 Maji MDCCCLXII.

Gustavus Archiep. Edessen.

Beatissime Pater.

Te enixis precibus obtestari audeo, ut B. Petrum Baptistam cum aliis quinque ex illustri Ordine Minorum S. Francisci, illosque septemdecim Japonenses socios taliter conversantium factos, nec non B. Paulum Miki et alios duos e Societate Jesu, qui immortalitate pretio sui sanguinis donari digni sunt habiti, in albo Sanctorum ritu sollemni recensere, eosque Altarium honore dignos Tuo ore, Spiritu Dei inspirante, declarare digneris. Nihil enim nobis jucundius, nihilque utilius esse credimus, quam in praesenti temporum discrimine ubi periculis plena sunt omnia, plena laqueis, eorum interesse triumpho, qui opprobriis et multimodis tribulationibus spectaculum facti pro fide Christi tuenda, eamque inter gentes quae adhuc erant in tenebris et umbra mortis invehenda, magnum certamen sustinuerunt passionum, et jam mundo crucifixi, quin et in Cruce Domini solummodo gloriantes, Stygmata Domini Jesu in suo corpore portare, et Crucis tormentum exemplo Christi subire ac perferre in deliciis habuerunt.

Cui porro dubium esse queat, ipsos caritate Christi, et Evangelii disseminandi gratia, extremum in Cruce, Servatore nostro praeeunte, clausisse diem? Deficeerent profecto vires si insignium facinorum, Dei gratia adspirante, ab ipsis patratorum mihi in animo esset indicem texere. Sat erit meminisse, dictum Apostoli alte ipsis memoriae infixum fuisse « Quia non sunt condignae passiones hujus temporis

ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis: » et illud « Momentaneum hoc et leve nostrae tribulationis aeternum gloriae pondus operatur in Coelis ».

Eapropter terrena omnia contemnentes populum suum, et domum Patris sui obliti extremos Orientalis Asiae fines, ad animarum lucra, inhianti animo petierunt. Haec erat terra illa, quam monstraverat illis Deus, et in qua ad vineam spinis ac tribulis septam qua exemplo, qua caritatis officiis, qua verbi Dei praedicatione diu noctuque insudandum illis decrevit. Heic illis amoris quo aestuabant in Deum ac proximos praeclara exempla velut e suggestu praedicare jussum est, et fidei catholicae veritatem proprio tandem sanguine sigillare. Hoc vero apprime factum esse ex eorum martyrii actibus Sacrae Rituum Congregationis jussu exaratis luce meridiana clarius quisque perspectum tenet. Tot namque tantisque perpessis laboribus, Apostolorum tempora per ipsos beatos praecones medios inter Japonios refloruisse visum est, in qua ingens crevit multitudo fidelium virorum ac mulierum.

Verum tam insignia facta horruit antiquus ille humani generis hostis, et plantatam Domini vineam a fundamentis vastare pro viribus aggreditur. Immanis Taicosama novos Apostolos protinus ab imperio expelli jubet: vincula et carceres parat, Crucis minatur supplicium. Novem tamen annorum spatio impii Judicis differtur efferata sententia ubi primum Lusitana navis Ferrandi portum attigit. Ast ubi carnalis homo Bonzorum delatione resciverit, Imperatoria jussa flocci fieri, Evangelium adhuc publice praedicari, Credentium numerum in dies augeri, tunc spirans minarum ac caedis in Discipulos Domini, mortis decretum renovat, et eos illico Crucibus affigi Nangasaqui jubet. Tunc lictores lata lege agentes celeri pede accurrunt, domum et Ecclesiam circumeunt, una illos cum Japonensibus in tertium Ordinem S. Francisci jam adscitis, et tribus praestantissi-

mis Viris e Societate Jesu comprehendunt, vinculis constringunt, ab imis lateribus ad humeros binis lanceis transfigunt extremo Crucis supplicio damnatos.

Horum tamen qui venerunt de tribulatione magna, et stolas suas digni habiti sunt dealbare in sanguine Agni, maximis Deus signis pretiosam mortem illustravit, confirmavitque. Quae omnia cum peroptime scias, Beatissime Pater, Te etiam atque etiam rogo, obtestorque, ut illos Altarium honore dignos esse, afflante Dei spiritu, ulterius declarare non differas, ut dum eorum glorificationi congaudemus, sic nosmetipsos ad eorum insectanda vestigia excitati sentiamus.

Philippus Gallo Archiep. Patracen.

Beatissime Pater

Mirabili Providentia Deus, triumphantium Martyrum exemplis et gloria, non modo invictos Nobis defensores parat, sed spem nostram erigit, et magis atque magis roborat in fide constantiam.

Admiratus ipse in Beato Petro Baptista ex Ordine Minorum Sancti Francisci, et in Beato Paulo Miki e Societate Jesu, ac eorum inclytis Sociis Martyribus Japonensibus, absolutissimam hanc Fidei firmitatem, cum ardentissima caritate conjunctam, susceptae mortis testimonio et subsequentibus signis clarissimam, nihil aliud opto, Beatissime Pater, quam ut horum Beatorum Militum capita meritis Sanctorum coronis decorentur.

Hoc igitur humillime rogo Sanctitatem Vestram, ad sacrosanctae Religionis gloriam, et ad Christifidelium (eorum praesertim qui tuendae Religionis causa in periculis versantur) exemplum, solamen, et auxilium.

Petrus Giannelli Archiep. Sardianus.

Cum certo constet de martyrio et miraculis quibus testari placuit Omnipotenti Dei Sanctitatem Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium, trium nempe ex Societate Jesu, et viginti aliorum trium ex Ordine Sancti Francisci, cumque omnia rite peracta sint juxta sacrorum canonum dispositionem ut tuto de eorum Canonizatione decerni possit; censeo, Beatissime Pater, oportere jam et ad majorem Dei gloriam convenire ut Sanctitas Vestra finali et decretoria sententia illos viginti sex Martyres Sanctorum Cathalogo adscribere dignetur.

Ego Fr. Emmanuel Archiep. Caesaraugustan.

Beatissime Pater

Ecclesia Catholica cujus semper uberes fuerunt caritatis fructus, quibus Sanctorum series gignitur et in dies augescit, novis coruscare visa est prodigiis nuperis hisce temporibus ob novorum sex et viginti militum martyrium et patrata miracula. Quae quidem talia probata sunt ut omnino beati Martyres isti quorum intercessione ea evenerunt ad Altaris honores evehantur conveniens necessariumque puto. Siquidem cum martyres non poena sed causa faciat, cumque ex probatissimis argumentis liquido constet illos viginti sex viros vitam et sanguinem dedisse in veritatis catholicae confirmationem, post innumeros exanthlatos labores pro ejusdem catholicae fidei dilatatione, nemo profecto erit qui ambigat et incertus haereat in Altarium honoribus istis Martyribus adjudicandis. Quinimmo cum hoc ad majus Ecclesiae catholicae bonum plurimum conferre, et fidelium aedificationi promovendae juvare apertum sit, idcirco humillime etiam ego a Sanctitate Tua ut eos in Album Sanctorum adnumeres et Altarium honores illis praestandos esse decernas suppliciter enixeque efflagito.

✠ Spiridion Archiep. Corcyren.

Beatissime Pater

Viginti sex Martyres qui apud Japonicam regionem annuntiaverunt Evangelium Dei, sortem habuerunt non solum fundendi sanguinem pro Christo, sed etiam illum imitandi in morte, quoniam crucis supplicium subierunt. Utinam Deus ipse hanc suam fortitudinis virtutem infundat in tot fidelibus qui hac temporum acerbitate, tanta et tam gravia pro Ecclesia, et pro hac Sancta Sede Apostolica quotidie patiuntur.

Itaque, Beatissime Pater, Te oro atque obtestor ut hosce coelestes Athletas in Sanctorum album enumerare digneris quorum virtutem et fortitudinem tantis miraculis misericors Deus comprobavit.

✠ Florianus Archiep. Tolosan.

Beatissime Pater

Feliciter ad finem perducto canonico processu pro Canonizatione Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci, et Pauli Miki cum aliis duobus ex Societate Jesu, Martyrum Japonensium, ex merito actorum ipsius processus et compendio Martyrii et miraculorum, judico tuto procedi posse ad ipsorum solemnem Canonizationem, Vestramque oro Sanctitatem ut procedere dignetur.

Romae die vigesima secunda Maji 1862.

Marianus Archiep. Valentin.

Beatissime Pater

Quum in hac causa, licet longo tempore suspensa, processus actuum legitime confectus fuerit, quumque Sanctitas Vestra XV. Kal. Octob. superioris anni, exquisita prius

Emorum Cardinalium sententia eaque unanimiter affirmativa, rite decreverit *Tuto procedi posse ad horum Beatorum XXIII Martyrum Japonensium Canonizationem*, idemque declaraverit *quoad III alios Martyres Japonenses, e Societate Jesu*, nihil aliud nunc agendum mihi videtur quam ut dignetur Sanctitas Vestra huic causae optatum finem imponere, hos beatos XXVI Japonenses Martyres in Sanctorum album cooptando, ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, ad solamen et praesidium Sanctae Matris Ecclesiae quae hoc praesertim tempore tot et tantis laborat angustiis, nec non ad diffusionem Nominis D. N. Jesu Christi, in his remotis regionibus quae juvante Deo, Evangelii praeconibus deinceps patebunt, illud Tertulliani rursus mirabili modo ostensurae: Sanguis Martyrum, semen Christianorum. Ita etc.

✠ Car. An. Arch. Bituricen.

Μακαριώτατε Πάτερ

Τοὺς ἐν Ἰαπονία εἴκοσι ἡς ἓξ Μακαρίους Μάρτυρας τοὺς ἀτρόμως τὸ αἷμα ἡς τὴν ζωὴν ἐνδόξῳ Μαρτυρίῳ ὁδὲρ, τῆς Καθολικῆς Θρησκείας δοστάσαντας, ἀξιωτάτους καγω ηρίνω ὁ Ιαπεινός ἡς ἐγαπισοι τῶν ἀδελφῶν τῆς δόξης τῶν Ἁγίων, ἡς παρακαλῶ τοὺς Μακαρίους τούτους Μάρτυρας νὰ πρεσβεύωσι παρὰ τῷ Θεῷ ἐξαιρέτως ὑπὲρ τῆς διαδόσεως κατὰ την Ανατογήν τῆς Καθολικῆς Θρησκείας.

✠ Ὁ Μητροπολίτης Δραμας Μελίτιος

Ejusdem versio.

Beatissime Pater

Beatos viginti sex Japonenses Martyres qui animo impavido sanguinem et vitam glorioso martyrio pro catholica religione dederunt, ego quoque humilis et ultimus Fra-

trum, Sanctorum gloria dignissimos esse humiliter arbitror, et precor istos Beatos Martyres ut pro catholicae religionis in Oriente propagatione apud Deum specialiter intercedant.

MELEDIUS.

BEATISSIME PATER

Nequaquam caro, et sanguis, sed Dominus, et Salvator noster, cujus Vicarius es fidelissimus, Sanctitati Tuae revelavit, suam esse voluntatem, Beatos Japoniae Martyres, Petrum scilicet Baptistam cum reliquis viginti quinque, qui praeclaris virtutum meritis aucti, et in Ecclesia signis etiam praefulgentes, in album Sanctorum referre. Idcirco, et ego, quamquam Episcoporum minimus, Tuam Beatitudinem humillime deprecor, ut quamprimum hosce Beatos Martyres, Tui oris oraculo, ad majorem Dei gloriam, festivo cultu cooptentur, ut qui non vident videant, ac bene intelligant unam Matrem nostram Ecclesiam, Catholicam Romanam esse vere sanctam, utpote quae non tantum Caput habet sanctum, Dominum Nostrum Jesum Christum, sed et membra, sicuti et Sacramenta, legem, et disciplinam, quae omnia Divini sui Capitis gratia, sanctitate fulgent.

Isti Beati Martyres, mediatione quoque Sanctissimae Virginis, semperque Immaculatae suffulti, haud dubie impetrabunt ut Tua Beatitudo inimicos Sanctae Ecclesiae quamprimum videat humiliatos, errantes ad viam salutis conversos, et nostram Matrem Ecclesiam in sancta libertate, quam Tu Beatissime Pater et sancte gubernas, et mira atque heroica animi fortitudine regis quod nos etiam omnes enixe a Domino petimus, et toto corde desideramus.

IGNATIUS EPISCOPUS CHIEN.

Beatissime Pater

Quae ex praescripto Sanctitatis Tuae, juxta SS. Canones summa cum diligentia acta sunt in causa Canonizationis BB. Martyrum B. Petri Baptistae et viginti duorum Sociorum Ordinis Minorum S. Francisci, et B. Pauli Miki duorumque confratrum Societatis Jesu; secundum placitum Sanctitatis Tuae attentus perpendi; laetusque in Domino sententiam edicere non dubito eos omnes dignissimos a me censeri, qui solemni Canonizatione inter Sanctos referantur, atque ut tales conformiter ad doctrinam S. Concilii Tridentini, in Ecclesia Catholica colantur et invocentur.

Quam Solemnitatem insuper peropportunam in hisce temporum angustiis proclamare liceat, ut nimirum propitiationis abundantiam apud Deum multiplicatis intercessoribus impetrare, et Ecclesia Sancta Dei, sub dilectissimo Christi in terris Vicario, Pontifice Pio IX, ut Sancti illi Viri, per Crucis trophaea plenumque triumphum reportare mereatur.

Die 22 Maji 1862.

✠ G. P. Wilmer Episc. Harlemen.

Beatissime Pater

Si solemnitates Martyrum exhortationes sunt martyriorum, ut ait S. Augustinus, quanto magis talis, et valde efficax dici debet iste Catholicae Ecclesiae ritus, quo Christi in terra Vicarius de purpuratorum Patrum ac Episcoporum ex omni Orbis parte confluentium consilio, Sanctorum Albo irrefragabili decreto, Eos inscribit qui pro Christianae Fidei confessione sanguinem fuderunt. Hinc maximae utilitati Religioni nostrae sanctissimae esse puto, si, miserrima hac

aetate, in qua portae inferi versutia, falsis dogmatibus, exilio, carceribus, suppliciis etiam et morte divinae Fidei strenuos adsertores oppugnant, supremi Coelitum honores decernantur viginti tribus Martyribus ex Ordine Minorum Sancti Francisci, et tribus e Societate Jesu qui decimosexto saeculo exeunte apud Japonenses cruci affixi et lanceis confossi vitam pro Christi nomine laeti dederunt. Si tamen Sanctitati Tuae id erit placitum.

✠ Guillelmus Aretini-Sillani Episc. olim Tarracinae, Setiae ac Priverni
Missionarius Apost. Congreg. a Pretioso Sanguine nuncupatae.

Beatissime Pater

Cum Sanctitas Vestra rite jam, ex Sacrae Rituum Congregationis Consilio, decreverit *tuto procedi posse ad Beatorum Viginti-sex Martyrum Japonensium Canonizationem*, ego infrascriptus Marianopolitanensis Episcopus, una simul cum *universa Seraphica Minorum familia nec non Societate Jesu*, hoc ardens votum emitto ut Altarium honores a S. Sede ipsis decernantur.

Nam si isti Dei Servi in terris gloria et honore coronabuntur, non est dubitandum quin de suis mansionibus coelestibus surgant nostrasque urbes ingrediantur, ut plebem Christianam benedicant, loca omnia sanctificent, hominesque peccatores in pace custodiant.

Ipsis enim pro toto orbe terrarum intercedentibus, quia in omni loco invocabuntur nomina eorum, zelus illorum apostolicus in cordibus fidelium accendetur; Fides Catholica ubique propagabitur; Sancta Mater Ecclesia exaltabitur et a mari usque ad mare nostrisque in remotissimis regionibus magis ac magis florebit; Sancta Sedes tandem pace ac libertate gaudebit; ostium Evangelii, ex infinita Bonitate sperandum est, in Japonia denuo aperietur ibique

Apostolorum tempora sicut prius, antequam Dei servique ejus Francisci Xaverii mirabile opus ab antiquo generis humani hoste tam misere destructum fuerit, videbuntur; nos omnes illorum exemplis accendemur quorum meritis gaudebimus; atque tandem Beatitudo Vestra in hoc certamine forti quod dedit illi Dominus ut vinceret, et post tot labores ac aerumnas spectatissimum Religionis triumphum oculis suis conspiciet. Et tunc replebitur gaudio os nostrum et lingua nostra exultatione. Porro haec omnia fausta evenient, quia Immaculatae Virgini Martyrum Reginae, ipsisque Martyribus ac omnibus Sanctis maxima laus oblata fuerit, luctuosis hisce temporibus.

Romae, die 22 Maji 1862.

✠ Ig. Episc. Marianopolitan.

Beatissime Pater

Coelestem, qua Sanctitas Tua pollet, sapientiam vel ipsum consilium exhibet Canonizationem viginti sex Martyrum Japonensium celebrandi dum magna et vaferrima fervet persecutio, propter quam quoddam veluti martyrium acerbitate mitius sed diuturnitate molestius Ecclesia sustinet. Ego quidem minimus Episcoporum ob oculos ea quae consideranda sunt habens nedum affirmativum fero suffragium, verum et Sanctitatem Tuam exoro, ut ad eorumdem Canonizationem procedere dignetur: ac ea sum fretus spe, quod Beati illi, qui tam fortiter pro fide sunt passi, a Jesu Christo spiritum fortitudinis, martyrii spiritum nobis impetraturi sint, ut Te Magistro inerrabili, Te Duce invicto unanimes, idipsum sentientes, possimus resistere in die malo, agonizari pro veritate et justitia, ac dein pro Ecclesiae et hujus Sanctae Sedis novo et pulcherrimo triumpho in Domino gloriari. Romae 22 Maji 1862.

✠ Joseph Episcopus Aquini, Pontis Curvi et Sorae.

Ego Episcopus Gandavensis, attente perlecto Compendio historiae martyrii et miraculorum, necnon actorum in causa Canonizationis Beatorum Martyrum Japonensium viginti sex, fusisque ad Deum precibus ac celebrata Missa in honorem Spiritus Sancti, censeo ac judico tuto procedi posse ad solemnem horum Beatorum Martyrum Canonizationem, si Sanctissimo Domino placuerit. Instanterque rogo ut eorum Officium et Missa ad universam Ecclesiam extendatur.

Die 22 Maji 1862.

✠ Ludovicus Josephus Ep. Gand.

Si Ecclesia Sancta Dei inclytos illos Jesu Christi testes qui animam suam pro justitia et veritate posuerunt et stolas suas in sanguine Agni laverunt, ab ortu suo in more habuit, ut literis, linguis, monumentis celebraret, ut nulla unquam aetas de eorum laudibus conticesceret, non dubito, quin humilitas mea idem sentiat ac clarissimi tot Antistites huc ex omnibus mundi plagis convenientes, Teque Beatissime Pater, nullo simili in priscis annalibus exemplo, circumstantes, non dubito quin Te vehementer exorem ut in numerum Sanctorum referas B. Petrum Baptistam cum suis viginti duobus, et B. Paulum Miki cum aliis duobus sociis, qui omnes inter gentes immanitate barbaras, labores, cruciatus et mortem ipsam pro Jesu Christo tulerunt, quosque Deus ipse inter nos non dubiis glorificavit indiciis.

Quae quidem solemnis Canonizatio praestantissimum Dei erit beneficium. Sanctitas enim Tua hoc clarissimo suae dignitatis munere fungens in causa erit ut illorum Beatorum intersit pro illis orare in quos tanta caritate rapiebantur, quique in tenebris sedent et umbra mortis,

augebitque pro certo habeo ego qui diu in illis extremi orientis partibus versatus, illarum gentium ingenium optime novi, augebit Deo adjuvante, animum, virtutem et constantiam, ut possint et gloriosam mortem pro Jesu Christo oppetere, quam hodierna immanis praeparat persecutio.

✠ Ludovicus de Besi Ep. Canopen.

Beatissime Pater

Attento diro martyrio, quod Beati Martyres Japonenses viginti sex pro sancta fide fortes subierunt, facti Christo consimiles crucifixo, attentisque prodigiis et miraculis, quibus beatam eorum mortem gloriosam reddere Deus voluit, humiliter precor, ut Sanctitas Vestra, pro ea qua pollet auctoritate et potestatis plenitudine, ad laudem Dei omnipotentis et ad augendam gloriam Sanctae Matris Ecclesiae dictos Martyres Japonenses in Sanctorum album referre clementissime dignetur.

✠ Georgius Antonius Ep. Herbipolen.

Beatissime Pater

Romanarum Congregationum in causis de Canonizatione Sanctorum accuratissimis disquisitionibus et sapientissimis judiciis ita fido, ut nullatenus dubitem iis esse omnino acquiescendum: atque ideo censeo Beatos Japoniae Martyres solemni Canonizationis ritu inter Sanctos esse recensendos. Quod etiam opportunissimum esse judico. In praesentibus enim difficultatibus eos tanquam novos adle-

ctos Patronos Beatitudini Tuae et Ecclesiae quae Tecum militat novo auxilio adfuturos confido.

Quapropter postulo ut Sanctorum honores a Beatitudine Tua illis decernantur.

Datum die 20 Maji A. D. 1862.

Thomas Josephus Brown O. S. B. Ep. Neoporten. et Menev.

Beatissime Pater

Divinae sapientiae consilio factum esse arbitror, ut hisce temporibus impensius recoleretur memoria Beatorum sex et viginti Martyrum, qui Japoniae anno 1597 gloriosissime pro fide Christi sanguinem profuderunt. Certamen forte dedit illis Dominus, ut in tempore hoc esset respectus illorum: vicerunt, laetissimi vitam reddidere Christo per crucem, qui Christum et Crucem ejus, spretis omnibus quae mundi sunt, impavide praedicarunt. Condignam quidem gloriae coronam in coelo sunt consequuti: sed placuit omnipotenti Deo etiam in terris gloria et honore per mirabilia multa illos coronare. Festinet igitur Ecclesia, quae tanta victoria in remotis illis regionibus illustrata est, supremos eis decernere honores, eosdemque solemni ritu *Sanctos* appellare. Id vehementer exopto, id abs Te, Beatissime Pater, humillime efflagito, fore confidens, ut horum quoque Martyrum interveniente suffragio in hac turbulentissima christianae reipublicae tempestate Deus Israel, Dominus virtutum, ipse det fortitudinem plebi suae ad superandas insidias, ad vincendas persecutiones, ad strenue pugnandum pro fide et justitia, et sancta Ecclesia, cunctis tandem adversitatibus erroribusque destructis, triumphum agens libere valeat ipsi Domino deservire. Die vigesima secunda Maji 1862.

✠ Carolus Episcopus Tiburtin.

BEATISSIME PATER

Quum tormentorum, et necis causa, quae veros Christi martyres facit; quumque miraculorum existentia a Deo patratorum ante, et post mortem per intercessionem Beatorum Martyrum Japonensium Petri Baptistae, et viginti duorum sociorum Ordinis S. Francisci Strictioris Observantiae, nec non Pauli Miki una cum duobus sociis ejus e Societate Jesu, qui omnes pro Christi nomine animas suas posuere, ab Sancta Apostolica Sede rite probata ac testata fuerit; ad majorem Dei gloriam, ad novum suae Ecclesiae triumphum, ad ampliorem praefatorum Martyrum honorem, decretis jam a Sanctitate Tua, Beatissime Pater, emissis, ut tuto procedi possit ad solemnem illorum Canonizationem, plenissime, et humillime assentior.

Humillimus Addictissimus Obsequentissimus Servus et Subditus
N. EP. MANDELEN. ET AB. S. SALVATORIS MAJORIS.

SANCTISSIME PATER

Constat de martyrio et miraculis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium, quos, ut dicit Doctor gentium de electis, nec tribulatio vel angustia, nec fames vel nuditas, nec periculum vel persecutio, nec gladius separare potuit a caritate Christi, in quem crucifixi transformati sunt. Ergo inter filios Dei computandi sunt, exemplum nobis et praesidium, qui digni sunt, ut istis praesertim temporibus, quibus denuo Crux Salvatoris scandalum fit mundo et stultitia, accedente Sanctitatis Tuae judicio, catalogum augeant Sanctorum.

✠ NICOLAUS EPISCOPUS SPIRENSIS.

BEATISSIME PATER

Cum viginti sex Beati, quorum causa hodie agitur, vitae sanctitatem martyrii merito cumulaverint, et post mortem miraculorum gloria claruerint, valde opportunum arbitror, in praesentibus praecipue orientalium missionum circumstantiis, Sanctitatem Vestram suprema sua auctoritate ipsorum solemnem canonizationem decernere.

✠ PAULUS EP. METENSIS.

BEATISSIME PATER

Non tam numerat quam ponderat Deus opera. Cum ergo invicte constet, sex et viginti Martyres Japonenses, sanguinem suum fudisse pro causa Dei et verae Christi Ecclesiae, sanguis eorum eloquentius clamat ad coelum quam verba. Ideo Sanctorum catalogo eorum nomina inserenda esse censet et inseri Sanctitatem Vestram humillime precatur.

✠ ANDREAS RAESS EPISCOPUS ARGENTINENSIS.

Peroptime, Beatissime Pater, Sancta Ecclesia canit pro suis militibus ob Christi Fidem certantibus « Sancti mei, qui in carne positi certamen habuistis, mercedem laboris ego reddam vobis ». Siquidem Beatus Petrus Baptista, et alii viginti duo ex meo Ordine S. Francisci Assisiensis, ac Beatus Paulus Miki, aliique duo ex Inclyta Societate Jesu, in Japonia certamen sustinuerunt pro Christo, ut ex actibus a Sacra Rituum Congregatione jam discussis, ac mature perpensis luculenter constat. Quid aliud deest, nisi Tu Beatissime Pater, qui locum Christi tenes in terris, eis concedas mercedem, adnumerando videlicet eos in album

Sanctorum Martyrum, utpote humillima Sancti Patris mei Francisci Familia, ac laudata Societas Jesu expostulat, et efflagitat? Qua de causa, et ego deprecor Beatitudinem Tuam, ut iisdem Martyribus hunc honorem tribuas.

Fr. Petrus Ecclesiae Sappaten. Ep.

Cum, ut aliquis qua Martyr in Sanctorum album solemni Ecclesiae sive Summi Pontificis judicio referatur, tria imprimis requirantur, ut primo videlicet de cooptandi in Sanctorum numerum martyrio, secundo de nonnullis constet signis sive veri nominis miraculis, quibus Martyris, de cujus Canonizatione agitur, omnipotens Deus sanctitatem testatam esse voluit, ac tertio demum ut ea omnia servata fuerint, quae Ecclesia in tanti momenti re seu causa servanda sapientissime praecepit; attente perlecto Compendio historiae martyrii et miraculorum, atque actorum in causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium tria illa requisita plenissime verificatà esse, indubia mea est sententia. Namque plus quam sufficientibus testimoniis constat, viginti sex illos Martyres praevie tolerata aurium resectione ac publica ignominia violentam crucis mortem subiisse; tum hoc mortis genus unice in fidei odium sustinuisse, uti evidenter tyranni Taicosamae sententia demonstrat vi cujus in carcerem ac vincula conjecti, atque in crucem acti binis lanceis transfixi spiritum reddiderunt; constat insuper, ipsos volenter, alacri quin imo laetoque animo haec omnia tolerasse, siquidem alii nefariae ad apostasim sollicitationi generose restitere, crucem, mortis instrumentum amplexati sunt, ac ambrosianum hymnum intonuere, ipsamque crucem alii in cathedram veritatis converterunt. Unde attendendo, quid, quare, et quomodo illi Japonenses Martyres perpessi sunt; verum ipsos subiisse martyrium, extra omne dubium positum est.

Ad signa, sive miracula quod attinet, ea numero plura et durante martyrio, et post illud generose toleratum non defuere, quorum si unum alterumque ad unum solum Martyrem spectare videantur, alia tamen omnibus et singulis illis Martyribus communia sunt.

Quoad accuratam observationem eorum omnium, quae Ecclesia seu Summi Pontifices in Canonizationis processu exacte servanda praeccpere, quidquam desuper dicere, supervacaneum est, quid enim hac in parte actùm ac praestitum fuerit, memoratum refert Compendium: insuper qua cum cautela procedere consoleat Sancta Romana Ecclesia, nostra omnium mater ac magistra, omnibus notissimum est. Quapropter eo in sensu inhaesitanter meum enuntio suffragium; nil prorsus obesse, quominus Beati Martyres Japonenses, de quibus sermo est, in Sanctorum numerum quantocius adscribantur; quin imo humillime communem fidelium omnium Patrem precor, ut universam catholicam Ecclesiam insolita Canonizationis illorum Martyrum solemnitate quamprimum laetificare, afflictamque recreare, ac tot aliis coelestibus novos hos intercessores potentes calamitosis hisce ac difficillimis temporibus jungere dignetur.

✠ Petrus Josephus Ep. Sedunen.

Adhibita diligentia in perscrutanda historia martyrii et miraculorum nec non actorum in causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium plene mihi persuasi:

1. Hos Dei famulos prompto et alacri animo crudele martyrium sustinuisse pro fide catholica, quam constanter confitebantur et praedicabant infidelibus.

2. In professione et praedicatione catholicae doctrinae, non profanum aliquod et terrestre habuisse consilium, sed

tale quod decet viros Apostolicos, animarum salutem desiderantes.

3. Hos strenuos Jesu Christi heroës acceptos esse apud Deum et coronam gloriae vero martyrio promeruisse, per plura miracula idoneis testibus probata compertum esse.

Unde mea sententia est: tuto procedi posse ad horum Beatorum viginti sex Martyrum Japonensium Canonizationem, ut Ecclesia modernis perturbationibus gravissime afflicta novos sibi conciliet intercessores.

Gaspar Borowski Ep. Luceoriensis et Zytomeriensis.

Beatissime Pater

Peropportune miserrimo, quo vivimus, tempore Athletis illis, qui in Japonia saeculo decimo sexto cruci pro Christo affixi, jamdiu inter Beatos adlecti fuerunt, nova nunc adjicitur gloria. Fidem enim catholicam, quae modo acerrime oppugnatur, quaeque apud non paucos jam collapsa videtur, dum fuso sanguine confirmarunt, simul etiam tanti eam esse faciendam docuerunt, ut pro ipsa et bonorum direptio et vitae etiam jactura subeunda omnino sit.

Peculiari dein providentia factum arbitror ut Athletae illi e religiosae vitae Claustris ad certamen et palmam prodierint. Ad triumphi enim gloriam evecti regularibus Institutis, quibus nomen dederunt nedum decori et ornamento fuerunt, ac sunt, sed et exempla reliquerunt, et arma quoque adversus eorum hostes suppeditarunt, qui religiosos viros veluti inutiles aspernantur, et quotidianis eos contumeliis, bonorum expoliatione, exilio vexant atque discruciant.

Quapropter, Pater Beatissime, ut Martyres illos, quos Ordo Seraphicus, et Societas Jesu, ad coelos jamdudum transmiserunt, ob invictam eorum constantiam atque vir-

tutem, et ob egregia in Ecclesiam catholicam promerita, Sanctorum albo solemni ritu adscribere digneris enixe rogo, et ea, qua par est, humilitate deposco.

Ego Bernardus Maria Episcopus Fesentini.

Quum ex actibus authenticis S. R. C. abunde constet, Beatos Martyres Japonenses Petrum Baptistam cum aliis viginti duobus sociis ejus ex Ordine Minorum S. P. Francisci Excalceatorum una cum Paulo Miki et aliis duobus e Societate Jesu vitam et sanguinem pro Christo fudisse, statimque post mortem miracula patrasse, justum profecto arbitror hos omnes coelitibus esse accensendos, quod a Sanctitate Vestra humillime exposco.

Fr. Urbanus Bogdanovich Ordinis Minorum S. P. Francisci de Observantia Episcopus Europenis et Administrator Apostolicus Jcopiensis.

Beatissime Pater

Coelestem horum sex et viginti Beatorum Japonensium Martyrum, diris crucibus affixorum, victoriam, supremo et infallibili judicio denuntiare, sic Deo optimo providente, decet, Te, bona venia Tua dixerim, summum Pontificem, per longas annorum vices firmissimo et inconcusso animo acerbissimae cruci confixum, hac tanta circumdante episcoporum compatientium simul et demirantium corona.

✠ Jacobus Maria Joseph olim Episcopus Luconensis.

Invicti catholicae fidei Athletae sex supra viginti, de quorum Canonizationis causa disseritur, conformes plenius imagini Creatoris sui humana carne induti flagrantissimum

Dei gloriae, proximorumque salutis provexerunt desiderium pauperibus nuntiatione aeternarum veritatum; bona coram principibus confessione; et istius perseverantia usque ad mortem mortem autem acerbissimam crucis; lancea insuper lateribus propter illam cujusque transfossis. Cum gloriam sustinentibus se a Domino promissam assequutos esse eos in coelis comperiatur ex supernis, et quibusdam plane inauditis signis alterni iterati de cruce descensus, et in illam ascensus; opinor Beatissime Pater, ut haec fortitudinis praeclarissima exempla patientibus propter justitiam ante oculos ponantur, et gloria per S. Sedem Apostolicam in militanti etiam Ecclesia heroes illi cumulentur. Ita etc.

Joannes Baptista Pellei Episcopus Aquipen.

Beatissime Pater

Implorata Sancti Spiritus illustratione et attente perlecto Compendio historiae martyrii et miraculorum necnon actorum in causa canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium arbitror tuto et opportune insignes istos Christi Athletas solemni Canonizationis decreto in Sanctorum Martyrum numerum adscribi posse.

Romae die 22 Maji 1862.

Stephanus Marilley Ep. Lausanen. et Geneven.

Ut Sancta Mater Ecclesia ubique terrarum laetetur, et Martyrum gloria in perpetuum floreat, imitatoresque inveniat, dignetur Sanctitas Vestra inclytos et invictos S. Francisci et S. Ignatii filios in Sanctorum album referre.

Guillelmus Bernardus Ullathorne Ep. Birminghamien.

A. M. D. G.

Beatissime Pater

Non absque peculiari divinae Providentiae consilio contingere arbitror, ut solemni judicio Sanctitatis Vestrae viginti sex Japonenses Martyres, nempe Petrus Baptista ejusque socii in Sanctorum Albo recenseantur. Isti siquidem Dei Famuli a tribus jam ferme saeculis fidem proprio sanguine confirmarunt, eorumque Canonizationis causa, rite et studiose perpensis tormentis quae fortiter usque ad consummationem tolerarunt, nec non mirabilibus quae ante, et post eorum martyrium evenerunt, in tali statu Praedecessori Vestro felic. record. Urbano VIII esse referebatur ut ad istorum Dei Servorum Canonizationem procedi posset. Si igitur ad hanc usque aetatem solemnis hic actus dilatus fuit, imperscrutabili Dei peculiari consilio id evenisse nemo fortasse dubitabit. Quantum enim emolumenti Catholica fides hisce nostris miserrimis temporibus tot tantisque modis labefactata a solemni magnificoque apparatu quo memoria eorum recolitur, qui eam fidem quam verbo docuerunt sanguine purpurarunt suscipiat, quantumque incrementi Ecclesiae Dei obveniat, dum Christifideles viderint fortes hos Religionis Athletas Sanctorum honore celebrari, nemo profecto non videt. Quapropter, Beatissime Pater, Sanctorum fastis hos gloriosos Martyres precor adscribas, ut istorum precibus clementissimus Deus Ecclesiae pacem concedere, et populum ad se clamantem ab omni adversitate defendere, et custodire dignetur.

✠ Aloysius Ricci Ep. Signin.

Perlectis relationibus de martyrio sex et viginti Japonensium Martyrum, deque miraculis post mortem divinitus concessis riteque probatis, censeo, si Sanctissimo Pontifici

placuerit, horum Martyrum Canonizationem multum, hisce temporibus, ad Dei gloriam ac utilitatem Ecclesiae profuturam. Quod ut fiat, Beatissime Pater, humiliter rogo.

Romae die 22 Maji 1862.

JOANNES TIMON EP. BUFFALEN.

BEATISSIME PATER

Cum majorem caritatem nemo habeat quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, censeo Beatum Petrum Baptistam cum viginti duobus sociis de Ordine Minorum Sancti Francisci, ac Beatum Paulum Miki cum duobus sociis Societatis Jesu, qui pro Ecclesia Christi suum sanguinem profuderunt, ut ex diligentissimo examine hac super re a Sancta Sede peracto liquide constat, dignos esse ut in album Sanctorum Ecclesiae Martyrum a Beatitudine Vestra solemniter referantur.

Romae die vigesima secunda Maji 1862.

✠ GUILLELMUS EP. CLOYNEN.

BEATISSIME PATER

Inter praeclaros Christi Athletas, qui Japoniae forti, hilarique animo mortis agones pro fidei catholicae confessione ac praedicatione sustinuere, non sine peculiari Dei consilio et puer duodecim vix annos natus, et vir in fide adhuc neophytus, et resipiscens apostasiae labe primum foedatus numerari videntur, ut miserrima hac nostra aetate in qua tam ingens adversus Dominum et adversus Christos ejus grassatur bellum, illorum in fide constantia vel ipsis in fide infirmioribus exemplo sit.

Cum vero, omnibus, quae in Martyrum causis pertractandis antiquiori et novissimo jure praescribuntur, exquisitissime absolutis, certo jam constet, Beatum Petrum Baptistam et alios viginti duos Ordinis Minorum Sancti Francisci socios, necnon Beatum Paulum Miki et alios duos inclytae Societatis Jesu alumnos ab impiissimo tyranno in odium fidei, quam praedicabant, crucis supplicio fuisse mulctatos: cumque illorum mortem pretiosam in conspectu Domini fuisse ipsemet Dominus jam magnis voluerit testari miraculis; hoc unum, Beatissime Pater, humiliter rogo, ut, si Sanctitati Vestrae placuerit, quos Deus gloria jam coronavit in coelis, iisdem Sanctitas Vestra honorem tribuere dignetur Sanctificationis in terris.

D. Joseph Maria Benedictus Serra Ep. Daulien.

Beatissime Pater

Quum ex luculentissimis monumentis, et testibus fide dignis per judices ab hac Apostolica Sede rite examinatis constet de martyrio, et martyrii causa B. Petri Baptistae et viginti duorum sociorum ejus ex Seraphico Ordine S. Francisci, necnon Pauli Miki et duorum sociorum ejus ex Societate Jesu; insuper quum constet eorum intercessione post mortem signa mirabilia perpetrata fuisse, quae in Sacra Rituum Congregatione accuratissime perpensa supernaturalia probata fuere; censeo tuto procedi posse ad eorum solemnem Canonizationem ut Sancta Mater Ecclesia in tot calamitatibus validum ipsorum experiatur auxilium, et in Japonensi imperio ipsorum sanguis pro catholica Religione effusus fiat semen Christianorum.

Paulus Dodmassei Ep. Alexien.

BEATISSIME PATER

Indubia documenta, et ipsius Dei testimonium, mirabilibus signis patefactum, luce clarius demonstrant, Beatos Martyres, de quibus agimus, pro catholica religione suum profudisse sanguinem, et in coelis regnare. Itaque censeo eos dignos esse qui Sanctos inter adsciscantur, idque a Sanctitate Tua humillime deprecor.

✠ ANGELUS PARSI EP. NICOPOLITAN.

BEATISSIME PATER

Ego Joannes Georgius Müller Ep. Monasteriensis censeo, tuto posse procedi ad Canonizationem omnium viginti sex Martyrum, qui die 5 Februarii anni 1597 in Japonia pro Christo passi sunt, nec non B. Michaelis de Sanctis.

Romae die 22 Maji 1862.

✠ JOANNES GEORGIUS EP. MONASTERIEN.

BEATISSIME PATER

Si praedicatum est satis cum vocabulum Martyris edicitur, eo quod qui Christum coram hominibus confitentur, Ipse coram Patre Suo confiteatur et eos, quae vox quae poterit lingua retexere merita Beati Petri Baptistae et aliorum vigintiduorum Ordinis Minorum S. Francisci, qui cum B. Paulo Miki et aliis duobus e Societate Jesu in Japonia Cruci ceu Christus affixi fidem proprio cruore obfirmarunt?

Nec Deus qui Martyribus dexter adest eorum finem sine honore reliquit, prodigiis ostendens ipsorum mortem

in suo conspectu fuisse pretiosam. Isti sunt igitur viri sancti, qui eumdem cum Domino calicem biberunt et amici Dei facti sunt. Quapropter ejus essem sententiae, Beatissime Pater, ut eorum nomina vivant in aeternum Sanctorum albo donata, sicut humillime et ex animo deposco.

✠ Camillus Ep. Corneti et Centumcellarum

Beatissime Pater

Examinata, quantum mihi licuit, causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium, censeo omnia rite peracta et expleta jam esse quae juxta sacrorum Canonum dispositionem necessaria sunt ad solemne judicium proferendum, nihilque prorsus superesse nisi ut Sanctitas Vestra decretoria sententia in Sanctorum album viginti sex illos Martyres recenseat.

Ego Fr. Dominicus Ep. Segobricen.

Beatissime Pater

Perpensis omnibus quae traduntur de martyrio et miraculis B. Petri Baptistae et aliorum viginti duorum Ordinis Minorum Sancti Francisci una cum B. Paulo Miki et aliis duobus e Societate Jesu, ego infrascriptus existimo et, in quantum ad me attinet, judico, si Sanctissimo placuerit, in albo Sanctorum illos esse adscribendos.

Romae XI Kal. Junii 1862.

✠ M. Julianus Ep. Dinien.

Beatissime Pater

Ea est Divinae Sapientiae bonitas, ut difficillimis quoque temporibus, mirabilis refulgeat in Sanctis suis.

Quum enim justorum animae, quae in manu Dei sunt, numero sint, quas dinumerare nemo possit; tamen publici honores redduntur, coelesti providentia, nonnullis tantummodo, ut *ibi plus auxilii, ubi plus periculi; quia Deus adjutor est in opportunitatibus*, inquit S. Ambrosius ad Jos. C. 5.

Rite itaque perpensis, et martyrio pro Catholicae fidei confessione tolerato, et miraculis patratis, nec non peractis per Sacram Congregationem Sacrorum Rituum de more et juxta Constitutiones Apostolicas;

Sine ulla haesitatione ad Canonizationem Martyrum Japonensium tuto procedi posse existimo.

✠ Felix Episc. Aurelianen.

Beatissime Pater

Ut videant impii Ecclesiae Sanctae quovis aevo persecutores, qui terrenam vitam adimere, temporalia bona rapere gestiunt, quanta victimas ejus gloria ornent, quanta nomen suum ignominia cumulent, ut videant intrepidi rei catholicae ad exemplum Japonensium Martyrum et Sanctitatis Tuae athletae, quod divinae providentiae ope ibi quoque suppetant parandae victoriae argumenta, ubi inimici rei nostrae cladis inferendae quaerunt materiem; Sanctitatem Tuam humillime exoro, ut Beatos Japonenses Martyres in ampliorem adhuc gloriosissimi Tui Nominis honorem, magnum Ecclesiae afflictae solamen et justam inimicorum rei Catholicae confusionem fastis Sanctorum solemni Apostolicae vocis oraculo adscribendos decernas.

Ludovicus Haynald Episc. Transylvan.

Beatissime Pater

Vocantis vocem velut filius devotissimus laetabundus secutus, atque in hanc Ecclesiam Magistram et veritatis columnam confluens, hicque ad thronum Sanctitatis Vestrae Dei in terris Vicarii prostratus mentem precesque deponens, in Domino arbitror: Vere dignum Deo, et justum esse, ac hominibus salutare, ut Martyres Japonenses, de quorum Canonizatione in Consistorio hocce quaeritur, quoniam bonam militiam militantes, fidem servantes, in bono usque ad finem perseverantes, martyrium perpessi ac miraculis clarificati fuerunt ab Eo, qui suorum militum est sors et corona praemium, in Sanctorum numerum adlecti Sanctitatis Vestrae auctoritate Apostolica ac irrefragabili declarentur.

Joannes Ranolder Episc. Weszprimien. in Hungar.

Quoniam, Beatissime Pater, misericorditer nobis providente Deo certissimis abundantiorum signorum, quorum unum inauditum a saeculo est, documentis eluxit BB. Martyrum Japonensium Sanctitas, qui potius cum veritate libera mori decreverunt quam de ancilla securi gaudere; horum vitae ac mortis laudem in praesenti infirmitate animorum et temporum nequitia Pontificio extollendam oraculo et ego arbitror, ut in manifesto fidelibus appareat quos auxiliatores Ecclesia postulet non sequaces timidos, sed intrepidos veritatis assertores.

Ne tamen diminutis veritatibus a filiis hominum minus generosorum multitudo desperet, jam misericordiae exemplum sumere habent quae antea devios rectos effecit. Ideoque justitiae osoribus iisdem mox et veritatis eversoribus si consenserint Nostros aspiciant, ac innocentes non secuti poenitentes imitentur.

✠ Petrus Episc. Moulinen.

Սրբազան Հայր

Որք նախ զանձինս, յետոյ զաշխարհ և հուսկ ապա զթշնամիս հաւատոյ ընկճեալ յաղթեցին, զՃապոնեան քսան և վեց երանելի նահատակս արժան է իբր մեծայաղթ Ախոյեանս յարգել մեծարել. քանզի հաւատարիմ մնացեալ մինչև 'ի մահ, զի զանհաւատս 'ի փարախ Քրիստոսի ածցեն, հեղին արիաբար զարիւն իւրեանց, և եդին զանձինս իւրեանց վասն ընկերին: Գովեսցին այս երանելի Ճապոնեան նահատակք, և որք միանգամ զպսակ կենաց ընկալան յերկինս 'ի Տեառնէն ամենայնի. ընկալցին և յերկրի զփառս շնորհիւ Սրբութեան Ձերոյ:

✠ Յովսէփ Վարդապետ Առաքելեան
Եպիսկոպոս Տրապիզոնի:

Ejusdem versio.

Beatissime Pater

Excellentes fortitudinis viros qui primum semetipsos, deinde mundum, postremo fidei hostes vicerunt, in Beatis viginti sex Japonensibus Martyribus jure ac merito venerandos censeo; quia fideles usque ad mortem ut infideles ad Christi ovile reducerent, sanguinem suum impavide fuderunt, animamque pro fratribus posuerunt. Laudentur itaque Beati Martyres isti; et qui coronam vitae, reddente Domino, in coelis obtinent, gloriam pariter, Sanctitate Vestra decernente, in terris assequantur.

D. Josephus Arakial Ep. Trapezuntin.

Beatissime Pater

Cum constet viginti sex nominatos viros mortem sustinuisse pro religione catholica, cumque maxime in martyrio eluceat et fidei firmitas, et spei securitas, et caritatis

fervor, ego non dubito, quin tuto procedi possit ad horum viginti sex Martyrum Japonensium Canonizationem.

Romae die 22 Maji 1862.

✠ Guillelmus Emmanuel de Ketteler Ep. Moguntin.

Beatissime Pater

Beatorum Servorum Dei, Petri Baptistae cum aliis viginti duobus Ordinis Minorum Sancti Francisci, et Pauli Miki cum aliis duobus ex Societate Jesu, martyrium tam splendidis signis enituit, ut Sancta Apostolica Sedes minime dubitaverit illos inter Beatos adscribere, et fidelium pietati veluti exempla constantiae atque fortitudinis in fide tuenda commendare. Jamdiu propterea plenum Canonizationis honorem attingere potuere, praesertim cum gloriosa ipsorum confessio, coelestibus ominibus nunciata, ineffabili animi vigore roborata, stupendis miraculis tandem insequuta fuisset. Sed altissima Dei providentia, quae omnia non solum ad Electorum gloriam, verum etiam ad Ecclesiae Sanctae decus et fidelium utilitatem accommodat, mirabili opportunitate disposuit Canonizationem Japonensium Martyrum et Sanctitati Vestrae, et his luctuosissimis Ecclesiae temporibus, et praesentibus fidelium necessitatibus, quasi reservatam manere. Expectans igitur, Beatissime Pater, magnam bonorum copiam exinde orituram, tum Religioni et Ecclesiae, tum fidelium moribus, multimodis, indesinenter, et ubicumque vexatis, Sanctitatem Vestram humillime deprecor ut hos fortissimos Christi Athletas in Sanctorum numero referre dignetur.

Romae 22 Maji 1862.

Clemens Episc. Mechoacanen.

Beatissime Pater

Magno hilarique animo Beatos Martyres Japonenses dignissimos dico ut supremo Sanctitatis Tuae judicio Sanctis cum Christo regnantibus recenseantur. Nil hodie in mundo stultius Christo Crucifixo; nil sublimius iis quae Christi Cruci adversantur. Haec terram occupant, animos invadunt, humanam societatem inficiunt, regna evertunt. Praedicemus ergo cum Paulo ab ipsa orbis terrarum arce nobilissimis hisce crucifixorum triumphis Christum Crucifixum, gentibus stultitiam, judaeis autem scandalum. Quid enim dari potest praeclarius ad justos roborandos, et ad impios confundendos? Fiet enim profecto ut Christus in Sanctis suis exaltatus a terra omnia trahat ad seipsum.

✠ C. F. Ep. Tloanen. Administrat. Archid. Quebecen.

Beatissime Pater

Beatus Petrus Baptista, et Beatus Paulus Miki necnon viginti quatuor eorum in martyrio consocii, propter eorum pro Christo gloriosam passionem mihi videntur omnimode digni ut in Sanctorum album cooptentur.

Guillelmus Ep. Salforden. in Anglia.

Quoniam Beatus Petrus Baptista cum aliis viginti duobus sociis Seraphici Minorum Ordinis, et Beatus Paulus Miki cum duobus aliis e Societate Jesu crucis subeuntes tormentum socii fuerunt contumeliae Christi, quis negabit et participes esse laetitiae illius? Sicut passionis consortes, ita et resurrectionis, qui enim toleraverunt mala propter

Christum debent et habere gloriam cum Christo. Per crucem in corpore humilitatis Christo Domino configuratos, et corpori claritatis suae configuratos existimemus oportet, et dignos propterea qui coelitibus adsciscantur. Hoc idem evincunt virtutes et signa quae horum Martyrum vitam illustrarunt et mortem; et nihil opportunius quam hac molli et frivola aetate proferantur exempla christianae fortitudinis, et invictae patientiae.

Eos itaque in album Sanctorum Martyrum referri posse, si Sanctitati Vestrae placuerit, non solum arbitror, sed humillime deprecor et enixe oro.

✠ Mathias Augustinus Ep. Civit. Cast. Hort. et Galles.

Beatissime Pater

Ordo, modus, tempus, scopus: quatuor sunt notae, quae consultissimam praesentem demonstrant Canonizationem.

Ordo elucet in chronologica actorum serie, et probationum valore, prout in narratione exhibita.

Modum commendat corona haec amplissima ad vocem Sanctissimi in Christo Patris, et Domini nostri undique huc confluens (licet non sine gemitu multis id datum non fuerit Confratribus), ut Ecclesia, quae captiva teneri non potest, unitatem, libertatemque suam adfirmet, exerceatque.

Tempus opportunum ad evellendas multiformes rationalismi radices, est octavus a definitione dogmatica annus, ut humanae vitae initium et exitus beatifica luce Conceptus Deiparae, et pretiosa morte justorum fulgidi, aliis viatoribus vitam sine macula traducendam edoceant.

Scopus est glorificatio vigintisex crucifixorum, qui Taicosamae veluti alterius imperatoris Valeriani spretis

saevitiis, manus suas expandunt ad coelum, et cor lanceis transverberatum tamquam thymiama offerunt Deo, ut nostra aetate impleatur illud Jacobi Apostoli in Concilio Hierosolymitano oraculum (Art. 15) « post haec revertar . . . et « reaedificabo. . . . et erigam. . . . ut requirant caeteri « hominum Dominum ».

Concordat itaque suffragium meum, quod ante augustos Pedes Sanctissimi Domini Nostri reverenter depono.

✠ Cajetanus Ep. Balneoregien.

Beatissime Pater

Ad solamen Confessorum in carceribus detentorum atque ad Episcoporum qui inter infideles haereticosque laborant zelum promovendum velit Sanctitas Vestra B. Joannem Baptistam una cum filiis S. Francisci et B. Paulum Miki et filios S. Ignatii inter candidatos Martyres ubique colendos adnumerare.

Thomas Grant Episc. Suttuwarcen.

Quoniam constat inclytos sex et viginti Dei Famulos de quorum Canonizatione nunc agitur, vere Martyres Christi fuisse, qui diram mortem *pro fide Catholica* subiere;

Quoniam etiam constat eorumdem Sanctitatem Omnipotentem Deum pluribus claris miraculis commendasse;

Ideo, propter honorem Dei, ad exaltationem Sanctae Ecclesiae Catholicae, ut novo et admodum mirabili fidei et fortitudinis exemplari omnes ad parem fidei fortitudinem excitentur; ita ut luctuosis hisce temporibus, inter fraudes et mendacia, etiam inter minas, inconcussi maneant in fidei integritate;

Tota anima efflagito ut hi famuli Dei in album Sanctorum adscribantur, solemni Decreto in forma Ecclesiae consueta.

Romae die 22 Maji anno 1862.

Jos. Ep. Sancti Hyacinthi.

Divino consilio factum est, ut qui fere a tribus saeculis corona Martyrum sunt in coelis redimiti, uti ex martyrii actis evincitur, hisce luctuosissimis temporibus a voce Divi Petri, quae semper viva in suis successoribus in Romana Cathedra resonat, etiam in terris eadem laurea donentur; in hac enim persecutione, quam non solum ab ethnicis, sed a suis filiis Ecclesia patitur, in hisce Martyribus Sacerdotes, regulares familiae, ac fideles omnes luculentissimum fortitudinis exemplum, ac praesidium ad strenue pro Catholica fide, et Ecclesiae unitate dimicandum, habere possunt. Dignetur itaque Sanctitas Vestra infallibili judicio definire, hos Martyres ab Ecclesia militante Sanctorum cultu esse prosequendos.

Joseph Cardoni Ep. Carysten.

Vere, Beatissime Pater, Sanctae Ecclesiae sponsae Jesu Christi, cujus regimini ac tutelae fortiter et suaviter, divino Spiritu afflante, tu advigilas, nec rosae, nec lilia desunt, utar verbis V. Bedae. Ecce vigintisex rosae Japoniae crucibus germinatae, et in coelum mirabiliter exaltatae. Quam pulchrae sunt, quam decorae! Quam grato odore universam Ecclesiam laetificant! Quam salubre et opportunum fuit consilium mentis tuae, Beatissime Pater, ut his temporibus luctuosissimis, talis ac tanta coelestis fragrantia filios Tuos omnes recrearet, atque ad certandum bonum certamen fidei tot

et tantorum Martyrum praesidio et exemplo excitaret, firmaret! Hinc valde, et ex animo, ut supremi cultus honores Beatis istis vigintisex Martyribus jam pridem decreti, solemniter complcantur, humiliter flagito, et exopto.

✠ LAURENTIUS BIANCHERI EP. LEGIONEN. ET VIC. AP. ABISSIN.

Aequum sane et justum est, Beatissime Pater, ut post acceptam in triumphante Ecclesia gloriae coronam, etiam in Ecclesia militante decreta virtuti praemia, sacrosque Canonizationis honores assequantur viginti tres Beatissimi Martyres ex inclyto Minorum primo et tertio Ordine, nec non tres eorum socii ex Ordine S. Ignatii Loyolitae, qui omnes in remotissima Japoniae regione mortem propter Christum sustinuerunt, ostendendo ex operibus fidem suam, et passionem Dominicam in crucis patibulo imitando. Hi enim Christi athletae, cum jampridem sobrie, juste, pie, sancteque vitam suam instituissent, et crucis mortificationem jugiter in suo corpore circumtulissent, nullum vitavere periculum nullum horruere supplicium in fidei catholicae, quam vel praedicabant, vel profitebantur, confirmationem, donec martyrio acerbissimo vitam profuderunt, accipientes coronam de consummatione virtutis. Stare autem illos ante thronum et in conspectu Agni stolis albis amictos, tum signis et prodigiis post eorum pretiosam mortem a Deo patratis, tum Sanctae ipsius Apostolicae Sedis judicio constat, quae jam tribus abhinc saeculis definierat ad eorum Canonizationem quandocumque deveniri extra omnem dubitationis aleam licere, quum in hac caussa abunde suppeterent quaecumque ad rem desiderari possent.

Reliquum ergo est, ut a Sanctitate Vestra, ad quam pertinet supremo et finali Decreto sacris fastis Dei Servos adnumerare, illis Sanctorum Martyrum in terris decernantur

honores, quibus coronam de lapide pretioso jam imposuit Deus in coelis. Quod ut Sanctitas Vestra perficere dignetur, humillimis precibus efflagito, et lubenti animo coeterorum Patrum unum idemque sentientium suffragiis meum quoque votum adjicio.

Romae die XXII Maji 1862.

Fr. Aloisius Ep. Aquilan.

Beatissime Pater

Attente legi, maturoque examini subjeci compendium processus pro Canonizatione viginti sex venerabilium Servorum Dei, Martyrum Japoniae, quod Sanctitatis Vestrae decreto ad me transmissum est, nihilque in eo reperi, quod non recte actum probatumque judicem. Quapropter ad illorum Canonizationem tuto procedi posse censeo.

Romae 22 Maji anni 1862.

Ego Josephus Ep. Urgellen. in Hispania.

Beatissime Pater

Humillime oro obtestorque ut viginti sex Martyres qui apud Japoniae gentes passi sunt pro Christo et supplicium crucis subierunt inter Sanctos enumerare digneris.

Factum Romae die 22 Maji A. D. 1862.

✠ Joannes Loughlin. Ep. Brooklynien.

Beatissime Pater

Quoniam J. C. in terra Vicarius, Petrique Successor, pro futura Canonizatione Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Franci-

sci, et Pauli Miki cum aliis duobus e Societate Jesu, tam Eminentissimorum Cardinalium, quam Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum suffragia excipere et audire voluerit, ipse qui loquitur non pro consilii modo, sed pro ea, qua par est, reverentia et obedientia Principi Pastorum debita, pauca humiliter exponet.

Supradictos Japonenses Martyres pro fide Catholica tuenda, et pro illius confessione et praedicatione, gloriosam mortem sustinuisse, nemo non videt. Praeclarissimum ipsorum sacrificium pluries et divinitus praemonstratum fuisse et illustratum mirabilibus signis in coelo et in terra, certissimis monumentis constat, ita ut si atrocissimis tormentis cruciati et durissimo supplicio affecti, fides eorum probari potuit, non tamen vinci. Crucifixis corporibus, ac lanceis perfossis, invicti animi restiterunt, ac illustre fidei testimonium Ecclesiae reliquerunt. Propterea Sanctorum Martyrum Japonensium cultu, Apostolica auctoritate, infallibilique judicio jamdiu approbato, id tantummodo superest, *quod S. V. solemni pompa Sanctorum fastis eos adscribere dignetur.*

Liceat mihi, igitur, Beatissime Pater, cum Sanctae Fidei Promotore libenter existimare; Sapientissimo Divinae Providentiae consilio opportune contingere ut luctuosis hisce temporibus, quibus sceleris omnis maturitas, vel in cultissimis Italiae regionibus adversus Christi fidem erupisse visa est, expedienda proponatur causa Canonizationis propemodum absoluta Martyrum Japonensium; et iterum liceat libentissime me conformare solemni S. V. declarationi, nuper pronuntiatae, scilicet « *tuto procedi posse ad Beatorum Martyrum Japonensium Canonizationem* ».

Feria V. die 22 Maji A. D. 1862.

Franciscus de Paula Ep. De Linares.

Beatissime Pater

In cunctis fere totius mundi regionibus crudele nimis ac valde periculosum virtuti vitium, veritati errorem bellum indicere videmus, divina quaeque et humana jura turbari, ac magnis jactari fluctibus naviculam Petri. Attamen luctuosissimis hisce persecutionis diebus inscrutabili Dei miserentis consilio spectatissimum nobis Martyrum Japonensium exemplar proponitur, atque ad illorum sectanda vestigia catholicos omnes tam sacerdotes quam laicos, nobiles aeque ac ignobiles, senes et juvenes adhortatur Dominus, cuique nostrum dicens: « Tu non poteris quod potuerunt isti? » Gratias Deo totius consolationis Patri agamus quammaximas, quoniam tria fere post saecula hanc solemnis Canonizationis causam expediri disponit, et ad finem usque perduci, ut gloriosissimos illos fortissimosque Christi athletas studeamus imitari, nec persecutione deterriti a verae fidei professione unquam vel paullulum deficiamus. Dignetur igitur Sanctitas Vestra et Franciscanae Familiae et Societatis Jesu votis ac humillimis precibus annuere: hoc etenim ad praedictorum Martyrum honorem et cultum promovendum, necnon ad fidelium qui diram propter justitiam persecutionem patiuntur solatium, eosque alliciendos ad confitendum Christi nomen coram hominibus haud parum proficiet.

Petrus Ep. Guadalaxaren.

Beatissime Pater

Bonum certamen certarunt, fidem servarunt, ut divinis obtemperarent mandatis jussa principum neglexerunt, carceribus inclusi, in multis vexati; fame, siti, frigore et

nuditate afflicti crucis tormentum subierunt, ut crucis triumpho gauderent, sicque per eam qua redempti fuerant, ad Redemptorem redierunt. Quare ut B. Petrum Baptistam cum viginti duobus sociis ex Ordine Minorum Discalceatorum S. Francisci, ac B. Paulum Miki cum duobus sociis e Societate Jesu, Beatissime Pater, Sanctorum numero, Apostolica auctoritate adscribas, Ordinum, quibus, dum viverent, nomen dederant, universae Missionariorum lectissimae per orbem cohortis precibus, meas humillimas supplicationes adjungo.

Fr. Aloysius Ciurcia Ep. Scodren.

Non sine Divinae Providentiae consilio factum fuisse dicendum est, Beatissime Pater, ut post diuturnum silentium causa Canonizationis Beati Petri Baptistae Ordinis Minorum Sancti Francisci cum viginti duobus sociis, et Beati Pauli Miki cum aliis duobus sociis e Societate Jesu ex inopinato iterum proponeretur nostra hac miserrima aetate in qua exlex impiorum manus nihil inausum intentatumque relinquit ut justitiae ordo pervertatur, morum puritas foedetur, haeresis et schisma inter catholicos provehatur, ut si fieri possit Christiana religio deleatur.

Dolemus enim persecutionem quam in Concincinae regionibus in Christianos homines horrende saevire accepimus. Quid vero magis impium, quid inhumanius, quid crudelius, quam nefariorum sectariorum feritas, quae in nostra hac misera Italia mox florentissima longe lateque grassatur, quaeque praesertim in sanctissimos Episcopos, aliosque Ecclesiae Ministros, contra claustrales ac innocentissimas Virgines, adversus pios et catholicos viros dire ac perfide debacchatur; qui omnes obedientes potius Deo quam hominibus, pro catholica Religione tuenda, proque

principiis aeternae justitiae defendendis strenue pugnant?

Infinita Dei Bonitas ac Sapientia permovit Te, Beatissime Pater, qui dies noctesque animo maxime revolvis quid magis conducat ad majorem Dei gloriam, quid utilius sit catholicae Religioni, quid magis universo hominum generi prodesse possit: Infinita Dei Bonitas, inquam, ac Sapientia permovit Te, ut per omnes mundi plagas horum Beatorum praeclara facta ac heroicam virtutem in poenis tolerandis et in martyrio pro catholica fide profitenda et tuenda hilari animo subeundo diffunderes ac propagares. Fuit illud veluti fulgentissimum sidus, quod suo improviso aspectu ac splendore omnium fidelium oculos in se convertit, virtute sua intuentium corda incendit, mentesque illustravit. Nova hac coelesti virtute fideles per Te roborati, Beatorum praedictorum praeclarissima exempla amoris, patientiae, fortitudinis sequentes omnia potius mala ferre, quam fidem prodere, bonos mores foedare atque firmissima aeternae justitiae principia imminuere ac deserere paratissimi esse videantur.

Post maturum vero examen saepe ad trutinam revocatum, cum ex indubiis monumentis constet decretum mortis adversus praedictos Beatos in odium fidei Catholicae ab immanissimo tyranno Taicosama Japonensium Imperatore fuisse prolatum; cumque ex probatissimis testimoniis perspicuum sit Beatissimos illos viros heroica virtute tormenta, et mortem quam libentissime pro fidei Catholicae tuitione ac professione tolerasse, Sanctitatem Tuam, Beatissime Pater, ad solemnem praedictorum Beatorum Canonizationem devenire posse arbitror, idque humillima prece exposco.

Hanc meam sententiam protuli in Consistorio semipublico habito die 22 Maji anno 1862.

✠ Nicolaus Bedini Ep. Terracinen. Priverpen. et Setin.

BEATISSIME PATER

Causam Canonizationis Beatorum sex, et viginti Martyrum Japonensium felicibus inceptam auspiciis, eoque perductam, ut nihil desiderandum superesset praeter decretorium Summi Pontificis judicium, intermissam tamen per trium fere saeculorum spatium, tandem definiendam Tibi, Beatissime Pater, reservavit Altissimus, calamitosis hisce temporibus, queis jura omnia divina et humana permiscentur, et homines futurorum bonorum obliti sapiunt non quae in Coelis sunt, sed quae super terram. Sed ad eorum excitandam fidem, eosque ad tramites Religionis, et Justitiae revocandos magnopere conferet, si nova mundo proponantur virtutis exempla, si nempe, coelestes decernantur honores laudatis sex, et viginti Christianae Religionis athletis. Et quoniam plane constat, ut mihi videtur, ipsos, despectis fluxis caducisque rebus, vitam pro causa Fidei libenter, et alacriter dedisse, et coruscasse prodigiis, idcirco demisso animo opinor, solemnem eorumdem Canonizationem non amplius esse retardandam.

Romae die 22 Maji 1862.

ALOYSIUS EP. MONTIS FALISCI.

BEATISSIME PATER

Quum justi, qui vestigia Christi secuti sunt, et suum sanguinem pro ejus amore fuderunt, cum ipso exultent sine fine, Japoniae Martyres qui durissima usque ad mortem, ob fidem catholicam, illiusque confessionem, supplicia tolerarunt, in coelestibus tabernaculis esse collocatos indubitanter existimo, ac proinde nihil mihi obstare videtur eorumdem sanctitatis declarationi: praesertim cum quae

ad solemnem Canonizationem pertinent, hactenus rite, ac recte peracta sint. Quapropter, Beatissime Pater, humiliter precor Sanctitatem Vestram, ut dignetur viginti et sex praedictos Martyres in Sanctorum albo adnumerare. Fortasse Vaticani oraculum re super hac jam fere tribus saeculis desideratum, Deus inscrutabilibus suis arcanis ad nostra usque tempora luctuosissima reservandum esse decrevit ut fideles sanctorum Martyrum exempla conspicientes praelia Domini strenue aggrediantur adversus scelestissimos homines, qui hodie ubique terrarum gratiam Dei in luxuriam transferre pertentant, dominatorem Dominum Nostrum Jesum Christum negantes, omniaque religionis, et societatis principia funditus evertere cupientes. Declaratio solemnis Apostolicae Sedis de sanctitate Japonensium Martyrum, ni fallor, erit augurium de proximo Ecclesiae triumpho, deque populorum concordia et pace; praecipue in mexicana regione, cum B. Philippus a Jesu qui est primus mexicanorum collocatus in Sanctorum catalogo, tali decoratur honore, eo ipso tempore quo ibi adversus religionem catholicam dira suscitatur persecutio. Ille, ut confido, suorum concivium misertus, omnes suas preces ad Dominum in favorem ipsorum convertet, quoniam jam nihil sibi postulare teneatur.

Petrus Ep. Sancti Ludovici et Potosi.

Beatissime Pater

Gaudent in Coelis animae Beatorum qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine. Quod et illis, Beatissime Pater, adjungi meruerint laudati viginti sex Japoniae Beati, satis indigitant, et inconcussa horum martyrii documenta, et signa splendida.

Ut ergo, Beatissime Pater, luctuosis hisce temporibus, recentiora addantur exempla quibus incitati ad fidem propagandam ac defendendam ardentius urgeamus, illos, Sanctorum fastis adscribendos censeo et reverenter deprecor.

✠ Franciscus Ep. Carcassonen.

Beatissime Pater

Ego infrascriptus Episcopus Vegliensis plenissime convenio cum propositione pro Canonizatione Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum Sancti Francisci, et Pauli Miki cum aliis duobus e Societate Jesu, Martyrum Japonensium.

Datum Romae die 22 Maji 1862.

Joannes Josephus Vitezich Ep. Veglien.

Mirum sane, Pater Beatissime, et arcano Dei consilio fortiter ac suaviter disponentis omnia factum esse reor, quod post tria fere saecula miserrimis hisce diebus, quibus Crux Christi velut ludibrio habetur, audiat totus Orbis, et discat viginti sex Martyres Japonenses gloriam crucis assecutos fuisse.

Et quidem ex actis, quae a Sacra Rituum Congregatione confecta sunt, luculenter evincitur, quod et hi digni habiti sunt pro Christi nomine contumeliam et mortem pati.

Verum quod sors illorum sit inter Coelites, qui stolas suas dealbaverunt in sanguine Agni, Tuum est ad Dei gloriam definire, ut universa gens sancta in Domino laetetur,

et qui abominabiles facti sunt in studiis suis, virtutem crucis, in qua Athletae Japonenses vicerunt, revereantur, et contremiscant.

✠ Cajetanus Ep. Alatrin.

Beatissime Pater

Quia Beatus Petrus Baptista, Beatus Paulus Miki, et viginti quatuor eorum socii pro Christo sanguinem fuderunt, meo humili judicio digni omnino sunt qui in album Sanctorum referantur.

✠ Guillelmus Vaughan Ep. Plymouten. in Anglia.

Martyrium et causa martyrii Beatorum tum Ordinis Minorum tum Societatis Jesu per evidentissima argumenta ita probantur, ut nemini dubium subesse possit. Quare ut Sanctorum coetui cooptentur a Sanctitate Vestra, Beatissime Pater, humiliter efflagito.

✠ Fr. Laurentius Ep. Sutrin. et Nepesin.

Sanctitas Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium quammaxime probata videtur, sive ex sanctissimo fine pro quo atrocissimam mortem generoso subierunt animo, dum tyrannicam iram, atque persecutionis decreta pro nihilo habentes, sed Dei tantum honori atque animarum bono vacantes, pro Christi fide in patibulo crucis suspensi, atque lanceis transfixi, ad gloriosi martyrii palmam pervenerunt; sive etiam ex mirabilibus pluribusque signis, quibus munificentissimus Dominus indubitanter Sanctorum suorum

gloriam testatam voluit. Quare, Beatissime Pater, in eam eo sententiam, ut, si Sanctitati Vestrae videatur, ad Canonizationis honores meritissime evehantur, ut vivant nomina eorum in aeternum.

Nicolaus Pace Ep. Amerin.

Beatissime Pater

Hisce luctuosis temporibus, cum diminutae sint veritates a filiis hominum, et nimis de die in diem deficiat sanctus, valde optandum videtur et opportunum quod solemniter glorificentur ab Ecclesia catholica viri fortes, qui pro Christo et divinis ipsius legibus animas posuerunt. Igitur, attentis tum aevi praesentis indigentiis, tum variis quae jam causam illustrarunt examinibus, plenissimamque de suprema Successoris Petri sapientia fiduciam habens, Beatissimum Patrem humiliter et enixe deprecor ut Martyres Japonenses, de quibus agitur, Sanctorum Albo, literis quasi adamantinis, dignetur inscribere.

✠ Henricus Ep. Nemausen.

Cum ex actis in causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium certo constet de facto martyrii, de causa martyrii, de signis martyrii veritatem divinitus confirmantibus, et de cultu jamdiu Dei Famulis praestito, ad solemnem eorum Canonizationem tuto deveniri posse reor; quam tamen meam sententiam Sanctitatis Vestrae, Beatissime Pater, judicio, quo omnes omnino tum agni tum oves pascendi, obsequentissimus subjicio.

Romae die 22 Maji 1862.

Andreas Ep. Concordien.

Attentis probationibus quibus constat de martyrio B. Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci una cum B. Paulo Miki et aliis duobus e Societate Jesu, Martyrum Japonensium;

Perpensis aliunde testimoniis necnon argumentis quae vera demonstrant miracula patrata ad confirmandam divinitus martyrii veritatem, ego infrascriptus existimo et, in quantum ad me attinet, judico sufficientem esse causam, ut, si Summo Pontifici placuerit et Sua Sanctitas opportunum duxerit, juxta Sanctae Romanae Ecclesiae ritum, ad istorum Famulorum Dei Canonizationem procedatur.

Romae decimoprimo Kalendas Junii an. MDCCCLXII.

✠ J. Henricus Ep. Forojulien. ac Tolonen.

Beatissime Pater

Cum ex disquisitionibus et processibus a Sancta Sede peractis in causa martyrii Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci, necnon Pauli Miki cum aliis duobus e Societate Jesu, clare innotescat, eos pro fide Christi mortem gloriosam subiisse; hinc Beatitudinem Vestram enixe rogo ut ad multiplicandos Ecclesiae intercessores eamque in Fide Christi servanda et tuenda luctuosis hisce temporibus confirmandam, praedictos Christi milites solemni Canonizationis honore augere dignetur.

Datum Romae die 22 Maji 1862.

✠ Laurentius Ep. Elphinen. in Hibernia.

Beatissime Pater

Compendio historiae martyrii et miraculorum Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium attente et cum maxima aedificatione a me perlecto, enixe et humiliter

rogo Sanctitatem Tuam ut precibus promotorum benigne annuens pro gloria Dei et majore fidelium praesertim his diebus consolatione procedere digneris ad Canonizationem horum Beatorum.

Datum Romae ex aedibus Fratrum Resurrectionis apud S. Claudium die 22 Maji 1862.

✠ Joannes Ep. Hamiltonen.

Beatissime Pater

Cum Martyres non faciat poena sed causa, ut ait Augustinus, cumque et causa et poena martyrii apprime fulgeant in viginti sex viris Religiosis, qui in Japonia mortem pro Christo subierunt, hosce inter Sanctos cooptandos esse humiliter censeo, si S. V. placuerit.

Die 22 Maji 1862.

✠ J. Stephanus Ep. Olympen. Vic. Ap. Jaffnae.

Omnia attente denuoque perlegi quae nobis huc usque relata sunt de causa futurae Canonizationis Beatorum Petri Baptistae cum duobus supra viginti sociis Ordinis Minorum S. Francisci, nec non Pauli Miki et duorum aliorum Societatis Jesu, Martyrum Japonensium.

Non potui quin illorum et zelum ferventem pro animarum salute, et ineluctabilem in perferendis suppliciis constantiam, et ardentem erga Deum et proximum caritatem, et heroicas in omni genere virtutes agnoscerem et demirarer.

Quibus omnibus serio perpensis et coram Deo ponderatis, divinoque auxilio humiliter et enixe implorato, meam ea de re sententiam aperire non dubito, quam tamen

S. Sedis Apostolicae auctoritati plene subjicio, et ad praefatorum Beatorum Canonizationem tuto deveniri posse arbitror.

Romae hac die 22 Maji 1862.

✠ J. H. Ep. Catalaunen.

Beatissime Pater

Perfectissimae caritatis est animam ponere pro Christi fide augenda et proximorum salute procuranda: hanc vero perfectissimam caritatem ad extremum usque vitae tenuisse viginti sex Beatos Martyres Japonenses comprobatum indubiumque est. Hi enim omnes ad disseminandam et augendam Christi fidem in Japoniae Regno, illiusque gentis salutem procurandam mortem non timuerunt, imo forti lubentique animo, extremo supplicio obviam ire non dubitarunt. Quapropter enixe deprecor Beatitudinem Tuam ut eos qui jam triumphant cum Christo in coelis coronati etiam in terris aureola Sanctorum, Tuo infallibili judicio, decorare digneris.

Fr. Laurentius Bergeretti Ep. Sanctorinen.

Beatissime Pater

Quoniam, exeunte saeculo decimo sexto, martyrium toleratum pro fide Catholica ab invictis viginti sex Athletis Japonensibus nomine tenus consignatis in Compendio Historiae eorumdem Romae dato anno currenti penitus liquet; miraculis quoque compluribus dictorum Martyrum intercessione patratis, constat, eos cum Christo in coelis regnare, aequissimum arbitror, ut juxta processus hinc retro a tot

saeculis peractos, etiam ab Ecclesia Christi in terris in Catalogum Sanctorum Martyrum Canonizatione juridica referantur, ideoque suffragor affirmative.

Romae 22 Maji 1862.

Michael Marszewski Ep. Wladislavien.

J. M. J. A.

Ob definitionem de Immaculato Beatae Mariae semper Virginis Conceptu paucis abhinc annis a Sanctitate Tua latam exultavit Urbs, Beatissime Pater, universusque Tibi sibique plausit Orbis: sed gaudio praesertim perfusi sunt Sanctorum Francisci et Ignatii perillustres ac religiosissimi Alumni, illius singularissimi privilegii Matris Dei strenui assertores atque acerrimi vindices. Et Roma rursus, et universi Christifideles, sed potiori jure praedictae Regularium familiae congaudent, sperantes, paucos post dies, Sanctitatem Tuam viginti sex Martyres Japonenses, quos hae familiae, veluti foecundae Sanctorum Parentes, peperere; Beatum videlicet Petrum Baptistam cum viginti aliis duobus Seraphica Familia; et Beatum Paulum Miki cum aliis duobus Jesu Societas, fastis coelestis Jerusalem ritu solemni adscripturam. Ad decernendum dogma Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis praeter insigne hujus causae meritum divinitus a Te, Beatissime Pater, cognitum impulit etiam unanimis Episcoporum consensus, qui idipsum constare certo asseveranterque affirmabant: sed et in praesenti viginti sex Martyrum nobilissima causa, praeterquamquod ex indubiis eorum actis liqueat hosce omnes fortissimos viros pro Christi nomine tormentum crucis subiisse, atque pretiosissimam eorumdem mortem miraculis a Deo fuisse firmatam, et impraesentiarum rursus Episcopi omnes suis

votis accedunt, atque decretoriam ultimamque Sanctitatis Tuae sententiam sollicite instanterque praestolantur. Sine igitur, Beatissime Pater, ut ego quoque justissimis Venerabilium Fratrum meorum precibus meas adjungam, atque humillime petam, ut in Sanctorum album viginti sex Martyrum Japonensium gloriosa nomina adscribas. Post dogmaticam Deiparae Immaculatae definitionem validiorem Virginis opem jam sumus experti, majoremque in dies expectamus: post Canonizationem vero horum viginti sex Martyrum, qui pro Religionis propagatione sanguinem suum fuderunt, plenum perfectumque ejusdem religionis triumphum futurum omnino confidimus. Ipsorum quippe preces apud misericordissimum Deum cum illis Virginis conjunctae repulsam pati non possunt. Unde qui conturbavit profundum maris, quamprimum mitigabit sonum fluctuum ejus, et fiet tranquillitas magna.

✠ Fr. Franciscus Ep. Porphyrien.

Beatissime Pater

Cum certo omnino constet Beatum Petrum Baptistam cum viginti duobus sociis ex Ordine Minorum Sancti Francisci, et Beatum Paulum Miki cum duobus e Societate Jesu sociis sanguinem pro Christo dedisse, censeo eos dignos esse ut solemni Beatitudinis Vestrae decreto in Sanctorum album referantur.

Romae die 22 Maji 1862.

✠ Joannes Ep. Galvien.

Beatissime Pater

Perpensis actis authenticis Sacrae Rituum Congregationis vidi Beatos sex et viginti Martyres Japonenses, quorum sex ex Ordine Minorum discalceatorum S. Francisci

strictioris observantiae, tres e Societate Jesu, decem et septem ex tertio Ordine S. Francisci, ita fuisse praeditos omnibus virtutibus tum Theologalibus tum Cardinalibus ut Deus ope eorum plura miracula operatus sit, simulque ea quae peracta sunt in causae hujus examine apud eamdem Sacrorum Rituum Congregationem fuisse canonice peracta. Ideoque ego judico, si Sanctitati Vestrae placuerit, Beatos sex et viginti Martyres Japonenses supradictos dignos esse ut in Sanctorum album referantur.

Romae die 22 Maji 1862.

✠ Ego Ludovicus Ep. Vivarien. in Galliis.

Beatissime Pater

Post diligentem inquisitionem synopticae historiae a Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis mihi traditae, circa martyrium et miracula necnon acta in Causa Canonizationis B. Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci, et B. Pauli Miki cum duobus aliis ex Societate Jesu, qui in Japonia pro Christo cuncti mortem subiere anno 1597, visum est mihi tuto procedi posse ad ipsorum Servorum Dei Canonizationem, ac in Sanctorum Martyrum Cathalogo adscriptionem, si Sanctitati Vestrae placuerit. Ita sentio, peto, ac subscribo.

Romae feria V die 22 mensis Maji 1862.

Anastasius Ep. Salmantin.

Beatissime Pater

Omnibus jam diu notum est, B. Petrum Baptistam cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci una cum B. Paulo Miki aliisque duobus e Societate

Jesu martyrium pro fide Catholica in Japonia strenue subiisse. Indubia itidem sunt praeclara ab Omnipotenti Deo patrata miracula ut horum Martyrum sanctitas evidentia praefulgeat, prout ex causa liquet, juxta sacros canones sapientissime instructa. Eos igitur, Beatissime Pater, Sanctorum albo solemniter adscribendos esse judico.

Romae 22 Maji 1862.

JOANNES IGNATIUS EP. OVETEN.

BEATISSIME PATER

Cum ex authenticis documentis a Sede Apostolica approbatis liqueat Beatum Petrum Baptistam cum aliis viginti duobus ex Ordine Minorum Sancti Francisci necnon Beatum Paulum Miki cum duobus pariter sociis ex Societate Jesu mortem pro Ecclesia Catholica subiisse, censeo quod ad augmentum rei Christianae prodesset si Beatitudo Vestra dignaretur eosdem athletas Christi in album Sanctorum Ecclesiae Martyrum referre.

Romae die 22 Maji 1862.

✠ MICHAEL EP. ROSSEN. IN HIBERNIA.

BEATISSIME PATER

Injunctae jussioni ut suffragium feram in causa Canonizationis Beatorum viginti sex, qui Nangasaqui in Japonia die V. Februarii anni 1597 mortem crucis pro Christo oppetiere, obediens respondeo, et brevissimo sermone conficio.

Ex his quae usque hodie acta sunt in hac causa plane constat de martyrio, et de causa martyrii, quam insuper

divina portenta commendant. Hinc decretum prodiit a Sanctitate Vestra tuto procedi posse ad horum Beatorum Japonensium Canonizationem. Huic judicio et ipse ex animo assentiens, illud adjiciam, Ecclesiam Catholicam ejusmodi Canonizationem praestolari, ac totis viribus gestire, ut in apertum prodat judicium Sanctitatis Vestrae referens horum Beatorum nomina in album Sanctorum Martyrum, ad ipsius Ecclesiae hostium ora occludenda qui insanissime effutiunt, ejus divinam Auctoritatem interiisse. His, et aliis motus de causis, haec est mea sententia; deveniendum nempe illico et sine mora, a Sanctitate Vestra ad horum Beatorum Martyrum Canonizationem.

Ita sentio, et meo nomine suffragium subscribo.

Romae XI Kalendas Junii MDCCCLXII.

Bernardus Ep. Placentin.

Beatissime Pater

Post diligentem, maturamque investigationem circa Canonizationis causam hac die designatam, recte ac sapienter instructam, et quam ego in hoc gravi negotio attente perlegi, mihi sensus animi est, ad praefatam Canonizationem, Deo auxiliante, tuto procedi posse. Ita sentio, declaro ac subscribo.

Romae, in aula Palatii Apostolici Vaticani die 22 Maji 1862.

Franciscus a Paula Ep. Seguntin.

Beatissime Pater

Cum ex legitimis probationibus constet, sanctitatem BB. sex et viginti Martyrum Japonensium, de quorum Canonizatione in praesenti agitur, pluribus signis fuisse te-

statam; cumque sufficienti numero certae probataeque fidei testium comprobatum appareat eos pro Christi fide verum martyrium sustinuisse, martyriique veritatem miraculis etiam fuisse confirmatam; absolutis omnibus quae in hoc causarum genere a S. Ecclesia Romana peragi solent; praelaudatos Martyres Sanctorum catalogo adscribendos esse sentio et judico, proque eorum Canonizatione humiliter S. Vestram supplico.

Romae die 22 mensis Maji an. D. 1862.

Fr. Ferdinandus Ep. Abulen.

Beatissime Pater

Attente perlectis matureque perpensis martyrii Beatorum, qui in Sanctorum Album cooptandi proponuntur, processu et actis; miraculis insuper quae et captivitatis tempore et ante et post eorum mortem patrata affirmantur; nec non Reverendissimorum PP. Cardinalium prolatis responsis et a Sanctitate Vestra solemniter pronunciatis decretis, ad illorum Canonizationem tuto procedi posse asserendo; ejusdem sententiae me esse affirmo: hocque proinde humiliter deposco, ut quod tam fauste inceptum est, felicem ad exitum perducatur.

Romae 22 Maji anno 1862.

Joannes Josephus Ep. Vicen.

Beatissime Pater

Ingenti Canonizationis negotio jam profecto satis spectato, certo mihi certius est, ad solemnem Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum

S. Francisci, et Pauli Miki cum aliis duobus e Societate Jesu, Martyrum Japonensium, Canonizationem procedi posse.

En suffragium, ne longius abeam, quod lubenti animo apertoque ore emitto, illud referens ad majorem Dei laudem eorumque honorem, qui ad summum gloriae culmen conscendere debent.

At vero salva semper suprema Romani Pontificis sententia, cui ex toto corde obtempero.

Cosmas Ep. Tirasonen. in Hispania.

Beatissime Pater

Perspecta historia martyrii et miraculorum, nec non peractis a Sacra Rituum Congregatione in causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium, censeo Sanctitatem Vestram posse tuto ad summum gloriae fastigium coelitibus concessum eos extollere.

Romae die vigesima secunda Maji millesimo octingentesimo sexagesimo secundo.

Petrus Lucas Ep. Jacen. in Hispania.

Beatissime Pater

Inter tot tantaque praeclare a Te gesta, Beatissime Pater, divino prorsus consilio factum videtur hanc Japonensium Martyrum causam, ad nostram usque aetatem dilatam fuisse, ut Canonizatio, eaque amplissima, ac difficillimis temporibus maxime congrua, nonnisi Beatitudini Tuae reservaretur. Cum igitur jampridem, tribus abhinc saeculis, post accuratam et diuturnam examinis discussionem juxta vetustiorem disciplinam, de illorum martyrio, martyrii

causa, et miraculis plane constiterit, idcirco nihil impedimenti esse arbitror, quominus eorum omnium nomina, pro Dei gloria, Apostolicae Sedis exaltatione, ac utriusque D. Francisci et Ignatii Ordinis incremento, inter album Sanctorum, Tuo irreformabili judicio, recenseantur. Quapropter age, Beatissime Pater, et praesentissimo Spiritus Sancti adjutus auxilio, annuntia Catholicae Ecclesiae tot excellentium virorum Canonizationis oraculum, ut multiplicatis apud Deum intercessoribus, praeeunte B. Virgine Immaculata Dei Genitrice, ac Martyrum Regina, hisce temporum acerbitatibus, quibus Dei Religio, ipsaque civilis societas periclitatur, et Tua constantia in terris, et e coelo horum Martyrum patrocinio, Christifideles universi tutos fore laetentur.

Joseph M. Ep. Synopen.

Beatissime Pater

Cuncta quae pro B. Petri Baptistae, aliorumque in martyrio sociorum Canonizatione per Sacros Canones, et Apostolicas Constitutiones postulabantur, Te Beatissime Pater Praeside, Te Judice, ad unguem expleta mihi videntur. Eis itaque debitos Sanctitatis honores ne differas humiliter efflagito; ut Christifideles SS. Martyrum exemplo excitati prae oculis habeant quod imitentur, pieque colant.

✠ Clemens Ep. Anagnin.

Beatissime Pater

Humillime deprecor Sanctitatem Vestram ut viginti sex Martyres Japonenses in album Sanctorum cooptare dignetur.
Datum Romae die 22 Maji A. D. 1862.

✠ Franciscus Patritius M. Failand Ep. Hartfordien.

Beatissime Pater

Ad viginti sex Beatorum Martyrum, qui Japoniam Ecclesiamque universam sanguine suo decorarunt, Canonizationem tuto procedi posse censeo, Sanctitatemque Vestram, ut eam Apostolico judicio decernat, exoro.

Romae die 22 Maji 1862.

✠ Ignatius de Senestrey Ep. Ratisbonen.

Congruum esse videtur ut qui pro vera fide mortem subiere, et palmas in regno coelorum portare meruere, etiam in terris tanquam Sancti honorentur; praesertim hisce temporibus quibus opus est fortitudine et constantia in fide Christi tuenda et conservanda.

Dignetur igitur Sanctitas Tua nomina Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum B. Francisci, et Pauli Miki cum aliis duobus e Societate Jesu, Martyrum Japonensium, in album Sanctorum referre.

Franciscus Amherst Ep. Northantonien.

Beatissime Pater

In causa Canonizationis Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci, et Pauli Miki, aliisque duobus e Societate Jesu, Martyrum Japonensium affirmative sentit et pronuntiat.

Romae die 22 Maji 1862.

Andreas Ep. Giennen.

BEATISSIME PATER

Ex Compendio historiae martyrii et miraculorum nec non actorum in causa Canonizationis sex et viginti Martyrum Japonensium id evidenter colligitur, nempe: ipsos dignissimos fore Sanctorum honoribus. Igitur B. T. suppliciter atque enixe deprecor ut eosdem beatos Martyres quantocyus in Sanctorum albo solemniter collocare digneris.

Romae in Palatio Apostolico Vaticano die 22 Maji anni 1862.

MICHAEL PAYA' Y RICO. EP. CONCHEN. IN HISPANIA.

Սրբազան Հայր

Հերոսեան դիւցազունք քսան և վեց նահատակք, ամենայն մասամբք առաքինութեանց լուսով ճոխացեալ էին, վասն որոյ իրաւամբք Սրբութիւն Ձեր զհանդէս մեծահռչակ սրբացուցման նոցուն որոշեալ վճռեաց. և քանզի ընկճեալք ընդ ձեռամբք անգութ անհաւատից հեղլին անմախանձ զարիւն իւրեանց, և գերազանց փայլեցուցին զեկեղեցի Աստուծոյ բազմատեսակ սքանչելեացն հանդիսիւ, վասն այսորիկ չէ մարթ ումեք զլանալ նոցուն զպաշտօն Սրբոց, և զդասակարգութիւն նոցին 'ի Թիւս գերահրաշ մարտիրոսաց:

✠ Անտոն Վարդապետ Հալաճեան
Եպիսկոպոս Արդվինոյ:

Ejusdem versio.

BEATISSIME PATER

Heroes Beati sex et viginti Martyres Japonenses adeo omnium excelluerunt splendore virtutum, ut merito Sanctitas Vestra solemnis Canonizationis eis honores decreverit. At

cum per scelestorum infidelium saevitiem, sanguinem suum liberaliter effuderint, et tantis praeclaris miraculis Ecclesiam Dei illustraverint, Sanctorum illos cultum promereri et gloriosis Martyrum fastis adscribi posse inficiari nemo unquam poterit.

D. Antonius Halagi Ep. Arturien.

Beatissime Pater

Perlectis atque perpensis omnibus quae gesta sunt in causa Canonizationis B. Petri Baptistae et viginti quinque sociorum ejus Martyrum Japonensium, qui pro fide Christi trucidati sunt, prout constat ex compendio historiae martyrii et miraculorum a Secret. Sac. Rituum Congregationis mihi exhibito, suffragium meum fero pro eorumdem BB. Martyrum Canonizatione.

Romae die 22 Maji ann. 1862.

Josephus Ep. Santanderien.

Beatissime Pater

Fr. Petrus Baptista ex Ordine Minorum Observantium S. Francisci, ejusque socii praestantissimi viri, qui die 5 Februarii an. 1597 vitam pro Christo Nangasaqui in Japonia invicto animi robore dederunt, ingenti dilatandae fidei ardore, ac maxima erga proximorum infidelium salutem caritate flagrarunt.

Quorum sacrificium quam acceptissimum Deo fuerit, mirabilia, ac plura signa praeter ordinem totius naturae creatae evidentissime demonstrarunt.

Et quoniam ex actis constat, odium fidei ex parte tyranni, qui fortissimos Christi athletas immanissimo crucis supplicio affecit, unicam fuisse causam martyrii, juxta illud « *Martyres non facit poena sed causa* »; ego infrascriptus Ecclesiae Pactensis pro Tua benignitate ac Dei misericordia Episcopus humillimum fero votum, ut, si Sanctitati Tuae placuerit, ad istorum famulorum Dei solemnem Canonizationem in forma Ecclesiae consueta procedatur.

Datum Romae in aula Consistorii die 22 Maji 1862.

✠ Michael-Angelus Celesia O. S. B. Ep. Pacten.

Beatissime Pater

Joannis Apostoli sententia est, caritatem sufficere, ut regnum Dei consequi possimus. Quae autem major caritas, testante Christo Domino, cum animam suam ponit quis pro amicis suis? Hoc verbo docuerunt isti sex et viginti Christi Martyres Japonenses, hoc docuerunt exemplo. Acta enim testantur luculentissime, ipsos, dum fidem in Japonia disseminarent, in odium fidei fuisse crudelissime tractatos, ac demum cruci affixos, et gladiis confossos Martyres Christi occubuisse.

Miracula insuper, et signa quae in eorum morte obvenere, vel quae postea subsequuta sunt ostendunt, eos vere caritatis impulsu dedisse animas suas pro fide, pro amicis suis.

Proinde pretiosus istorum sanguis clamat ad Te, Beatissime Pater, ut vindex sis non illatae necis, sed vindex gloriae, quam fortiter pro Christi nomine dimicantes promeruere. Exaudi ergo hujus sanguinis tacitam vocem per eorum vulnera ad Te clamantem, et solemni ritu SS. Martyrum albo alios hos fidei testes ut adscribere digneris humillime rogo; ut hoc exemplo fideles praesertim Japo-

nenses roborentur in fide, a fide deficientes ad sinum Ecclesiae Matris revertantur, et omnes addiscant numquam dignius mori posse sacerdotem Christi, quam cum indigne pro fidei causa occiditur.

✠ Joannes Ep. Cerviae.

Beatissime Pater

Vita, virtutibus et miraculis Beatorum Petri Baptistae cum aliis viginti duobus sociis Ordinis S. Francisci, una cum B. Paulo Miki et aliis duobus e Societate Jesu, qui omnes, die quinta Februarii anni millesimi quingentesimi nonagesimi septimi, in Japonia, crucis subeuntes tormentum pro Christo, passi sunt, ea qua potui diligentia mature perpensis, censeo posse tuto deveniri ad solemnem eorum Canonizationem. Superest itaque ut Sanctitas Vestra eos Sanctorum fastis adscribat, ad Divini nominis gloriam, ad exaltationem Fidei Catholicae, ad Christianae Religionis augmentum et Sedis Apostolicae patrocinium.

Petrus Mac-Intyre Ep. Carolinopolitan.

Beatissime Pater

Examine adhibito de historia martyrii et miraculis necnon actis in causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium, cum omnia quae a Sancta Romana Ecclesia pro Sanctorum Canonizatione requiruntur in causa praedictorum Beatorum Martyrum a Sancta Romana Sede facta et probata sint, proinde Beatos sex et viginti

Martyres Japonenses in album Sanctorum cooptandos esse mihi quammaxime videtur, et humiliter a Sanctitate Tua peto.

Datum Romae die 22 Maji anno 1862.

✠ Michael Domenec Ep. Pittsburgen.

Beatissime Pater

Ecclesia Christi, quam persecutionum procella jactare non desinit, jugibus tamen coelestibus praesidiis in altum in dies extollitur: et ut id impraesentiarum magis eluceat, humiliter Beatitudinem Tuam rogo, ut novos illi intercessores constituas, in solemni Canonizatione Beati Petri Baptistae cum viginti duobus sociis ex Ordine Minorum Sancti Francisci et Beati Pauli Miki cum duobus sociis e Societate Jesu, quos fortes usque ad mortem pro fide Christi perstitisse ex luculentis monumentis a S. Sede approbatis certissime liquet.

Romae die 22 Maji 1862.

Georgius Ep. Cidonien.

Sicuti socii passionum estis, et resurrectionis eritis: si tolerabitis, et conregnabitis : si certaveritis, et coronam accipietis: ex gentium Apostolo: sed tum Beatus Petrus Baptista cum aliis viginti duobus sociis ex Ordine Minorum Sancti Francisci, tum Beatus Paulus Miki cum aliis duobus sociis e Societate Jesu in Japonia anno 1597 praelium Christi certantes, armis ardentis Fidei, Spei, et Caritatis armati, tormentum crucis invicta patientia subierunt; qui non cesserunt suppliciis, sed ipsis potius supplicia cesserunt; tolerantes cum gaudio usque ad consu-

mationem propter Christum, debent, inquit Divus Ambrosius, et gloriam habere cum Christo: quorum sacrificium ita Deo placuit, ut statim per miracula eorum sanctitatem comprobare voluerit.

Proinde, Beatissime Pater, Tui enim solius est sententiam dicere, Te humiliter rogo, ut in Sanctorum album eos formaliter numerare digneris.

Fr. Darius Bucciarelli Ep. Pulaten.

Beatissime Pater

Enixe rogo ut Sanctitas Tua velit Sanctorum gloriam ubique terrarum diffundere adnumerando inter Martyres B. Petrum Baptistam Ordinis S. Francisci et B. Paulum Miki e Societate Jesu ut eos una cum sociis omnes colant et honorent.

Robertus Cornthwaite Ep. Beverlacen.

Beatissime Pater

Miro divinae bonitatis consilio factum arbitror ut Sancta Mater Ecclesia quovis aevo et lilia pacis haberet atque martyrii rosas. Liceat vero mihi dissiti gregis expromere vota ut Dominicus ager viginti et sex praeclarissimorum Martyrum foecundatus sanguine, tandem, Te Pastore, Te Duce, ubere spirituali messe laetetur et floreat.

Romae die 22 Maji 1862.

✠ E. J. Ep. Regiopolitan.

Quum christiana sanctitas ita Fide, Spe, et Caritate absolvatur, ut ubi virtutes hae magnae sunt, ibi et magna sit sanctitas, non est mirum, quod vel sola mors pro fide tuenda, atque in spe vitae aeternae, et ex caritate erga Deum tolerata satis sit ad heroicam Sanctitatem et comparandam, et demonstrandam. Jam vero de agone hujusmodi a sex et viginti Beatis Martyribus Japoniae feliciter consummato evidentissime constat ex luculento hujus Apostolicae Sedis judicio. Id unum ergo remanet, ut ad accendendos fidelium animos, difficillimis praesertim hisce temporibus, quibus multorum fides, spes, caritas refriguit, Beatitudo Vestra accensere inter Sanctos Martyres dignetur milites illos fortissimos, qui ab universo grege et intercessores habeantur et exemplaria.

JOSEPH ARCHIEP. ELECTUS NICEN.

BEATISSIME PATER

Ex Compendio historiae martyrii et miraculorum nec non actorum in causa Canonizationis Beatorum sex et viginti Martyrum Japonensium perfecte instructus, judico hos celeberrimos Martyres Canonizatione dignos et emeritos atque istam Canonizationem ad totius orbis catholici aedificationem perficiendam esse.

Romae die 22 Maji 1862.

LAURENTIUS STUDACH VIC. AP. SVECIAE ET NORVEGIAE.

Sacrorum Rituum Congregationis a Secretis folia quibus erant Sententiae Dominorum Cardinalium inscriptae de eorum colligebat manibus; idque pariter quoad Antistites praestabant Caeremoniarum Magistri.

Omnium sententiis auditis Beatissimus Pater haec addidit verba.

VENERABILES FRATRES

Summo quidem gaudio afficimur, cum vestra suffragia unanimiter in eum conveniant sensum, qui Noster est, scilicet horum viginti sex Beatorum Canonizationem in magnam omnipotentis Dei gloriam ejusque sanctae Ecclesiae decus et praesidium esse cessuram. Brevi autem indicemus diem, quo illam sollemni ritu celebraturi sumus, postquam in futuro Consistorio vestras excepcrimus sententias de alio Beato Sanctorum ordini adscribendo. Interim vero pergamus orationibus, jejuniis aliisque piis operibus Deum humiliter exorare, ut in tanti momenti negotio dignetur ostendere quod et quale sit Divinae suae Sapientiae beneplacitum.

Cum Sanctitas Sua finem dicendi fecisset, Cardinalibus sedentibus, stantibus vero Episcopis, ceteris genibus submissis, D. Petrus Benvenuti Procurator Fisci Camerae Apostolicae his verbis Protonotarios Apostolicos in infimo Solii gradu genibus provolutos alloquutus est.

Ego Petrus Benvenuti Sanctissimi Domini Nostri et Camerae Apostolicae Procurator Generalis rogo vos omnes Protonotarios et Notarios Apostolicos hic praesentes, ut de sententiis, Consilio, et unanimi consensu Reverendissimorum Dominorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, nec non Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione ac deliberatione praehabitis super solemni Canonizatione viginti sex Beatorum

Martyrum Japonensium unum vel plura, publicum seu publica conficiatis instrumentum vel instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Hisce adhaerens verbis R. P. D. Andreas Maria Frattini Decanus Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium sui Conlegii nomine respondit *Conficiemus*; dein eos, qui prope Sedem Pontificis reperiebantur hujus rei testes sic appellavit *Vobis testibus.*

Inde Summus Pontifex Patribus verba fecit ex tempore dolens quod dum ipsi essent ad tam praeclarum opus perficiendum in Domino congregati, alter eorum frater nempe Michael Caputo Episcopus Arianensis civilibus perturbationibus favens nequam contra Ecclesiae justitiaeque jura dabat operam; Deumque enixe rogabat ut Episcopo huic ad tam grave scandalum reparandum suam elargiri dignaretur misericordiam. Haec autem eo animi sensu protulit verba, ut ab omnium audientium oculis lacrymas excuteret.

Atque ita Consistorium dimissum est. Et statim Protonotarii Consistorialem Actionem tabulis consignarunt.

Alter Dominis Cardinalibus et Episcopis omnibus indictus est Consistorialis Conventus in diem IX kalendas Junii pro judicanda Beati Michaelis De Sanctis in Sanctorum numerum adscriptione. En indictionis verba:

Intimatio per Cursores facienda, domi quoque dimisso exemplari.

Sabbato die 24 Maji in consueta aula Palatii Apostolici Vaticani, alterum consistorium semipublicum habebitur hora *nona cum dimidio ante meridiem.* In eo servata methodo juxta instructionem jam distributam, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX tam Eminentissimorum Cardinalium, quam Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum suffragia excipiet pro futura Canonizatione Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum.

Intimentur idcirco omnes, et singuli Emi et Rmi DD. Cardinales, nec non Rmi DD. Patriarchae, Archiepi-

scopi, et Episcopi in Urbe praesentes, ac DD. Protonotarii Apostolici, duo antiquiores Rotae Auditores, Sacrorum Rituum Congregationis Secretarius, Promotor Fidei, et Procurator Fiscalis Camerae Apostolicae, ut omnes Cappis induti, enunciato consistorio hora praedicta intersint.

De Mandato SSmi DD. N. PAPÆ

Aloisius Ferrari Proton. Apost. Caerem. Praefectus.

Distributa similiter fuit quemadmodum pro primo Consistorio semipublico sequens Methodus:

In semipublicis consistoriis de causis Beatorum, qui in Sanctorum Album cooptandi proponuntur, disseretur: nempe de B. Petro Baptista cum aliis viginti duobus sociis Ordinis Minorum S. Francisci una cum B. Paulo Miki et aliis duobus e Societate Jesu, qui omnes die 5 Februarii anni 1597 in Japonia Crucis subeuntes tormentum pro Christo passi sunt; atque de B. Michaele De Sanctis Sacerdote professo Ordinis reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum.

Opportune tam Emi et Rmi DD. Cardinales, quam Rmi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi suffragium laturi, de causa, quae in unoquoque ex memoratis consistoriis proponetur, particularibus schedulis per cursores transmittendis, certiores fient.

Eminentissimi Domini Cardinales cappis violaceis induti erunt.

Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi omnes in Urbe praesentes, nec non DD. Protonotarii, duo antiquiores Rotae Auditores, et Camerae Apostolicae Procurator Fiscalis eas respective deferent cappas, quibus in Pontificio sacello uti solent.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX brevi allocutione initium dabit actioni, Fratrum suffragia exquirens.

Eminentissimi Cardinales, ac Reverendissimi Patriarchae, Archiepiscopi, et Episcopi, suo proprio servato ordine dignitatis, et promotionis brevissima oratione suum sensum aperient.

DD. Cardinales dum sententiam prodere incipient, singillatim nudato capite assurgent, eamque, capite tecto, prosequentur sedentes.

Superius recensiti Praesules, ferentibus suffragia Eminentissimis Patribus, sedebunt capite operto, stabunt vero cum Summus Pontifex verba faciet.

Post Eños Patres primus Patriarcha sententiam dicturus, capite detecto assurget, stans exponet, ceteris Antistitibus interim sedentibus, atque ita deinde singuli.

Mox Procurator Fiscalis Camerae consueta forma adstantes DD. Protonotarios rogabit, ut publicum actorum documentum conficiant.

Tunc eorumdem decanus sui Collegii nomine respondebit « *Conficiemus* » et ad Pontificis familiares conversus, qui stant circa solium, eosdem in testes appellans, dicet « *Vobis Testibus* » sicque consistorium absolvetur.

Aloisius Ferrari Proton. Apost. Caerem. Praefectus.

MONITA

I. *Omnes Eminentissimi Cardinales, et Reverendissimi suffragatores, propriam quisque sententiam scriptam, atque subscriptam tradere debet in unoquoque ex futuris semipublicis consistoriis eadem in aula consistoriali habendis R. P. D. Secretario Congregationis Sac. Rituum, vel ejus loco uni ex apostolicarum caeremoniarum magistris.*

II. *Absentes vero ab hujusmodi semipublicis consistoriis, et in Urbe praesentes tam Eminentissimi Cardinales, quam Reverendissimi Episcopi suffragium unus-*

quisque suum transmittet enunciato S. Rituum Congreg. Secretario.

III. *Antistites, quibus cappae praesto non sint, ex benignitate* Sanctitatis Suae *ad praefata consistoria accedere poterunt induti mantelletto supra rocchettum, quo tamen in casu quisque per se videt sedendum ipsis esse post Episcopos, qui cappas deferunt, servato semper inter eos ordine dignitatis et promotionis.*

Eodem in loco iisdemque caeremoniis Consistorium istud habitum est, adaucto tamen Antistitum numero, cum plures ex illis interim Romam advenissent. Summus Pontifex aulam ingressus, et solio insidens sic Patres alloquutus est:

VENERABILES FRATRES

Cum eximias Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis Sanctissimae Trinitatis Fratrum Discalceatorum captivis redimendis virtutes, merita ac prodigia divinitus patrata animo sedulo reputemus, Venerabiles Fratres, in ipso ea omnia esse arbitramur, quae requiruntur, ut eorum numero possit adscribi, quos Sanctorum nomine et cultu, Sancta veneratur Ecclesia. Atque id ipsum Vobis visum esse censemus, cum orationem de eodem Beato in sacro consessu habitam audiveritis, et vitae compendium legeritis, quod Vobis tradendum curavimus.

Etenim ipse animam porro sortitus bonam vel a teneris annis singulari vitae integritate, religionis, pietatis, humilitatis, castitatis studio et patiendi amore, omniumque virtutum laude eni-

tuit. Ac terrestria plane despiciens, et unice spectans coelestia, relictis omnibus, ut proxime sequeretur Christum ingressus Ordinem Sanctissimae Trinitatis redimendis captivis, ibi solemnia vota nuncupavit, maximisque refulsit virtutibus. Nunquam enim destitit solidissimam praesertim exercere humilitatem et mortificationem Christi Jesu in suo corpore circumferre, et adversa quaeque singulari patientia ac fortitudine libentissime perpeti. Egregia vera in proximum dilectione animatus numquam intermisit aegrotantibus, et calamitosis omni ope occurrere, et captivorum redemptioni strenuam operam navare, et errantes ad virtutis semitas revocare, ac sempiternam hominum salutem modis omnibus studiosissime curare, ac pia quaeque opera indesinenter obire, ceterisque omnibus christianis virtutibus fulgere. Tanto vero in Deum amore exarsit, tantaque erga Christi passionem, et augustum Eucharistiae Sacramentum, atque Immaculatam Sanctissimamque Dei Genitricem Virginem Mariam caritate flagravit, ut in divinarum rerum commentatione semper defixus meruerit a Domino uberrima coelestium omnium charismatum copia mirandum in modum cumulari. Verum cum de gravissimo sane negotio agatur, in quo maxime laborandum est, nequid vel minimum studiosissimae curae a Nobis neglectum esse videatur, vestrum consilium exquiri-

mus, vestrasque de Beato Michaele De Sanctis in Sanctorum numerum referendo sententias postulamus.

Domini Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi suam juxta sessionis dignitatem pandidere sententiam.

Beatissime Pater

Gloriemur in Domino, B. P., quod Sponsa Ejus, et nostra Mater Ecclesia sedens in vestitu deaurato, mirabili circumdata varietate novis in dies charismatibus exornata refulgeat!

Beatus Michael De Sanctis, de cujus Canonizatione agitur, ab ineunte aetate morum candore, vitaeque excelluit innocentia: quinquennis vix adhuc jam castitatis florem Immaculatae Virgini sacravit. Vere diceres praeventum in benedictionibus dulcedinis! Ordini a Sanctissima Trinitate nomen, cor totumque se dedit: atque ita divino igne succensus in dies magis exarsit, ut spectaculum omnino evaserit mundo, Angelis, et hominibus. Ast ostensus potius, quam datus exultavit ut gigas ad currendam viam! Oh! felix Hispania! Vere Catholica Regio, tot, tantorumque Sanctorum foecunda Parens! Beatissime Pater, paratus cum fueris, uti confidimus, Martyrum Japonensium purpureos de passione celebrare triumphos, adde gaudia gaudiis oro, obtestorque, solemniter elargiendo una simul Beato Michaeli tam lucido Christi Confessori candidam de praeclaris virtutibus, ac de virginitate Coronam.

MARIUS Episcopus Ostien. et Velit. Card. MATTEI.

BEATISSIME PATER

Praeventus a Deo in benedictionibus dulcedinis Beatus Michael de Sanctis, ac sortitus animam bonam, licet puerulus, nil tamen puerile gessit in opere, quinimo ascensiones in corde suo jugiter disponens ivit de virtute in virtutem, donec meritis potius, quam annis plenus placidissime in osculo Domini obdormivit. Servi sui sanctitatem illustravit Omnipotens cumulatissimis donis in vita, ac sepulchrum ejus signis, atque portentis gloriosum reddidit post mortem. Nil aliud igitur nunc restat, Beatissime Pater, nisi judicio Tuo gravissimo, ac maximo, quod est afflatus Spiritus Sancti, coelitum honores B. Michaeli decernere velis, ut ipse tali auctus gloria preces ingeminet ante thronum Dei pro Ecclesia, et universo populo Christiano, veramque illam pacem impetret, quam Deus tantum dare credimus et ab ipso firmiter expectamus.

C. EP. PORTUEN. ET S. RUFINAE CARD. PATRIZI.

BEATISSIME PATER

Cum omnia, quae pro Beati Michaelis De Sanctis Canonizatione, ad Sacrorum Canonum praescriptum, postulabantur, accuratissime expleta fuerint, Eumdem in Sanctorum Album cooptandum haud minime dubito; idque nostris hisce diebus compleri peropportunum existimo. Singularis enim Ejus morum innocentia, admirabilis caritas, aliaeque, quibus effulsit, virtutes, vere propterea spectaculum factus mundo, et Angelis, et hominibus, praeclarum fidelibus praestant exemplar. Novum inde, Beatissime Pater, Ecclesiae decus et splendor, novus in coelis Patronus et Intercessor, nova Tui gloria Principatus.

Datum Romae die 24 Maji 1862.

A. CARD. AMAT EP. PRAENEST. S. R. E. VICE-CANC.

Non equidem invenio, Beatissime Pater, quid in Beato nostro Michaele praedicare plus debeam; an scilicet morum innocentiam atque pudorem; an jugem poenitentiam; an ardentissimum in Deum amorem; an studium se conformandi exemplari suo dilectissimo Christo, qui fons et origo est omnis sanctitatis. *Sed expectanda non sunt*, ait Cyprianus, *testimonia humana, cum praecedunt divina suffragia.* Jesus enim ipse praeclarissimo prodigio, divini sui cordis mysticam commutationem cum corde illius inire dignatus est. Tam pulchram profecto, atque jucundam in omnium virtutum cultu in suo pectore Ei paraverat mansionem!

Quae cum rite evidenterque probata sint, humillime pro debita illius Canonizatione sententiam fero.

ANT. M. Card. CAGIANO DE AZEVEDO Ep. Tuscul.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis a teneris unguiculis usque ad diem extremum integer vitae scelerisque purus totum se Christo sine fraude mancipavit: plurima eaque luculentissima tum pietatis erga Deum tum in proximum caritatis testimonia dedit: Deiparam Virginem impenso studio coluit: atque omnia quae a se suscepti erant instituti nitide obivit. Quam vero sanctitatis opinionem sibi dum viveret conciliavit, eamdem ab obitu divina signa lucidissime obfirmarunt.

Hinc ea omnia adesse censeo quae de more requiruntur, ut coelestes honores huic angelico viro (quem alterum Aloisium Gonzaga appellare fas est) decernantur, et tot tantisque christianis virtutibus, quibus mirum in modum enituit, debita praemia persolvantur.

Itaque immortalem coronam meritis quaesitam in capite hujus Dei famuli pone, Beatissime Pater, novaque fulgida stella coelestem Jerusalem illustra atque exorna.

Dabam Romae die 24 Maji anno MDCCCLXII.

HIERONYMUS Ep. Sabinen. S. R. E. Card. DE ANDREA.

Beatissime Pater

In pertractatione Causae Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis omnia diligenter, et regulariter, juxta sapientissimas Apostolicae Sedis praescriptiones, peracta fuerunt. Nulla proinde remanet difficultas quin ea omnia confirmentur supremo Sanctitatis Tuae judicio, quo infallibiliter declaretur illum vere Sanctorum gloriam fuisse adeptum Sanctorumque honores illi a Christifidelibus tribui debeant. Quare humillima vota mea suffragiis totius Catholici Episcopatus libentissime adjungo, Sanctitatem Tuam devotissime exorans, ut quantocyus adimplere velit.

L. Card. DE ALTERIIS Ep. Albanen.

Beatum Michaelem De Sanctis praeclarissimum Christi Athletam, singulari Dei privilegio in sortem Domini a tenera aetate adlectum fuisse, non obscura adsunt testimonia, ex quibus eruitur, quot in nova Religiosae vitae palaestra fecerit incrementa virtutis, quotque maturae sanctitatis exempla ceteris reliquerit imitanda. Ipse etenim, hominibus senescente mundo in pejora ruentibus, aemulatus charismata meliora, ore simul, et opere docuit quanta erga Deum caritate flagraret, quanta dilectione in proximum, quanto etiam contra vitia implacabili odio afficeretur.

Cum itaque Beatus Michael virtutum omnium praestantia emicuerit, cumque signa non desint, et miracula, quibus, vel ipso vivente, vel ejus post obitum misericors Dominus illius sanctimoniam plenissime comprobavit, hinc merito ille dignus habetur, qui in Sanctorum numerum a Sanctitate Vestra referatur.

B. Card. BARBERINUS.

Beatissime Pater

B. Michael De Sanctis anno 1591 natus, integer vitae scelerisque a nativitate purus, majoris sanctitatis gradus in eremo quaesivit; in paternam domum a patre reductus, omni tormentorum genere se crucians puritatem servavit, ac ut de ea tutior esset, Ordini Excalceatorum SS̃mae Trinitatis nomen dedit.

Incredibile est quanta in eo fecerit incrementa virtutum in Dei dilectione, ac in proximos sollicitudine.

In philosophicis interim ac theologicis disciplinis instructus in mysteriorum contemplatione magisque excitatus, rapiebatur sensibus, et in captivorum redemptione juxta Ordinis institutum, ac peccatorum conversione ejus augebatur caritas, non sine heroica patientia et resignatione in adversis.

Mortuus anno 1625 miraculis clarus; ejus Beatificatio a Pio Sexto celebrata fuit anno 1779. Anno 1841 a Gregorio Decimosexto statuta ejus Canonizatio; eaque, quam toto animo adprobo, reservata est Summo Pontifici Pio Nono, ut Patri Nostro sit levamen et gaudium.

A. Card. Tosti.

BEATISSIME PATER

Beatus Michael De Sanctis vitam duxit purissimam, piissimam, vere angelicam; insuper tam praeclara patravit miracula, ut dubitare non liceat quin Dei voluntas sit ut dilecto servo suo Sanctorum honores ab Ecclesia exhibeantur.

Cum igitur per legitimas informationes, certissime constet de sanctitate vitae et miraculorum veritate, censeo ad solemnem Canonizationem tuto procedi posse.

Equidem tanti herois exaltatione maximus statui sacerdotali et religiosae vitae accedet honor, cunctisque sacerdotibus et religiosis viris efficacissimum sanctificationis adjumentum procurabitur. Quare Sanctitatem Vestram enixe rogo et obsecro ut ad solemnem Canonizationem procedere dignetur.

Romae 24 Maji 1862.

ENGELBERTUS CARD. STERCKX.

Ea vivimus aetate, Beatissime Pater, qua hominum plerique dum civilem progressum promovere fingunt, a Deo omnis felicitatis fonte quam longissime abscedunt, et cum terrena sapiunt coelestium bonorum obliviscuntur. Ad haec coelestia bona acquirenda continuo in virtutibus adipiscendis progressu B. Michael De Sanctis universam vitae suae rationem instituit. Et tanto quidem studio, atque labore superna quaesivit ut divino amore mirabiliter exaestuans non tam corde fixus in coelo esset, sed et corpore quoque praeclaris charismatibus repletus saepissime ad coelum elevaretur.

Cum itaque omnia rite expleta fuerint quae requiruntur ad Sanctorum Confessorum honores in Ecclesia ei

tribuendos, humillime rogo Sanctitatem Tuam ut B. Michaelem Sanctorum fastis quamprimum adscribere digneris.

F. CARD. ASQUINIUS.

Cum omnia, Pater Sanctissime, praestita rite fuerint, quae ad heroicas virtutes, et miracula Michaelis De Sanctis Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis Captivorum probanda requirebantur, aequum est ut in Sanctorum numerum solemnibus caeremoniis referatur. Hac enim ratione cultus Deo accrescit, fides reviviscit, amor erga Ecclesiam sanctitatis altricem, et parentem excitatur, fideles ad imitanda virtutum exempla inflammantur.

NICOLAUS TIT. S. PETRI AD VINC. S.R.E. PR. CARD. PARACCIANI-CLARELLI.

Virtutes et gesta Beati Michaelis De Sanctis, cujus hodierna die Canonizationis causa proponitur, sublime perhibent perfectionis exemplar et prorsus admirabile. Talis enim vitae innocentia et castimonia, quam non modo cujuslibet vel levissimae labis expertem, sed neque carnis illecebris aut periculosa unquam cogitatione turbatam conspicimus; ea procul dubio et eminentis indicium est sanctitatis, et perinsigne divinae gratiae donum recensenda. Asperrimam, qua se cruciabat, poenitentiam; perfectam suae voluntatis abnegationem, rerumque omnium contemptum; invictum animi zelum, quo in Dei gloriam proximorumque salutem procurandam studiosus incubuit, silentio transgrediar: cum absque ulla errandi formidine dici possit, cunctas vel maxime arduas virtutes pretiosam super caput ejus posuisse coronam. Quod vero electus iste Dei famulus ex spinarum lectulo illaesus evaserit; quod

in Jesu Christi dolorum meditatione aut in Missae celebratione frequentes sit passus extases; quod futura et occulta praedixerit, quod sanitatem aegris restituerit, summumque in daemones exercuerit imperium; quod demum in mystica sui cum Sacratissimi Cordis Jesu commutatione, divinae absumptus caritatis incendio, angelicam efflaverit animam; hoc et ipsius ineffabilis perfectionis, et specialissimae dilectionis, qua Deus illum complecti dignatus est, solemne atque indubium exhibet argumentum. Quibus et miraculorum testimonio, quae post ejus obitum patrata sunt, et Summorum Pontificum Benedicti Decimiquarti ac Pii Sexti Auctoritate confirmatis, Gregorii Decimisexti decreto ad Beatorum Christi Confessorum honores evectus fuit.

Nunc vero, Beatissime Pater, quod dilecti Servi sui gloriam novis riteque probatis prodigiis Deus illustratam voluit, pro ejus Canonizatione meum libenter praebeo suffragium, dignumque fateor, qui Apostolicae Sedis oraculo Sanctorum numero adscriptus, universalis Ecclesiae venerationi et cultui proponatur.

D. Card. CARAFA Arch. Beneventan.

Beatissime Pater

Cum Beatus Michael De Sanctis per omnigenam vitae sanctimoniam scientiam Sanctorum fuerit assecutus, atque hanc cum eximiis omnibus virtutibus adeo conjunxerit ut per plura signa in terris luculentissime patefecerit Deus Illum jamdudum corona justitiae et gloriae esse redimitum in coelis, hinc nullatenus dubito quin in Sanctorum agmine adnumerari mereatur; maxime ut novum et potens fidelibus proponatur imitandum atque invocandum virtutum exemplar.

XYXTUS Card. RIARIO SFORZA Archiep. Neapol.

Beati Michaelis De Sanctis Ordinis SS̃mae Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis Captivorum eximiae et omnigenae comprobandae virtuti non defuere temporis, juxta Ecclesiae regulas, testium, portentorum probationes. Bene ergo a Te, Beatissime Pater, decretum est tuto procedi posse ad ejus Canonizationem.

Diem ergo nunc statuas, quo universus Orbis una simul agrum Ecclesiae Tibi commissae fertilem cernat, et purpureis odoratis rosis, et candore lilii convallis. Etsi enim diversi, unius tamen agri flores erunt.

CAMILLUS Tit. S. Joan. ante Port. Latin. Card. DI PIETRO.

Omnibus manifestentur oportet illorum virtutes, qui eas mirandum in modum exercuerunt. Atque id hac nostra potissimum aetate, qua omnis veritatis atque justitiae subversis principiis, ad vitium erroremque extollendum improbitas nititur. Beatus Michael De Sanctis heroicis plane virtutibus ita refulsit, ut eum in terris adhuc degentem coelestium charismatum copia Deus mirifice illustraverit. Ut igitur huic Beato altarium honores decernere velis, Te Beatissime Pater, oro et obtestor. Utinam quem gloria cumulatum aspicimus, ejusdem actiones imitemur!

CAROLUS AUG. Tit. S. Caeciliae Pr. Card. REISACH.

Beatissime Pater

Hac die, quam fecit Dominus, erit exultatio magna, sanctaque laetitia quae a primis Pastoribus Romae congregatis ad omnes Ecclesiae filios per orbem dispersos permeabit, si ad Sanctorum honores extollatur Beatus Michael

De Sanctis, tot gratiae donis praeventus, tam admirabili ac perseveranti innocentia conspicuus, adeo patentibus ac indubiis miraculis clarus.

Nihil in tota illius vita reperiens quod tantisper ejus sanctitatem obnubilare queat, ne minima quidem haesitatio mihi remanet quin Sanctus pronuntiari, ac ut talis ab omnibus possit in Ecclesia coli, si tamen infallibilis accedat Sanctitatis Tuae sententia.

Dabam Romae, mediante mense Majo, anno 1862.

✠ CLEM. CARD. VILLECOURT.

Caritas Dei, Beatissime Pater, divitias suas in B. Michaele De Sanctis ita effudisse visa est, ut, divino igne succensus, factus fuerit spectaculum mundo, et Angelis, et hominibus: mundo cujus illecebras et insanias falsas despexit; Angelis quos, licet natura inferior virginitate assecutus est, nulla re ab illis secretus nisi quod mortali natura constaret, et felicitate quidem sed non virtute, ut verbis utar Chrysostomi atque Bernardi; hominibus quos omnia omnibus factus nullo non tempore Christo lucrifacere sategit promptus et animam pro fratribus ponere. Beatum itaque Michaelem tot virtutibus in exemplum illustrem qui, dum viveret, semper in caritate mansit, quemque post mortem indubiis illustravit miraculis Deus qui facit mirabilia solus; Tuum est, SS̃me Pater, solemnius definire eum in Deo manere et Deum in eo, ut discamus eum regnare in coelis, quem in terris imitari alacrius, et ferventius venerari possimus: Tuum, SS̃me Pater, cui certamen forte datum et praeliari praelia Domini universa miratur Ecclesia orationem sine intermissione levans ad Deum pro Te: Tuum est divinae famulans Providentiae attingenti a fine usque ad finem fortiter, et disponenti omnia suaviter, tristis-

simis hisce temporibus, quibus odium Crucis Jesu Christi, egoismus impendens, effraenis terrenarum rerum cupiditas, et impetens coelestium nausea, per sex et viginti Martyrum Japonensium canonizationem omnibus cum libertate fidei et confessionis in lumine evangelicae praedicationis revelare, in cruce tantummodo D. N. J. C. gloriari nos oportere, in qua est salus, vita et resurrectio nostra, et per B. Michaelis Confessoris glorificationem homines edocere vere Dei proximique caritate tantum legem universam impleri, cum plenitudo legis sit dilectio. Haec SS̃me Pater humillima mea sententia est, quam tamen infallibili judicio Tuo libentissime submitto.

ALEX. Tit. S. Susannae Pr. Card. BARNABO'.

Beatissime Pater

Consummatus in brevi explevit tempora multa B. Michael De Sanctis, qui, sicut legitima monumenta testantur, sui Ordinis Fundatoris vestigiis insistens eximiam in Deum dilectionem impensae erga proximum sollicitudini ita cumulavit, ut omnibus omnia factus ad pauperum inopiam sublevandam, ad infirmorum procurandam sanitatem, ad captivos redimendos ad extremum usque vitae spiritum intenderit, adlaboraverit. Ob quas ceterasque omnes, quae in ipso enitebant, virtutes Deus illum altissimae contemplationis, prophetiae dono, et miraculorum fulgore decorare dignatus est.

Quapropter, si Sanctitati Tuae placuerit, B. Michaelem Sanctorum albo recensendum esse opinor; ut Christifideles nova in ipso suspiciant exempla virtutum, et ut clementissimus Deus ejus precibus exoratus populum suum ad se

clamantem ab omni, qua premitur, adversitate sospitet atque custodiat.

Romae die 24 Maji 1862.

JOSEPH Tit. S. Mariae in Aracoeli Pr. Card. MILESI.

Summopere decet, Beatissime Pater, ut qui legitime pro Christi fide certaverint, corona signo sanctitatis et gloria honoris expressa donentur. Sane B. Michael De Sanctis omnibus omnia factus ut omnes Jesu lucrifaceret, hujusmodi certamen explevit, seque ad ultimum usque vitae exitum perfectionis sectatorem constanter exhibuit. Ipse etenim ita se penitus Deo junxit, ac proximorum aeternae procurandae saluti totis viribus intendit, ut ejus cor Divinae caritatis incendio flagraverit, ac crebris mirificisque raptus extasibus fuerit. Quae quidem charismata Deus omnipotens praeclarissimis signis atque prodigiis confirmavit quibus Servi sui sanctimonia clarior effulget.

Hinc Tuum erit, Beatissime Pater, Sanctitatis coronam honorisque gloriam Beato Michaeli solemni ritu decernere, ut inde novum Ecclesiae ornamentum, novus in coelis patronus, novum et regularis vitae sectatoribus ad imitandum perfectionis exemplar elucescat.

P. Card. DE SILVESTRI.

Beatissime Pater

Michael De Sanctis divinis charismatibus ab ipsa tenera aetate cumulatus *exultavit ut gigas ad currendam viam* sanctitatis. In arrepto itinere progrediens *ivit de virtute in virtutem*, ita ut secundum Joannis exhortationem, cum esset justus, justificaretur adhuc, cum esset sanctus,

sanctificaretur adhuc, et eo pervenerit, ut sese vere exhibuerit hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, et sciverit miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociare. Et cum Deus clarificaverit hunc fidelem servum suum tam in vita mirabilibus donis et prodigiis, quam post mortem ac etiam post ejus Beatificationem luculentissimis miraculis, non dubito, Bme Pater, quin ad ejusdem Canonizationem tuto procedi possit.

CAROLUS Tit. S. M. de Populo Pr. Card. SACCONI.

Beatissime Pater

B. Michaelis De Sanctis et heroica virtus, et miracula ejus intercessione ab omnipotenti Deo facta plene constare videntur. Quare pro ejusdem solemni Canonizatione suffragium fero, et S. V. precor ut ad eam perficiendam procedere dignetur.

Datum Romae die 24 Maji 1862.

M. Tit. S. Priscae Card. GARCIA CUESTA.

J. M. J.

Beatissime Pater

Coronam justitiae legitime certantibus, atque in finem usque perseverantibus reddendam, Beato Michaeli De Sanctis a Domino justo Judice impositam fuisse, cum heroicae ejus virtutes, tum edita post ipsius mortem miracula luculenter demonstrant. Quamobrem aequum censeo ac maxime opportunum, ut Vir ille piissimus judicio Sanctitatis Vestrae in Sanctorum numerum referatur. Consummatus enim in

brevi explevit tempora multa, et quidem in professione religiosae illius vitae, quam hodierna die inimici Dei atque hominum veluti inutilem atque a mendaci saeculi hujus sapientia abhorrentem abolere prorsus connituntur.

C. Tit. S. M. sup. Minervam Card. BEDINI Arch. Ep. Vit. et Tusc.

Beatissime Pater

Nihil me majori aut laetitia aut voluptate afficere potest, quam ut in hoc augustissimo Eminentissimorum Cardinalium Venerabiliumque Antistitum consessu meum sensum pandam circa merita Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis Professi Ordinis SS. Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis Captivorum.

Quod enim de Sancto Aloysio Gonzaga profitetur Ecclesia, scilicet, miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociasse, hoc idem, ni fallor, de B. Michaele praedicandum. Quapropter cum ex pontificiis decretis appareat constare tam de virtutibus Theologalibus et Cardinalibus earumque adnexis, in gradu heroico, quam de miraculis tertii generis ante et post ejusdem beatificationem, cumque insuper accedat aliud Sanctissimi Domini Nostri decretum quo declaratur tuto procedi posse ad Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis, libenter in eodem sensu meum suffragium profero.

Sanctitatis Vestrae

Romae die 24 Maji 1862.

Humus, devmus et obseqmus filius ac creatura
FERD. Tit. S. M. de Pace Pr. Card. DE LA PUENTE Arch. Burgen.

BEATISSIME PATER

Benedictionibus gratiae praeventus B. Michael De Sanctis vel ab ipsa ineunte aetate velut gigas visus est exultans ad currendam christianae perfectionis viam, in qua quidem tantum profecit, quantum ejus postea sanctitas declaravit. Ardentissima enim in Deum ac proximos caritate exarsit; innocentiam, quam cum poenitentia conjunxit, ad exitum usque vitae suae immaculatam servavit; humilitatem, obedientiam, paupertatem, ceterasque virtutes impensissime coluit.

Quum vero Deus servi sui sanctitatem coelestibus donis, miris praesertim extasibus, et miraculorum gloria testatam voluerit, nihil, mea quidem sententia, reliquum est, nisi ut Tu, Beatissime Pater, novum hunc Ecclesiae Patronum, et strenuum religiosae disciplinae cultorem Sanctorum albo adscribi jubeas.

A. TIT. SS. ANDREAE ET GREG. IN M. COELIO PR. CARD. QUAGLIA.

BEATISSIME PATER

Quamquam in agro dominico, quo figuratur Ecclesia, omnia sint consita florum genera et odoramenta virtutum, praestant nihilominus plantationes rosarum et lilia convallium, quibus electa membra corporis Christi mystice coronantur. Purpureas de passione coronas, veluti ex rosis contextas, in martyribus perspeximus: adest nunc Beatus Michael De Sanctis tam candida virginitatis et confessionis corona insignitus, ut sanctitatis lilium verissime diceres. Superfluum sane arbitror Beati Michaelis virtutes commemorare cum irrefragabili Ecclesiae judicio et divino miraculorum oraculo Beati nomen sacrosque honores jam ob-

tinuerit. Cum insuper ejusdem Beati glorificationem novis miraculis Deus ostendere voluerit adeo ut S. Rit. Congr. maturo, ut assolet, consilio censuerit: tuto procedi posse ad ipsius Beati Canonizationem, nihil profecto superest nisi ut Beato Michaeli Sanctorum honores decernantur.

Age, Beatissime Pater, age nunc experiantur viri religiosi, hac nostra aetate tam acriter divexati, in tribulatione solatium, habeant novum religiosae perfectionis exemplar quod secure sibi ad imitandum proponant: et haec Apostolica Sedes et res christiana universa habeat quasi alterum Angelum, qui tot illustrium Pastorum omniumque fidelium orationes, vota, lacrymas Deo continue offerat, ut tandem aliquando sanctissima Christi sponsa Ecclesia Catholica optatissimam assequatur tranquillitatem et pacem.

F. ANTONIUS M. Tit. SS. XII Ap. S.R.E. Pr. Card. PANEBIANCO.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis ea morum innocentia praeluxit a pueritia, eo sanctitatis ineunte aetate pervenit per omnes virtutes in gradu heroico, iis coruscavit prodigiis ante et post indultam venerationem, ut honores Altarium sapientissimo Sanctae hujus Apostolicae Sedis oraculo fuerit consecutus. Quare nihil aliud superest, nisi ut ad summum gloriae fastigium apud Coelites extollatur. Quod quidem ab aeterna Dei providentia in tot ac tantis Ecclesiae calamitatibus Tibi, Beatissime Pater, censeo reservatum.

ALOISIUS S. Angeli in Foro Pisc. Diac. Card. CIACCHI.

Beatissime Pater

Innocentiam vitae, caritatem erga Deum, et proximum in Beato Michaele De Sanctis, miraculis Dominum compro-

basse, luculentissime compertum est. Quid ergo superest, nisi ut in Sanctorum numerum referatur? Haec mea quidem sententia est; hoc in votis est omnium; hoc, quod Sanctitatem Vestram humiliter precor.

JOSEPH CARD. UGOLINI.

BEATISSIME PATER

Cuncta quae pro Beati Michaelis De Sanctis religiosi professi Ordinis Sanctissimae Trinitatis Discalceatorum ad redimendos captivos Canonizatione per Sacros Canones postulabantur, modo legitime absoluta scripta nuper edita a Sacra Rituum Congregatione luculentissime probant. Hujus Servi Domini constans atque arduum theologicarum et moralium virtutum exercitium, ab ipsa ineunte aetate, vitae innocentia semper servata, morum integritas, denique caritas flagrantissima in Deum et homines capiti ejus pulcherrimam aeternae gloriae coronam intexuerunt in Coelis, ita ut claruerit probatis miraculis quia meritorum excellentia fulsit. Quare opportunissimum et utile bono Ecclesiae futurum censeo, si Beatus iste qui magnas virtutes operatus est, per oraculum Sanctae Sedis Apostolicae velut novum lumen luceat in universa Ecclesia: ut magis dissipentur tenebrae quas impii et nefarii homines nostris praesertim temporibus effundere conantur. Igitur precor humillime Beatitudinem Tuam ut Sanctorum catalogo Beatum Michaelem adscribere velis, et hoc modo alterum eximium adjungere tot beneficiis per Te in Ecclesia cumulatis.

PETRUS S. NICOLAI IN C. T. S. R. E. DIAC. CARD. MARINI.

Refulgentem undique sanctitate vitam Beati Michaelis De Sanctis expendenti mihi, Beatissime Pater, tot tantaque ejus heroicae virtutis occurrunt argumenta, ut ipsum procul

ab omni dubio Sanctorum dignum honoribus justissime habeam. Praetermissis enim vel illo virgineae puritatis intemerato candore, quo Angelis aequalis apparuit, vel summa austeritate qua innocens corpus continue excruciabat, vel assidua coelestium contemplatione qua spiritum reficiebat, vel profunda humilitate, qua sui contemptum perpetuo adamavit; satis fuerit mentem convertere ad ineffabilem, prodigiosum, suavissimum illum Dei amorem, quo exarsit adeo, ut factus victima caritatis in brevi expleverit tempora multa; ex eo enim vel uno perfectissima ejus sanctitas haud obscure depromitur.

Prodigia insuper, quae viventem comitata sunt, quaeque saeculo defunctum secuta leguntur, bina illa praesertim quorum unum solemnia Beatificationis ejus illustravit, alterum nostris ipsi oculis in Urbe conspicere potuimus, totidem sunt ineluctabilia signa, totidem voces, quibus Eum nedum in altissimis Paradisi sedibus inter sanctos Confessores collocatum, in terris etiam cum sanctis Confessoribus venerandum esse ipsi Coeli apertissime demonstrarunt, atque demonstrant.

JOSEPH Card. BOFONDI.

Praeceptum, ac veluti Christianae vitae definitionem quam exhibet Apostolus dum scribit ad Colossenses mirifice in se expressit Beatus Michael De Sanctis. Hic enim non solum corpore atque externo vitae habitu omnibusque hujus saeculi rebus abdicatis, sed etiam tota mente, et tota anima nec non tota cogitandi, sentiendi, et amandi ratione, absconditus huic mundo, ac mortuus sibi, sapiebat, et vivebat tantum in Christo.

Sicut ergo Beatus ille, miraculis etiam conspicuus in Ecclesia triumphanti vivit jam in gloria cum Christo, ita

dignus mihi videtur ut per Sanctitatem Tuam consequatur etiam in terris coronam gloriae quam illi dedit justus Judex in Coelis.

Die 24 Maji 1862.

J. Card. ANTONELLI.

Ad castigandos, reformandosque mores durum iter per praecepta est, facile per exempla. Vitium, quod theoretico vocabulo egoismus dicitur, immane monstrum, et temporum nostrorum teterrima lues, nulla alia re aptius detegi, convelli, et si Deo placet, prosterni aliquando poterit, quam christianae caritatis comparatione, exercitio, et exemplo. Te itaque, Beatissime Pater, qui in christiana republica morum supremus es moderator, maxime decet, quamplurima hujus eximiae virtutis exempla fidelium admirationi, atque imitationi proponere. Cumque in vita Beati Michaelis De Sanctis, cujus gesta hodie recolimus, ejusmodi virtus, in qua summa Sanctitatis continetur, inter ceteras virtutes emicuerit, atque amplissime vindicata sit omnibus adhibitis solemniis a sacro jure praescriptis, dignum sane est, ut Canonizatione mirabilis viri decreta, atque explicata, novum heroicae caritatis exemplar Ecclesiae Christi, et novum contra egoismum anathema a Te proponatur. Quod ut fiat, humiliter efflagito.

ROBERTUS Diac. S. M. in Domnica Card. ROBERTI.

Processus de Beato Michaele De Sanctis Sacerdote professo Ordinis SS. Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis Captivorum rite peracti mihi derivationes consideranti valida occurrunt argumenta, quibus aperte

constat *de ejus virtutibus Theologalibus, et Cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico,* nec non de primo et secundo miraculo ante Servi Dei Beatificationem, atque inde de aliis duobus Miraculis tertii generis intercessore eodem Beato a Deo patratis. Hisce positis jure meritoque primum Sacrorum Rituum Congregatio in Generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX coactis, ac deinde hic idem decrevit « *stante approbatione duorum Miraculorum post indultam Venerationem tuto procedi posse ad Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis* ». Quare post publicum Sedis Apostolicae judicium eumdem solemni caeremoniarum pompa totius Militantis Ecclesiae venerationi esse proponendum, eique honores Sanctis debitos decernendos subscriptus ad majorem Dei gloriam libenter censeo.

Dabam Romae pridie idus Maji 1862.

DOMINICUS Tit. S. M. in Aquiro S.R.E. Card. Diac. SAVELLI.

Nudius tertius, Beatissime Pater, Ecclesiam militantem novis rosis in Japoniae Martyribus unanimi suffragatorum sententia decorandam laetantes conspeximus: hodie novum eidem lilium, meo submisso animi sensu, addendum arbitror.

Lilium istud est B. Michael De Sanctis, qui, veluti alter Aloisius Gonzaga post septennium redivivus, in domo Dei innocentia et sanctitate tamquam sol refulsit. Etenim Michael noster praeventus in benedictionibus dulcedinis fuit vir inventus sine macula; illam siquidem primam gratiam, quam aqua baptismatis acquisivit, tam constanter retinuit, ut in ea confirmatus crederetur. Adhuc quinquennis florem suae castitatis Immaculatae Virgini consecravit, et perpetuo illibatum servavit. Post aurum non abiit, imo

valedicens mundo et pompis ejus Ordini SSñae Trinitatis nomen dedit, ac expleto anno decimo sexto solemnia vota nuncupavit. Vitae autem innocentiam pari cum poenitentia tam mire sociavit, ut crucis mortificationem in suo corpore jugiter circumferens, omnibus exemplar perfectionis se praebuerit. Vere lilium inter spinas, et caritatis victima, cujus flamma brevi consumptus holocaustum Deo ascendit in odorem suavitatis.

Cumque ejus sanctimoniam pluribus signis Deus testatam fecerit, Te oro obtestorque, Pater Sancte, ut infallibili Tuo judicio B. Michaelem inter Sanctos solemni ritu adscribas, itaque fiet, ut miserrimo hoc tempore, in quo non aliquis serpit error, sed plurima ac teterrima fere ubique grassantur errorum monstra, fideles novum habeant innocentiae, mortificationis, caritatis, et sanctitatis exemplar imitandum; impii autem vel convertantur, vel confundantur.

PROSPER S. M. Scal. Diac. Card. CATERINI.

De Canonizatione Beati Michaelis De Sanctis dicturus nescio an in hoc mirabili juvene magis excelsas virtutes animi debeam laudibus extollere, an coelestia dona gratis ab Altissimo Domino illi collata. Quoniam tantus fidei ardor, tanta morum castitas, modestia, humilitas, obedientia, corporis castigatio, rerum terrestrium contemptus, coelestium fervens spes et expectatio, in adversis fortitudo, et in proximos omnigena caritas et pro fratribus vinculorum et cruciatuum votis professa aemulatio, in tam brevi vitae curriculo, quid nisi Angelorum et propedixerim divinae virtutes? Divinum illud certum est omnem concupiscentiae illecebram non solum vincere, sed et omnino delere, mentem in coelesti contemplatione non dicam defigere sed penitus haerere et quasi perpetuo inhabitare, abscondita

temporum et locorum prophetare, raptum per aera ire, extasibus et divini amoris cuspide deliquescere, in corde demum, illo adhuc terrestri et terrestribus affectibus irretito, Cor Sanctissimum Jesu defigere, aut mystice invicem (quod exsuperat omnem sensum) commutare. Vere Dominus in hoc uno Divo memoriam fecit mirabilium suorum, scilicet coelestis juvenis Aloysii virginitatis, Pauli ad tertium coelum in corpore sive extra corpus rapti, sanctissimi demum Cordis Virginis Mariae apud Crucem transverberati. Quae Sanctitatis Ecclesiae numquam senio tabescentis praeclara signa et singularia charismata, quantum in lucem hisce temporibus efferre optabile sit, non ego pluribus prosequar, sed Te Beatissime Pater humillime adprecor ut sancto et inerrabili Tuo Oraculo sanctificare et ad ultimas terrae oras praedicare digneris.

GASPAR Tit. Ss. Viti et Modesti Diac. Card. GRASSELLINI.

Vitam puriter actam sancto complevit exitu Beatus Michael, quem multis charismatum et miraculorum donis praeditum fuisse legitimus actorum processus probat ac Sedis Apostolicae judicium demonstrat. Post illius Beatificationem cum nova extiterint miracula, iisque eodem modo comprobatis, nihil aliud, Pater Sancte, remanet, nisi ut ad solemnitatem Canonizationis pergas. Beatus hic, Eum secutus qui captivam duxit captivitatem, exoret Deum ut disrumpat vincula quae error, fraus et iniquitas vel injecerunt vel parant; et ut peccati servitute depulsa, Ecclesiae suae concedat vera libertate laetari.

THEODULPHUS Diac. S. Eustachii Card. MERTEL.

BEATISSIME PATER

Beatus Michael De Sanctis tot charismatibus a Deo dum viveret illustratus, tot virtutibus praeditus, ac tot prodigiis et miraculis etiam post obitum adeo claruit, ut Summi Pontificis sa. me. Pii VI Decreto Beatorum cultum solemni ritu promeruerit. At vero post indultos eidem Beato Michaeli Altarium honores, cum statuisset Summus Pontifex Gregorius XVI « Constare de duobus miraculis tertii generis intercessore Beato Michaele a Deo patratis »; et denique cum Sanctitas Tua decrevisset « Tuto procedi posse ad solemnem Beati Michaelis De Sanctis Canonizationem », mihi suadeo et judico honorem ejus meritis debitum, videlicet Sanctorum cultum non esse ulterius ei protelandum. Quapropter hoc unum superest, ut praelaudatus Beatus Michael suprema et infallibili Beatitudinis Tuae sententia Sanctorum Albo quam citius adscribatur. Hoc ipsum, Beatissime Pater, a summa Sanctitatis Tuae bonitate, sapientia, et justitia humillimis precibus deposco.

Datum Romae IX kalendas Junii MDCCCLXII.

MELCHIADES FERLISI PATRIARCHA COSTANTINOPOLITAN.

BEATISSIME PATER

Quae pro Beati Michaelis De Sanctis Canonizatione per SS. Canones requirebantur omnia rite expleta fuere uti novimus per Compendium exhibitum a Secretaria SS. Rituum Congregationis. Proinde, Beatissime Pater, supplex, et instanter rogo ut Beato Michaeli solemnes Altarium honores, ex Apostolicae Sedis Oraculo decernantur, et ita per praeclarissimum hunc Sanctum Confessorem Ordo perillustris Fratrum Discalceatorum Redemptionis Captivorum,

nec non Catholica Hispania et universi Christifideles novum habeant ac fulgidissimum sanctitatis exemplar quod admirentur, quod imitentur et colant, et ipsius, apud Deum, continua protectione laetari mereantur auspice potissimum Beatissima, et Immaculata Virgine Maria, quam hac ipsa die sub titulo ineffabili « Auxilium Christianorum » Ecclesia veneratur.

Romae 24 Maji 1862.

✠ Carolus Belgrado Patr. Antioch.

Beatissime Pater

Tot tamque eximiae fuere virtutes in Beato Michaele De Sanctis, uti ex processibus canonicis solertissimo studio peractis apparet, et tam mira ac selecta sunt ejus ope miracula patrata, ut illum ad summum gloriae fastigium coelitibus datum extollere justum ac vere dignum censeam.

Et ideo, Beatissime Pater, in hoc canonico judicio enixus, supplex Vestram deprecor Sanctitatem ut quod tam faustis inceptum est auspiciis, et ad felicem exitum deductum, quamprimum perficiatur.

Romae die vigesima quarta mensis Maji anni millesimi octingentesimi sexagesimi secundi.

Ego Thomas Indiarum Patriarcha.

Գերերջանիկ Հայր

Որ ամենայն մասամբք առաքինութեանց առաւելեալ պերճացաւ, և յաւէտ եռանդագին սիրով որ առ ընկերն, և գերահրաշ հոգւոյն մաքրութեամբ գերապանծ հանդիսացաւ, Երանելին Միքայէլ Տէ Սանքթիս, զնոյն արդարև արժանի համարիմ՝ զի Սրբութիւն Ձեր

մեծահռչակ հանդիսիւ Սրբացուցման 'ի Կարգ Սրբոց դասել բարեհաճեսցի 'ի փառս Ուղղափառ Եկեղեցւոյ, 'ի պատիւ Կղերականաց, և 'ի շինութիւն հաւատացելոց, մանաւանդ յայժմեան ողբալի վիճակիս. և որ հայր հանդիսացաւ գորովագութ գերելոց, Երանելիս Միքայէլ, բարեխօսեսցէ առ Հայրն Ողորմութեանց՝ զի որ 'ի կապանս մեղաց իցեն՝ դարձցին և փրկեսցին, իսկ որք 'ի կապանս հերձուածոյ գերեալ դեգերին՝ 'ի միութիւն Պետրոսեան Աթոռոյ վերադարձցին:

✠ Անտոն Վարդապետ Հասունեան
Արքեպիսկոպոս Նախագահ
Կոստանդնուպօլսոյ Հայոց:

Ejusdem versio.

Beatissime Pater

Ad Ecclesiae Catholicae decus, ad Ecclesiasticorum honorem, et ad fidelium aedificationem hisce praesertim luctuosis temporibus, aequissimum arbitror ut solemni Canonizationis decreto Beatitudo Vestra Sanctorum fastis adscribat Beatum Michaelem De Sanctis, qui virtutum laude excelluit, ac maxima erga proximos caritate, et mirabili prorsus animi puritate floruit: et qui pater fuit captivorum optimus, intercedat apud Patrem misericordiarum, ut qui captivi detinentur in peccatis, convertantur, et qui in schismate, ad unionem Cathedrae Petri revertantur.

Antonius Hassun Archiep. Primas Armenus Constantinopol.

Beatissime Pater

Cum Sanctitas Tua decimoquinto kalendas Octobris anni millesimi octingentesimi sexagesimi primi in aede Sacra Deiparae Virgini Mariae de Aracoeli declaraverit « *tuto procedi*

posse ad Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis » ego subscriptus enixissime Sanctitatem Tuam obsecro ut illum ad gloriam Dei, Catholicae Religionis incrementum et honorem Ordinis Reformatorum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum, cujus laudabilis Instituti regulam professus est, in Sanctorum Confessorum canonem referre digneris.

ALOISIUS M. CARDELLI ARCHIEP. ACRIDAE.

Μακαριώτατε Πάτερ

Ἐὰν ἐν τῷ νῦν ἀθλίῳ καιρῷ, ὑπ' οὗ ἄκρως βασανιζώμεθα, ὠφέλιμόν τι καὶ εὐκτὸν ἐντυγχάνει ἡμῖν, τοῦτο ἀναμφιβόλως ὁ ἐνεργὴς ἐστι καὶ ἰσχυρὸς ὑπερασπισμὸς τῶν μεγίστων ἀνδρῶν ἐκείνων, οἵ τινες προπολλοῦ τῇ ἀϊδίῳ μακαριότητι ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἐπιχαίρουσι. Διὸ ὑμῶν δέομαι, Ἁγιότατε Πάτερ, ἵνα τὸν Μακάριον Μιχαὴλ Δε Σάνκτοις λαμπραῖς ἤδη ἀρεταῖς καὶ θείοις χαρίσμασι κεκοσμημένον, καὶ ἔτι θαυματουργὸν εἰς τὸν τῶν Ἁγίων βαθμὸν καὶ δόξαν ταχέως ὑψώσατε· τόδε γὰρ ποιοῦντες οὐχὶ μόνον τῇδε εὐγενεστάτῃ ὑμῶν Πόλει, ἀλλὰ καὶ τῇ Οἰκουμένῃ ὅλῃ ἀξίως τε καὶ ὑπερβαλλόντως ὠφελήσετε.

✠ Στέφανος Ἀρχιεπίσκοπος Εἰρηνουπόλεως

Ejusdem versio.

BEATISSIME PATER

Mirum egregiumque donum, tot inter divinas connumerandum opes quibus fulcitur ac regitur Christiana Religio, illud dubio procul censeri debet quod e Sanctorum Coelitum virtute praesidio splendidaque gloria uber in homines dimanat. Nihil enim optabilius utiliusve mortalibus nihil quam sospitatores magnos illos viros propitiosque habere quibus sempiterna frui beatitate jamdiu concessum est. Quamobrem cum ad comitia haec Sacrorum Antistites

uno confluxerint animo pro solemni a Sanctitate Tua enixe postulanda Beati Michaelis De Sanctis eximiis olim gestis meritisque praefulgentis Canonizatione, comiter ut semper assoles dignare precor frequentibus eorum votis optatisque accedere. Quid enim hisce quibus miserrime versamur temporibus felicius Tibi et universae cui divinitus praees Ecclesiae contingere unquam poterit quam ejus apud bonorum largitorem Deum patrocinio sustentari, qui castissimam Christi Sponsam dum in terris ageret summopere adamavit et coluit? Agedum Pontifex Maxime; perhonorificum quod Tuae unius potentiae est perfice opus: perficiendo siquidem, perinsigne Urbi et Orbi conferes beneficium.

✠ Stephanus Archiep. Irenopol. Rit. Graeci.

Beatissime Pater

Duobus jam rite probatis miraculis post venerationem patratis a Deo intercessione B. Michaelis de Sanctis Sacerdotis professi Ordinis SS. Trinitatis discalceatorum, dubium proponebatur, an tuto procedi posset ad solemnem Canonizationem, cui quum Sanctitas Tua responsum dederit: tuto procedi posse; icirco dignum censeo, cui Canonizationis honor solemniter impendatur.

Datum Romae cum facultate Pontificia sub die XXIV mensis Maji anno MDCCCLXII mea manu scriptum ac subscriptum.

✠ Emmanuel Marongio-Nurra Archiep. Calaritan.

Beatissime Pater

Causa Michaelis De Sanctis satis jam explorata et elucidata mihi videtur: Ideoque attente perlectis et mature

a me perpensis iis omnibus quae mihi de vita praedicti Beati sunt relata; Spiritu Sancto devote invocato, humiliter dicam hoc meum esse votum, ut, si placuerit Sanctitati Vestrae, in Catalogo Sanctorum inscribatur Beatus Michael De Sanctis.

Quae Canonizatio a Sancta Sede solemniter definita, atque Orbi Catholico evangelizata, erit Deo gloriosa; Ecclesiae Catholicae decoris augmentum; Sanctae Sedis hodie tam injuste, tam potenter impugnatae novum invincibile propugnaculum; atque Regni mansuetudinis Sanctitatis Vestrae, tam multis mirabilibus splendentis, splendor novus.

Ita sentit

✠ Mellonus Archiep. Senonen. et Antisiodoren. Episc.

Beatissime Pater

Beatum Michaelem De Sanctis jamdudum vitae sanctimonia et miraculorum gratia inter Beatos accensitus, nunc novis signis gloriosum ad supremos honores evehi expeti dignum mihi videtur praesertim ut haec nova Ecclesiae laetitia in hac temporum calamitate Christifidelium cordibus solamen praestet et robur adiiciat.

Alexander Asinarius Sancti Marciani Archiep. Ephesin.

Սրբազան Հայր

Վարք և առաքինութիւնք և սքանչելիք, որովք Երանելին Միքայէլ Տէ Սանքթիս պայծառացաւ, այնպիսիք են՝ զի նուաստութեանս խնամ՝ 'ի դէպ թուի 'ի թիւ Սրբոց զնա դասակարգել։ Վասնզի ոչ երբէք 'ի հրապոյրս մարմնոյ յօժարեաց նա, այլ ժաման եղեալ յօրհնութիւն քաղցրութեան՝ ընդ շաւիղս կատարելութեան հետևեաց, աստուածսիրութեան ևեթ բոցով սիրտ նորա վառեալ։

Իսկ քանզի ամենազօրն Աստուած, որ սքանչելին է 'ի վերայ սրբոց իւրոց, բազմապատիկ նշանօք եւ սրբութեան նորա առ հաւատչեայ, արժան համարիմ զի 'ի փառս անուան իւրոյ, 'ի սփոփանս եկեղեցւոյ, և յօրինակ հաւատացելոց 'ի թիւս սրբոց դասակարգեսցի: Այլ յօժարական զկարծիս իմ ընդ իմաստութեամբ Սրբութեանդ արկանեմ:

✠ Եդուարդ Հիւրմիւզեան
Արքեպիսկոպոս Շիրակայ:

Ejusdem versio.

BEATISSIME PATER

Vita, virtutes, ac prodigia, quibus Beatus Michael De Sanctis excelluit, ea sunt, ut ad illius Canonizationem esse deveniendum humillime censeam. Is enim erat Michael, ut nunquam carnis traheretur illecebris, sed in benedictionibus dulcedinis praeventus, perfectioris vitae tramitem incederit, ut cor illius, nonnisi caritatis in Deum incendio flagraret. Quum autem Omnipotens Deus, qui mirabilis est in Sanctis suis, quampluribus etiam signis, illius Sanctitatem non semel comprobarit, dignum arbitror qui ad supremi Nominis gloriam, Ecclesiae solamen ac fidelium exemplar, Sanctorum fastis adscribatur. Quae autem sentio, sapientissimo Sanctitatis Tuae judicio, lubenti animo submitto.

✠ EDUARDUS HURMUZ ARCHIEP. SIRACEN. NATION. ARMEN.

BEATISSIME PATER

Beatum virum, de quo hodie agitur, majori Altarium honore dignum esse arbitror. Nam plures quidem, ac praeclarissimae sunt ejus solidae, christianaeque virtutes; mira

praesertim fuit ejus vitae innocentia, et humilitas pari cum poenitentia, et ardentissima in Deum, et proximos caritate sociata; nec non prodigiosae sanationes, quibus Rex Regum nostris quoque diebus ipsius Sanctitatem tam aperte ostendit. Propterea Tu quoque, Clementissime Pater, qui tam gloriose in hac tanta rerum perturbatione Christi vices hic geris, Beato Michaeli De Sanctis ex Ordine SSmae Trinitatis Sanctorum honores decernere digneris, ut fideles omnes ejus heroicas virtutes imitentur, ipsum venerentur, atque vehementer inflammentur ad utilem apud Deum ejus intercessionem invocandam.

Romae ex Conventu S. Petri in Monte Aureo die 24 mensis Maji anni 1862.

Fr. Raphael De Ambrosio Archiep. Dyrrachien. in Macedonia.

Beatissime Pater

Cum accurata diligentia plenaque maturitate causa processerit Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis, et ex perlecto compendio ipsius vitae, virtutum ac miraculorum clare appareat omnimodo perfectus in terris necnon efficax de coelo Patronus, hinc est quod Tibi humillimas exhibeo preces, ut qua polles auctoritate digneris Beatum Michaelem de Sanctis in Sanctorum Catalogum Confessorum adscribere. Divina autem Providentia factum est ut hisce miserrimis temporibus absolutum exemplar proponatur amoris Jesu Christi, quo deficiente, confringuntur in die irae reges, et conquassantur capita in terra multorum.

Romae die 24 Maji anni 1862.

✠ Joannes M. Mathias Debelay Archiep. Avenionen.

Beatissime Pater

Cum coelestium donorum distributor Deus in Beato Michaele De Sanctis vitae innocentiam pari cum poenitentia et caritate sociatam miraculis comprobaverit, sine, Beatissime Pater, ut ego quoque, meo meaeque Provinciae nomine, orem atque expostulem, ut Tu, qui unice tanta polles potestate, eumdem Beatum Michaelem in Sanctorum catalogum referre digneris.

Datum Romae die 24 Maji 1862.

✠ Joannes Archiep. Neo-Eboracen.

Michaelem De Sanctis Ordinis discalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum alumnum *in brevi consummatum explevisse tempora multa, et in mensura* constitutum *aetatis plenitudinis Christi* ad eum pervenisse virtutum fastigium, cui (si divinum accesserit miraculorum suffragium) Catholica Ecclesia supremos coelitum honores decernere solet, cuilibet perpendenti epitomen actorum, quae in ejus causa confecta sunt, certum exploratumque esse debet, praesertim si animadverterit, in eadem causa discutienda ad unguem observata fuisse Urbani VIII fel. record. Decreta, quae forsan in ipsam cadere durissimum videbatur, cum idem Pontifex biennio ante, quam Decreta evulgaret, commissionem introductionis propria manu signavisset. Arbitror ergo, Beatissime Pater, nihil prorsus obstare, quin irrefragabili judicio Tuo Michaelem eumdem octoginta tribus abhinc annis inter beatos cooptatum novisque fulgentem signis, Sanctorum cathalogo adscribas; quinimmo enixis precibus deposco, ut novum hoc *extollas signum in Israel*, quod aspicientes Christifideles, in Domino gestientes laetentur, et ii praecipue, qui Deo vocante, Regularibus

familiis nomen dederunt, quique in hac lugenda temporum calamitate in tot versantur periculis, *periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in latronibus, periculis in falsis fratribus,* solamen aliquod roburque percipiant, sodalem intuentes gloria et honore coronatum qui fusis ad Deum precibus afflictis eorum rebus succurrat.

Fr. Antonius Archiep. Iconien. Almae Urbis Vicesgerens.

Confecta super Canonizatione B. Michaelis De Sanctis actorum series locupletissima prorsus est, ut illum eximiis Christianae vitae exemplis, ac omnimoda virtutis laude in domo Domini illuxisse comprobetur, usque dum, inter suaves Christi amplexus, divinae occubuit victima caritatis.

Exploratum insuper cognitumque est ad propositum dubium « An stante adprobatione duorum miraculorum, tuto procedi posset ad ejusdem B. Michaelis Canonizationem » Eños Patres tuto procedi posse unanimi consensu affirmasse, quam quidem Eñorum Patrum sententiam Summus Pastorum Princeps apostolico suo confirmabat oraculo.

Post haec, quod pontificium statuit decretum perficiendum jam esse censeo; et huic meo inhaerens judicio, Beatitudinem Tuam, Pater Sanctissime, supplici, humilique rogito prece, ut B. Michaelem praedictum, miraculorum gloria percelebrem, et vitae innocentia spectatissimum, inter Sanctos, filiosque Dei, quod universa Christi Ecclesia suorum Pastorum nomine enixis sollicitat votis, apostolica Tua auctoritate solemni ritu accenseas ac deputes, ut ex admisso in coelis quod in terra vetitum hominibus est, Sanctorum interventu, ejus ope ac patrocinio optatissima illa currant et adveniant tempora, quibus, Te duce, Te auspice, Ecclesia Sancta nostra sui deponens indumenta doloris, et amictu circumdata deaurato, in tabernaculis

laetitiae et in plenitudine pacis tuta quiescat, et, qua late patet Orbis, victricia sua adferens signa, aeterno dominetur imperio.

Romae hac die vigesima quarta Maji anno 1862.

H. Archiep. Damascen.

Beatissime Pater

Cum ex documentis a Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis, nobis ex parte Sanctitatis Tuae porrectis, luculentissime constet Beatum Michaelem De Sanctis, Sacerdotem professum Ordinis SS̃mae Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis Captivorum virtutes theologicas et cardinales earumque adnexas in gradu heroico exercuisse ejusque mortem gloriosam a Deo optimo maximo indubiis miraculis confirmatam esse, omni cum humilitate Sanctitatem Tuam rogo ac supplico, ut ad majorem Dei gloriam, et Ecclesiae utilitatem dictum Beatum Michaelem De Sanctis una cum Martyribus Japoniae in album Sanctorum referre dignetur.

Romae 24 Maji 1862.

✠ J. Archiep. Ultrajecten.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis captivorum fuit pater, morti proximorum singulare solatium, Christi denique in miserorum et languentium omnium cura imitator praecipuus. Haec autem et alia excelsa Beati Michaelis merita insignibus miraculis comprobata eumdem Sanctorum gloria dignissimum probant.

✠ P. Brunoni Archiep. Taronen. Vic. Ap. Pr. Constantinopol.

Beatissime Pater

Supremis altarium honoribus Beatus Michael De Sanctis dignus est censendus, quem jam Apostolica Sedes heroicarum virtutum splendore, et miraculorum gloria clarescere edixit. Magnum inde Ecclesiae bonum futurum arbitror, cum is tamquam lucerna in caliginoso hoc saeculo posita per fluxarum rerum contemptum coruscans, mundanorum hominum oculos exempli sui luce percellat, eosque a terrenis illecebris retrahat, et ad superna nunquam peritura bona appetenda alliciat.

Enixe igitur Sanctitatem Tuam deprecor, ut Beatum Michaelem De Sanctis in Sanctorum album referre velis ad majorem Dei gloriam, ad ejusdem Beati honorem, ad Ecclesiae decus, populique christiani aedificationem.

A. Archiep. Philippen.

Beatissime Pater

Pravum est cor hominis et inscrutabile ait S. S. quod nostra hac aetate experientia ipsa satis didicimus. Hinc nil optabilius, quam ut corda nostra sint juxta Cor Jesu. Ecquis hoc tanti boni nobis poterit obtinere nisi B. Michael cum quo Jesus mysticam Sui Cordis commutationem inire dignatus est? Quapropter cum vel ex hoc uno prodigio illius sanctitas sit abunde declarata, cumque post Beatificationem novis miraculis coruscaverit, si Sanctitati Tuae visum fuerit, illum dignissimum censeo qui inter Sanctos cooptetur.

✠ Franc. Xav. Archiep. Surrentin. et Assistens.

Beatissime Pater

Qui manet in caritate in Deo manet et Deus in eo, teste Joanne. Cum id in B. Michaele De Sanctis plane effulserit et miraculis fuerit confirmatum, Sanctorum cathalogo eum esse adscribendum humillime sentio.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Vincentius Archiep. Nisiben.

Cum heroica Beati Michaelis virtus nedum indubiis documentis, sed Dei testimonio apparuerit; cum novis miraculis pro certo constet illum ab ipso Deo ad altiora vocari, perge quaeso, Beatissime Pater, et quod jam constituisti demum perfice, atque ejusdem Beati cultum infallibili judicio Tuo universae Ecclesiae indica.

✠ Petrus De Villanova Castellacci Archiep. Petrae.

Beatissime Pater

Bellum quod in Eden Paradiso serpens antiquus homicida ab initio contra hominem, ejusque felicitatem commisit, non cessat iisdem, inquam, armis per illos, qui desideria ejus volunt perficere, novissimis hisce temporibus renovare. Scientiam enim boni et mali, cum ipsi sint servi corruptionis, et quasi velamen habentes malitiae libertatem promittentes, in id solum intendunt, ut dominationem omnem spernant, et Dei majestatem blasphement. Omni acceptione ideo dignum, B. Michaelem de Sanctis, qui scientia sanctorum instructus et in captivitatem suum intellectum in obsequium Christi redegit, et seipsum si caritas exegisset

captivum pro fratribus suis redigere, et animam ponere vovit, Supremo Tuo, Beatissime Pater, irreformabili oraculo Sanctorum fastis adscribi mihi videtur, ut boni hujus caritatis martyris, ut ita dicam, exemplo magis ad virtutes accendantur, et mali convertantur, vel saltem confusione et pudore cooperiantur.

VINCENTIUS SPACCAPIETRA ARCHIEP. SMYRNEN. ET ASIAE MIN. VIC. APOST.

BEATISSIME PATER

Michaelem de Sanctis coelestibus benedictionibus praeventum, omnique, coenobiticae praesertim vitae, virtutum genere fulgentem, atque jamdiu ab illustri Praedecessore Tuo Pio VI. Beatorum honoribus auctum Deus novis praecellentibus miraculis illustrare dignatus est, quae solertissime, ac sapientissime ab Ecclesia expensa sunt, et comprobata. Quamobrem Te humillime deprecor, Beatissime Pater, ut sicut Servi Sui Michaelis sanctitatem Deus tam aperte miraculis ostendit, digneris Tu quoque, qui Dei vices in terra geris, toto orbe admirante, et plaudente, ipsisque inimicis Tuis, qui et inimici sunt Dei, contremiscentibus, ad Sanctorum honores Beatum Michaelem tantis meritis ac prodigiis coruscantem extollere. Ita fiet, ut omnibus Christifidelibus, maxime Coenobitis, quibus ab impiis hujus saeculi tam ferum bellum indictum est, novum sit virtutum exemplar, novusque Patronus, quem imitentur, quem diligant, quem venerentur, cujusque sentiant patrocinia.

✠ MARIANUS ARCHIEP. REGINEN. ASSISTENS.

Nihil sane magis aequum, aut magis expetendum, quam ut iis religiosi honores in terris decernantur, qui Evangelicae perfectionis formam in seipsis exprimentes

ceteris exemplo fuerunt, ac modo coelestem mercedem adepti pro fidelium bono perorare apud Deum non cessant. Ex quibus unum esse B. Michaelem De Sanctis extra omnem dubitationem positum est. Omnes enim in eo virtutes mirabiles prorsus extiterunt, fides, spes, orationis studium, animi demissio, ceterae omnes: sed imprimis caritas, quae perfectionis est vinculum ita in eo excelluit, ut consummatae sanctitatis virum prorsus efficeret. Hanc vero Servi Sui Sanctitatem Deus voluit ostendere editis post ejus mortem stupendis prodigiis, quorum veritas in tuto posita est. Quorum quidem prodigiorum quae initio facta sunt illud effecerunt, ut Beatorum honores illi decernerentur, posteriora vero id exposcunt, ut Tu, Beatissime Pater, ad quem haec res altissimo Dei consilio reservata est, supremum illi Sanctorum cultum tandem decernas, ut in hac tanta temporum iniquitate Christifideles, et hunc sibi Patronum adesse certo sciant, ejusque virtutes solemnius proclamatas intuentes solatium, ac robur percipiant; quod ut ne ulterius dilatum velis, Beatissime Pater, etiam atque etiam rogo.

Salvator de Nobilibus Vitelleschi Archiep. Seleucen. Assistens.

Beatissime Pater

Quae de Beati Michaelis mira in Deum ac proximum dilectione, vitae integritate, asperrima poenitentia, rerum coelestium contemplatione, obedientiae merito, ceterisque virtutum, prophetiae, et miraculorum donis in authenticis ipsius vitae actis perleguntur, ejusmodi sunt ut plane non dubitem Sanctorum ipsi honores supremo Sanctitatis Tuae judicio jure esse decernendos. Novum igitur Ecclesiae per Beati Michaelis Canonizationem decus praesidiumque addas,

Beatissime Pater, ut qui, dum viveret, Ordini SSm̃ae Trinitatis pro redimendis e paganorum potestate captivis nomen dedit; coelitum nunc Ordini adscriptus tot degeneres Ecclesiae filios daemonis potestate miserrime subjectos potenti patrocinio suo in matris amantissimae sinum cum ineffabili omnium bonorum gaudio quamprimum reducat.

Hac die 24 mensis Maji anni 1862.

✠ Alexander Franchi Archiep. Thessalonicen.

Beatissime Pater

In causa Beati Michaelis De Sanctis, cujus praeconium in hoc solemnissimo ac illustrissimo consessu uno quasi ore celebratur, tuto procedi posse arbitror; propterea Sanctitatem Tuam humillime precor, ut Beatum illum Michaelem, qui jam in vivis coelum ascendere videbatur, ea, qua polles apostolicae potestatis plenitudine, Sanctorum catalogo inserere dignetur.

Romae 24 Maji 1862.

✠ Gregorius Archiep. Monac. et Frising.

Beatissime Pater

Nihil mihi gratius atque jucundius accidere poterat quam pro Canonizatione Beati Michaelis De Sanctis Tarraconensis Metropolis suffragium ferre. Noster siquidem heros, duplici redimitus corona et innocentiae et poenitentiae, jam ab incunabulis exultavit ut gigas ad currendam viam suam, et licet in brevi consummatus, explevit abs dubio tempora multa. Ita concives et exteri uno ore te-

stantur; ita Sacra Rituum Congregatio, ita demum Sancta Sedes Apostolica pronuntiavit affirmans tuto procedi posse ad illius Canonizationem. Unde, Beatissime Pater, non possum non Vestram exorare Beatitudinem, ut quamcitius supremos ei tribuere dignetur Canonizationis honores. Quod quidem perutile ac maxime conveniens existimo in hac nostra tempestate, in qua et innocentia et poenitentia verbis, scriptis et factis libertinorum, tam diris jaculis perfodiuntur in totius humani generis perniciem.

Datum Romae die 24 Maji anni 1862.

Josephus Dominicus Archiep. Tarraconen.

Beatissime Pater

Admirabiles ascensiones in corde Beati Michaelis De Sanctis, quem Hispania Coelo peperit, et Ordo Reformatorum Sanctissimae Trinitatis christianae perfectioni adolevit, tali ordinatissima caritate dispositae effulgent, ut is non solum ire de virtute in virtutem videatur, sed sicut gigas exultet ad currendam viam, et quasi Aquila, provocatus ad volandum; siquidem, ejusdem tam frequentes extases, raptus, visiones ac revelationes, arctissimam Dei cum Beato Michaele, et Michaelis cum Deo unionem praesignant et ostendunt. Quae omnia, si prae oculis simul habeantur, Baptismalis innocentia usque ad ultimum vitae spiritum servata, et virginitatis lilium, quod Deo quinquennis sacravit, candidumque et illibatum perpetuo servavit, atque praeclarissimum divinae Bonitatis prodigium, quo ipse Jesus, divini Cordis sui mysticam commutationem inire cum corde Michaelis dignatus fuit, proculdubio ejusdem vitae Sanctitatem luculenter comprobant, prout Altissimus sigillo Divinitatis, tot prodigiis miraculorumque fulgore multiformiter

confirmavit; et haec Sancta Sedes Apostolica suo infallibili judicio pluries elucidavit, ratumque habuit. Superest modo, Beatissime Pater, et Sanctitatem Vestram humiliter deprecor, ut Beati Michaelis solemnem Canonizationem Tuo supremo oraculo decernere dignetur; ex quo magnopere laetabitur Universus Orbis, sed geminata laetitia exultabit Catholica Hispania, cum viderit praeclarum suum Patritium, cujus sacra pignora, me custode, perglorianter Vallisoleti possidet, a Sanctitate Vestra gloria Sanctorum coronatum in terris.

Romae die 24 Maji anni 1862.

LUDOVICUS ARCHIEP. VALLISOLETAN.

BEATISSIME PATER

Cum nostra tempora copiosis vere digna sint lacrymis, ferventioribus quidem apud Deum intercessoribus indigemus. Inde variis variisque virtutibus perspectis, quae procul dubio vitam B. Michaelis De Sanctis in Domino contexere, beneque perpensis miraculis per ipsum, Deo annuente, patratis, Tuam deprecor Sanctitatem, ut eumdem Beatum in Sanctorum numerum adscribere digneris, et sic per universam Ecclesiam omnes Christifideles novum in coelis possint habere Protectorem.

F. C. ARCHIEP. EPISC. MELITEN.

BEATISSIME PATER

Mirifica gesta ac virtutes maximae, quibus Beatus Michael De Sanctis Sacerdos professus Ordinis SSmae Trinitatis Fratrum discalceatorum redemptionis captivorum, dum

inter humanos veluti angelus pacis ac fidelium consolator commoraretur, omnimode excelluit, quaeque ipsi adhuc viventi omnium venerationem mirum in modum acquisiverunt, effecerunt, ut Vallisoletanus Archiepiscopus votis Hispanorum efflagitatus, paullo post obitum venerabilis Servi Dei causam ejusdem apud Sanctam Sedem pro obtinendis eidem altarium honoribus extemplo introducere cogitaret. Accessit divina clementia, quae sanctitatem sui Servi miraculis mundo conspicuam esse voluit: accessit denique indefessa Romanorum Pontificum sollicitudo videlicet Urbani VIII, Innocentii XI, Innocentii XIII, Benedicti XIV, Pii VI et ultimo loco Gregorii XVI, qui uno flagrabant desiderio, ut Beatus Michael in catalogum Sanctorum referretur. Re igitur tam mature tamque diu discussa, reliquum est, ut eamdem Sanctitas Vestra infallibili vocis suae oraculo definiat, Ecclesiaeque in Coelis novum apud Deum defensorem elargiri dignetur, quod ut ad Christifidelium, in tantis periculis quibus gravantur, spem et solatium fiat, in omnium votis est.

Die XXIV Maji MDCCCLXII

✠ Gustavus Archiep. Edessen.

Beatissime Pater

Perperam fremunt gentes, et populi meditantur inania adversus Dominum, et adversus Ecclesiam super fundamentum Apostolorum, ac Prophetarum positam. Nec nisi in vacuum Te B. P. Regno, quod per universum mundum a diebus saeculi et annis antiquis honoratur, velut Jesu Christi ac Apostoli sui Petri haereditas, hodierni inimici Crucis Christi expoliare conituntur. Multitudinis credentium est cor unum et anima una ad fundendas Domino

preces, ut gaudeamus demum, et gaudium nostrum sit plenum, et Catholicae Religionis triumphum Tuis ipse oculis, antequam dies Domini veniat, conspicere merearis, qui usque nunc velut murus pro Domo Israel restitisti. Nec optatus dies longe aberit, miserante Deo, et gaudebit cor nostrum, et cognoscetur manus Domini a servis suis, cum indignabitur inimicis suis. Ut autem petitiones nostrae innotescant apud Deum, et misericordiam inveniamus in auxilio opportuno, Sanctorum intercessio jungatur necesse est, qui phialas plenas odoramentorum quae sunt orationes Sanctorum ad thronum Dei perferre valeant. Verum divino prorsus consilio factum est, ut a Te, B. P., magna adstante S.R.E. Cardinalium, ac Orbis catholici Episcopatus frequentia de Canonizatione B. Michaelis De Sanctis Sacerdotis Professi Ordinis SS. Trinitatis Fratrum discalceatorum Redemptionis Captivorum solemniter nunc temporis peragi decretum sit. Qui cum, Roma loquente, ad Altarium honores evectus sit, ferventior apud Deum pro Ecclesia in tribulatione posita advocatus existat. Nihil porro obest, aut est impedimento quin ad ejus Canonizationem inoffenso pede procedi possit. Ecquis enim ardentissimam ejus in Deum ac proximos caritatem in qua universa lex pendet et Prophetae inficias ibit? Mirum sane quot ille, praeventus in benedictionibus dulcedinis, pro amore Dei pertulerit cruciatus, et mortificationem Jesu in suo corpore, dum in terris ageret, portaverit! Mirum quam ardens in Dei Genitricem studium ipsi fuerit! et asperum prorsus iter, spiritum orationis quo ille callebat dignis laudibus concelebrare.

Quis vero angelicam ejus castitatem dignis laudabit praeconiis qua numquam carnis cessit illecebris, nec ulla unquam hujus flagitii species aut minus honesta cogitatio menti suae obversabatur? Quis impensae ipsius erga proximos sollicitudinis praeclara facinora dinumerare poterit,

qua nunc moerentes solabatur, nunc mulieres e vitiorum coeno ad meliorem frugem reducere satagebat, nunc e suggestu populos ad virtutis tramites hortabatur, et omnibus omnia ipse factus, omnes facere salvos toto marte insudavit?

Eapropter nemini mirum videri poterit si tantam vitae perfectionem maximis bonitatis suae donis misericors Deus patefactam penes mundum universum voluerit; et prophetiae spiritu, et cordium perscrutatione, et in malignos spiritus imperio formidabili praeditum esse in divitiis suae bonitatis disposuerit. Quibus pro virium mearum tenuitate diligenter perpensis, Te rogo enixis precibus obtestorque B. P. ut B. Michaelem De Sanctis in Album Sanctorum adnumerare ne pigriteris.

Datum Romae die 24 Maji 1862.

Ego Philippus Gallo Archiep. Patracen.

Beatissime Pater

Praeclaros erga Deum heroes et firmissimos in asserenda Fide defensores admirati jam fuimus in Martyribus Japonensibus; aliud nunc praefulget eximiarum virtutum exemplar in Beato Michaele De Sanctis, qui, non effuso sanguine, sed ardentissima caritate Martyrem quodammodo possumus praedicare.

Uberrima hic supernae gratiae copia a prima usque aetate praeventus, ita in absolutissima virtutum omnium professione et praecipue in caritate erga Deum et Proximum exultavit ut gigas ad currendam viam ; ita mirificis illustrationibus ceterisque donis cumulatus apparuit, ut brevi vitae suae spatio perfectam Sanctitatem assequutum, jure meritoque explevisse tempora multa admiremur. Et digne Martyribus adjungitur, qui ardenter expetens animam

suam ponere pro amicis suis (qua sane dilectione nemo majorem habet) eo usque progressus est, ut captivis sui ipsius captivitate redimendis paratum se continuo exhibuerit.

Quum igitur in Beato Michaele christianae omnes virtutes in gradu heroico probatae ex actis eniteant, justissimum arbitror, Beatissime Pater, ut eam vitae sanctitatem, quam Deus insignibus patratis miraculis testatam voluit, ut pariter ex actis luculentissime ostenditur, eamdem et nos solemnibus Ecclesiae ritibus celebremus. Humillime idcirco Beatitudinem Vestram deprecor, ut Beatus Michael in Sanctorum Albo recenseatur.

Petrus Giannelli Archiep. Sardien.

Beatissime Pater

Agitur hodie de solemni Canonizatione B. Michaelis De Sanctis, viri scilicet qui ab ipsis incunabulis sanctus, et juxta viam Domini adolescens quam semel fuerat ingressus ab ea numquam recessit: qui novos quotidie ascendendo gradus, eundo de virtute in virtutem, perfectissimum virtutum omnium exemplar toto vitae suae cursu se exhibuit: qui denique cumulatus meritis, et divinis charismatibus auctus, pretiosam obiit in conspectu Domini mortem omnibus relinquens exemplum ut sequamur ipsius vestigia. Cum ergo haec omnia in processu causae evidenter constent, cum constet etiam de miraculis quibus Deus Sanctitatem servi sui notam facere voluit, tum ante, tum post ejus Beatificationem; jure merito, Sanctissime Pater, tuto procedi posse ad Canonizationem B. Michaelis De Sanctis Beatitudo Vestra solemniter declaravit. Nihil ergo mihi addendum jam superest, nisi preces precibus jungere ut

quamprimum B. Michael De Sanctis in Sanctorum fastis appareat.

FR. EMMANUEL ARCHIEP. CAESARAUGUSTAN.

BEATISSIME PATER

Attento examine perlegi compendium documentorum in causa Canonizationis Beati Michaelis de Sanctis, et pro mea indignitate cum Eminentissimis Cardinalibus et cum praesulibus qui hac de re hoc in Consistorio votum emiserunt, praedictum Beatum Confessorem sentio Sanctorum Cathalogo jure ac merito adscribi debere, si ita placuerit Sanctitati Vestrae.

Quod ut quantocius fiat, ad gloriam Dei, Ecclesiae in hac temporum tempestate solamen novumque propugnaculum, suppliciter a Beatitudine Vestra oro atque obtestor.

✠ FLORIANUS ARCHIEP. TOLOSAN.

BEATISSIME PATER

Pro solemni Beati Michaelis De Sanctis Canonizatione suffragium meum, humillime sed libentissime addam. Siquidem Deo perhonorificum fore puto, Ecclesiaeque Catholicae valde utile si nomen hujus Beati viri qui caritate in Deum et proximum summopere flagravit inter Sanctorum nomina adscribi jubebis. Interest enim quammaxime ut christianae plebi hisce praesertim temporibus, quibus caritas refrigescit, sublimia proponantur imitanda amoris erga Deum et proximum exempla, habeantque simul fideles solatium et patrocinium. Quapropter cum ex peractis satis superque constet B. Michaelis virtutes supremum attigisse

heroicitatis gradum, Deumque ejus nominis intercessione pluries miracula patrasse, humillime a Sanctitate Tua exposco ut meis etiam votis annuas, et Beato Michaeli cultum et Sanctorum honores tribui posse decernas.

✠ Spiridion Archiep. Corcyren.

Beatissime Pater

Post celebratam Beatificationem inclyti Hispani Beati Michaelis De Sanctis, Sacerdotis Professi Ordinis Discalceatorum Redemptionis Captivorum in Vaticana Basilica sexto nonas Majas anni 1779, novis voluit Deus coruscantibus signis, ipsum ad majus Sanctitatis fastigium elevare: quae quidem prodigia luce meridiana clariora, Beato Michaele intercessore patrata, solertissimo examine in Sacrorum Rituum Congregatione recognita, canonice probata fuere, prout mihi fas fuit videre in compendio vitae, virtutum ac miraculorum, necnon actorum in causa pro ipsius Canonizatione.

Quapropter discretissimo adhaerens Sacrorum Rituum Congregationis judicio, existimo; tuto ad ejusdem procedi posse Canonizationem: Vestramque enixe oro Beatitudinem ut procedat; novumque hoc fulgens sidus in benigno catholicae Nationis Hispanae collocet coelo, omnibus undique temporibus sanctitate et doctrina praeclarissimis viris foecundissimo, ad majorem Dei gloriam, Ecclesiae catholicae ornamentum, civilisque Societatis magisterium.

Romae die 24 Maji anni 1862.

Marianus Archiep. Valentin.

BEATISSIME PATER

Nemini dubium quominus, stante approbatione duorum miraculorum post indultam venerationem, dignus existat Beatus Michael De Sanctis, qui Sanctorum Albo adscribatur. Jam vero cum supremo ac infallibili decreto Sanctitas Vestra declaraverit tuto procedi posse ad Canonizationem, humillimas et ego admoveo preces, ut, quem veneramur in terris innocentia clarum, virtute clariorem, signisque, confirmante Deo, clarissimum, in Coelis eumdem, ut patronum piissimum atque potentissimum, una cum Beatis Japoniae Martyribus, rite ac solemniter inter Sanctos cooptare velit.

Die 24 Maji 1862.

✠ CAR. AM. ARCHIEP. BITURICEN.

Μακαριώτατε Πάτερ

Ἐνώπιον ἰῆς ἕδρας ἰῆς Ὀμετέρας Ἁγιώτητος ὁ Μακαριος Μιχαὴλ δὲ Σάγκλις παρίσαται ὁ ἰοσαύτας Θλίμεις ἡς ἰαλαιπωρίας μέχει θανάτου ὑπὲρ ἰο Ὀνοματος ἰοῦ Υησοῦ, ἀταράχῳ ψυχῇ ὑπομείνας, ἣν δὲ ὃ ὁ Πανάγαθος ἣν μέγισος Θέος αὐ ἀρίθμητα θαομαςά κατειργάσατο. Διὰ ἰαῦτα Ταπεινῶς ἀποσαίνομαι ἰοῦτον ἄξιοι ἦναι ἐπισήμῳ ἰεγεσουργία ὑπὸ ἰῆς Ὀμετέρας Ἁγιώτητος εἰς ἰὸν Ελεγχον ἰῶν Ἁγίων καταχογιοθῆναι.

✠ Ὁ Μητροπολίτης Δραμας Μελέτιος

Ejusdem versio.

BEATISSIME PATER

Ad cathedram Sanctitatis Vestrae sistit Beatus Michael De Sanctis qui tot aerumnas et calamitates usque ad mortem pro nomine Jesu aequo animo pertulit, et per quem Deus

Optimus Maximus innumera prodigia patravit. Quare humillime censeo dignum ipsum esse qui solemni ritu a Sanctitate Vestra Sanctorum fastis adscribatur.

Meledius.

Beatissime Pater

Benedictus Deus, et Pater Domini Nostri Jesu Christi, qui Tuam Sanctitatem, dum tot, tantisque angustiis, pro suae Ecclesiae gloria aliunde premitur, Ipse in Sanctis suis Eam consolatur.

Pro certo, et indubitato habere quidem debemus, Spiritui Sancto et Tibi, qui unus, verus, legitimus, atque fidelis apostoli Petri es successor, jam bonum, et justum visum esse, una cum aliis viginti sex Japoniae Beatis Martyribus, etiam Beatum Michaelem De Sanctis, Sacerdotem, in Albo Sanctorum recensere: et ideo, ego quoque, una cum aliis Venerabilibus Patribus hic praesentibus, Tuam Beatitudinem humillime deprecari audeo, ut hoc quam citius exequatur, eoquod Deo Nostro pergratum fore ambigere nemo potest.

Verumtamen, Sancte Pater, ut gaudium Tuum plenum sit, Beatissima Virgo, semper Immaculata, cum omnibus istis Beatis, apud Deum totius consolationis, intercedant exopto, et precor, ut Christiani, qui Spiritui Sancto resistunt, praesertim illi, qui sacro quoque sacerdotali charactere sunt insigniti, quique tamen dispersi errant in capite omnium platearum, resipiscant, atque quamprimum vere poenitentes, et ante Tuos sacros pedes humillime videas provolutos, ut sic gaudium Tuum a Te nemo tollat.

Ignatius Episc. Crien.

Beatissime Pater

Cuncta quae ex decretis S. Sedis in Sanctorum Canonizatione requiruntur, in causa B. Michaelis De Sanctis, Sacerdotis professi Ordinis SS. Trinitatis Fratrum discalceatorum Redemptionis Captivorum, in eximio gradu adesse ex actis a Congregatione SS. Rituum communicatis abunde constat.

Nedum enim beatus ille servus sobrie sibi, proximo juste, pie erga Deum vixit in hoc saeculo, sed generatim virtutum theologalium et moralium heroicum exemplum praebuit.

Dignus proinde meo judicio, ut ut exiguo, qui Sanctorum catalogo inseratur; ut et illi debitus honor dicetur, et fidelium pietas ac devotio, speciatim erga passionem D. N. J. C., SS. Eucharistiam, atque Beatam et Immaculatam Virginem Mariam excitetur magis, tantique Patroni intercessione augeatur.

In quem finem omni cum subjectione Canonizationis decretum solemne a Beatitudine Tua implorare ausim.

✠ G. P. Wilmer Ep. Harlemen.

Perlecto attentissime compendio vitae, virtutum et miraculorum, necnon actorum in causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis, non possumus non mirari quam accurate et sapienter causa praesens introducta atque pensata fuerit. Censemus igitur valde optandum esse ut procedatur ad Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis.

Solemnis ille actus apostolicae potestatis erit, confidimus, amantissimo Domino Nostro Pio IX, diebus illis malis, solamen simul ac bene meritum tutamen, nec non nova et foecunda aedificationis causa universo orbi catholico.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ L. Carolus Ep. Claromonten.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis, qui consummatus in brevi explevit tempora multa postquam ob heroicas virtutes, extraordinaria charismata, signaque plurima tam in vita quam post mortem a Deo ipsius intercessione patrata ad altarium honores a Pio VI clarissimae memoriae fuit evectus, alia adfuere, eodem invocato, prodigia a Gregorio XVI felicis recordationis adprobata quibus Rex omnipotens majori dignum honore patefecit. Quapropter ad fidelium corda, mundo frigescente, divino igne inflammanda, quo Beatus Michael aestuabat, eumdem dignissimum censeo qui ab infallibili apostolatus Tui voce in Sanctorum numerum referatur.

✠ G. Sillani Ep. olim Terracin. Setin. et Priv. Mis. Ap. Cong. a Pret. Sang. nuncup.

Beatissime Pater

Deus qui est Sanctus in omnibus operibus suis, in Beati Michaelis De Sanctis glorificatione, sicut et in illius sanctificatione mirabilis fuit. Nam in sua Divina Providentia, quae nunquam fallitur, omnia suaviter ac fortiter disposuit ut illius humilis sui Servi causa Canonizationis, duobus abhinc saeculis secundis auspiciis suscepta, ad hoc usque tempus quo omnes rebelles humanae passiones, tanquam portae inferi, adversus Ecclesiam Christi praevalere contendunt, sisteret, illumque contemptibilem eligere videretur, ut mundi fortia confundat.

Ex illius enim vitae, virtutum ac miraculorum compendio constat donum sanationis cancerosi humoris inter alia innumera, ipsi a Deo concessum esse, ut omnibus appareret altarium honoribus dignum esse censendum. Unde ante indultam venerationem, Maria Aegidii Gil a tumore

canceroso in mamma subito ejus ope sanatur, ac post Beatificationem, tumor idem cancerosus et exulceratus ab ore Franciscae Navarrete-y-Sanz, novendiali supplicatione ad ejus honorem absoluta, absque ullo artis chyrurgicae medio, prolabitur, nec ullum ibi aliquod teterrimi ulceris vestigium permansit.

Num, Beatissime Pater, splendidius gratiae miraculum ex illius Beati potenti virtute speratur, si ampliori honore, scilicet solemni Canonizatione exornetur. Nam doctrina impia quae ut cancer serpit ad gentes seducendas easque ad rebelliones ubique impellendas, ejus meritis ac orationibus, penitus eradicabitur.

Cum igitur, ex Tuo Apostolico decreto constet, Sanctissime Pater, tuto procedi posse ad Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis, illius Dei Servi Nomen in Sanctorum Albo, divina Vestra Potestate, dignare inscribere, ut destructis singulis erroribus, omnes veritates in hoc mundo fulgore novo fulgeant. Da, Beatissime Pater, hunc insignem honorem SS. Trinitati, hanc maximam laetitiam moerenti Sanctae Matri Ecclesiae Catholicae, hoc novum ornamentum ac decus universo Ordini SS. Trinitatis.

Da nobis omnibus qui ex universis terrarum partibus ad sacros Pedes Tuos hic sumus cum tanto filiali affectu congregati, hoc auxilium potentissimum ut, sub protectione hujus Beati ac omnium curiae coelestis Sanctorum, possimus corde magno animoque volenti populos nostrae curae a S. Sede creditos non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo operis informare, ac Ecclesias nobis a Te commissas in statu tranquillo ac pacifico, inter tantas procellas regere et gubernare valeamus.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Ig. Ep. Marianopolitan.

Beatissime Pater

Sanctitas Tua, quam in gubernanda Christi Ecclesia mirum in modum a Spiritu Sancto agi compertum est, prudentissimo sane consilio in hac temporum acerbitate peragendam statuit Beati Michaelis De Sanctis Canonizationem. Quum enim inter ceteras, quibus ille eminet, praerogativas praecipue effulgeat ipsius intemerata ac veluti angelica castimonia, confidamus oportet, eum divinam exoraturum esse clementiam, nec non Immaculatam Dei Genitricem Mariam, ad quam Christianus populus nunquam frustra clamavit, ut scilicet conatus impiorum obtundant, *qui*, ut ait Apostolorum Princeps, praesentibus, ut ita dicam, Ecclesiae hostibus innuens, *post carnem in concupiscentia immunditiae ambulantes, dominationemque contemnentes, audaces, sibi placentes, sectas non metuentes introducere, blasphemantes*, fidelium mores depravare obnituntur, ut sic facilius mentem subvertere, fidem extenuare, ac daemoniaca consilia sua ad exitum perducere valeant. Ego itaque prae oculis habens quae consideranda sunt, non modo affirmativum profero suffragium, verum etiam Sanctitatem Tuam deprecor, ut de ejusdem Beati Canonizatione Apostolicum ac decretorium judicium pronuntiare digneris, per quod profecto laetificabitur Sancta Mater Ecclesia, quae praesertim apud italas gentes plena est amaritudine et ejus filii in tot periculis constituti ad ejusdem Sancti premenda vestigia incitabuntur; ipsis enim in adscribendo Sanctorum albo famulos Dei Sanctitas Tua illa repetit Apostoli verba: *Sic currite, ut comprehendatis.*

Romae 24 Maji 1862.

✠ Joseph Ep. Aquini, Pontis Curvi, ac Sorae.

Beatissime Pater

Ego Episcopus Gandavensis accedo unanimi voto Sacrae Congregationis Rituum dato in comitiis generalibus III nonas Septembris anni 1861. Hinc S. V. humiliter deprecor ut quantocyus procedere dignetur ad solemnem Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis SSm̃ae Trinitatis Fratrum discalceatorum redemptionis captivorum; Deumque omnipotentem per ejus intercessionem exoro ut captivos antistites, Sacerdotes et fideles in ditionibus Italiae duro carcere inique detentos a vinculis proxime solvat ac sanctae libertati restituat, auxiliante quoque Beata Virgine Maria sine labe originali concepta.

Die 24 Maji 1862.

✠ Ludovicus Iosephus Ep. Gandaven.

Ardentissima caritate, quae vinculum perfectionis est, ita in Deum et proximum exarsit, B. Michael novum Hispaniae decus, ut et innumerabilibus Divinae bonitatis donis eum misericors Deus ditatum voluerit, et praeclarissimo ac prorsus raro prodigio Christus ipse divini sui cordis mysticam commutationem cum corde illius inire dignatus sit. Quare eum, etiam post mortem miraculis clarum, meritissimum judico, ut supremo Sanctitatis Vestrae oraculo, cui me humillime submitto, inter coelites adscribatur.

✠ Lud. de Besi Ep. Canopen.

Beatissime Pater

Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitae innocentiam pari cum poenitentia sociavit, haec eadem gratiae suae dona illustria etiam in Beato Michaele De Sanctis

coruscare voluit, ornans eum virtute omnigena et signis et miraculis. Quare ut augeatur honor Omnipotentis, ut Ecclesiae sanctae nostrae novum addatur decus et ornamentum, ut Christifidelibus novum praebeatur exemplum et praesidium, humillime supplico, ut Sanctitas Vestra beatum Michaelem De Sanctis in numerum Sanctorum adscribere clementissime dignetur.

✠ Georgius Antonius Ep. Herbipolen.

Beatissime Pater

Nudius tertius, Cardinalium, Archiepiscoporum et Episcoporum una fuit vox, una postulatio, ut Sanctitas Tua Martyrum choro Japonenses viginti sex Martyres inscriberet. Nunc Confessorum chorus parem honorem expectat.

Romanarum Congregationum sapientissimo judicio de Beati Michaelis De Sanctis angelica prorsus vita, omnino adquiesco; atque ideo pro ejusdem solemni Canonizatione tot Episcoporum vocibus meam ipse vocem ac postulationem adjicio.

Ita, Beatissime Pater, dum Martyrum simul et Confessorum choris novos addis honores, simul Tibi, et Romae, atque Ecclesiae universae novum ex utrisque patrocinium concilias.

Die 24 Maji 1862.

Thomas Josephus Brown O. S. B. Ep. Neoporten.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis tamquam lilium effloruit ante Dominum, et quamvis mira innocentia niteret, mortificationem tamen Jesu semper in corpore suo circumferens

exultavit ut gigas ad currendam poenitentiae viam. Ejus vita fuisse abscondita cum Christo in Deo verissime dici potest; non vixit enim nisi Deo, cujus caritate et contemplatione ita jugiter afficiebatur, ut inter Coelites potius quam inter homines versari videretur. Huic eximio Confessori suo mirabilis ipse Deus variis voluit testimonium perhibere modis. Aequum igitur justumque arbitror, ut laudes ejus ubique nuntiet Ecclesia, supremisque Sanctorum honoribus ille a Te, Beatissime Pater, augeatur. In tanto viro, qui brevissimo suae vitae lapsu explevit tempora multa, habebunt homines quid mirentur, habebunt quid imitentur, hisce praesertim corruptionis impietatisque temporibus: habebit novum Ecclesia patronum, alterum Michaelem, qui exurget in adjutorium populo Dei.

Die 24 Maji 1862.

Carolus Ep. Tiburtin.

Beatissime Pater

Qui mirabilis est, Deus, in Sanctis suis, mirabilis prorsus extitit coelestibus charismatibus in Beato Michaele De Sanctis ex Ordine Reformatorum Sanctissimae Trinitatis excalceatorum Sacerdote professo.

Supernis namque quum ditatus fuerit virtutibus, eas in gradu heroico exercuisse constat. Suae vero poenitentiae et mortificationis spiritu, animi corporisque candore, ferventibus praecipue in Deum extasibus, et in proximos caritate ad extremum usque vitae, Beatum Michaelem percharum fuisse Domino, rite probatum, et satis superque exploratum est.

Quum insuper Servi sui Sanctitatem ante et post mortem miraculis ita testatam voluerit Deus, ut tuto ad so-

lemnem ejus Canonizationem deveniri posse jam Sanctitas Tua declaraverit; humillimis idcirco exoro precibus, Beatissime Pater, ut, si Tibi placuerit, suprema et divina, qua polles in Christi Ecclesia auctoritate, decernere digneris, B. Michaelem in Sanctorum coetum adnumerandum, ac duliae cultu venerandum esse, ad altiorem ejus in terris glorificationem, ad majus inclyti sui Ordinis decus et incrementum, maxime vero ad majorem Dei gloriam, cui soli in aevum laus, honos et benedictio.

Hmus Addmus Obmus Servus et Sub.
N. Ep. Mandelen. et Ab. S. Salvatoris Majoris.

Beatissime Pater

Mater Ecclesia se Sanctam semper proclamat et in Electis Sanctitatem suam exhibet. Strenuus sane hic miles Christi Michael De Sanctis novum nobis dedit admirabile sanctae vitae exemplum, quam Deus luculentissimis adornavit miraculis. Quumque nostra hac infelici aetate hominum perversitas peccatum negans, Sanctitatem neget, et gratiam respuens, coelestem sibi patriam praecludat, Sanctis, Beatissime Pater, adscribas hunc, quem Sanctum demonstrant virtutes et miracula, ut mundus incredulus resipiscens tandem in Christo Jesu salutem agnoscat, fideles eant de virtute in virtutem, et glorificetur Sancta Dei Ecclesia.

✠ Nicolaus Ep. Spiren.

Sic elucet, Beatissime Pater, Sanctitatis veritas, ac miraculorum claritas in Beato Michaele De Sanctis, ut quemadmodum perspicuis meritis mirabilis extitit in terris, sic etiam gloriosus in coelis a Sanctitate Vestra jure merito

declarari posse sentiam. Ejus Canonizatio Deo honorem, Angelis laetitiam, et Sanctae Romanae Ecclesiae, Matri nostrae dilectissimae, hisce lugendis temporibus, consolationem et opem afferet.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Joannes Ep. Caducen.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis consummatus in brevi virtutum tamen apicem assecutus est. Quoniam dilexit cordis munditiam habuit amicum Regem coelestem, cujus munere innumerabilibus acque ac pretiosissimis donis in vita ditatus, post obitum insignibus claruit miraculis. Quamobrem, Beatissime Pater, Sanctitati Vestrae, quaeso, placeat ipsius solemnem Canonizationem supremo suo judicio decernere.

Die 24 Maji 1862.

✠ Paulus Ep. Meten.

Beatissime Pater

Solis ad instar Beatus Michael quotidie novo passu auspicatus est virtutis tramitem, sicque tuto pede pergens sancte finivit, quia quotidie sancte incepit. Quo diligentius celaret, quibus fulsit ferbuitque, lumen et flammam, eo cumulatius ipsi coelitus affundebatur oleum, et heroicas virtutes, quas ipse solus B. Michael ignoravit, et ab omnibus ignorari voluit, multimodis Deus confirmando miraculis orbi denuntiavit universo. Qui ergo evidenter fuit in terra de Sanctis, dignus videtur, Beatissime Pater, ut solemniter declaretur de Sanctis in coelo.

✠ Andreas Ep. Argentinen.

Beatissime Pater

Regius Psaltes a Spiritu Sancto edoctus in Psalmo XIV distincte enumerat illas omnes virtutes, quibus elucere debet homo, ut possit introire in tabernaculum Domini. Beatum Michaelem De Sanctis Sacerdotem Professum Ordinis Sanctissimae Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis Captivorum, non solum eas virtutes possedisse, quas Propheta enumerat, sed et quod maximum est, innocentiam illam quam in Baptismo acceperat conservasse, ex actibus jam a Sacra Rituum Congregatione in trutinam positis, luculenter constat. Concludit idem Psaltes « Qui facit haec non movebitur in aeternum ». Si Beatus iste Michael in aeternum non movebitur a tabernaculo Domini, et Tu, Beatissime Pater, qui locum Dei tenes in terris, non defraudare istum eadem Aureola Sanctitatis, jam concessa Martyribus Japonensibus, humillime deprecor.

Fr. Petrus Ecclesiae Sappaten. Ep.

Beatissime Pater

Nostrum exquiritur suffragium circa illius beati viri Canonizationem qui, uti compendiosa vita, virtutum ac miraculorum ejus historia refert, ea conspicuus est vitae sanctitate, quam nunquam gravis peccati macula aspersit; quin imo nec carnis concupiscentia suis illecebris, ac inhonestis speciebus offuscare unquam tentavit; quae ex heroico virtutum exercitio, ac perfecta consiliorum evangelicorum observantia exsurgit; quamque ipse Deus indubiis miraculis post ipsius obitum, ac ipsius beatificationem mundo testatam esse voluit. Haec porro omnia indubie constant ex processibus desuper institutis, S. Rituum Congregationis votis ac

Summorum Pontificum decretis, quae desuper in Beatificationis causa ac postmodum lata fuere.

Quapropter pronum prorsus est emittere suffragium; nil videlicet obstare, quominus quantocius ad Beati Michaelis De Sanctis ex Ordine Fratrum Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis Canonizationem tuto procedatur ut sic tanti viri insertione suum Sanctorum Album adauctum esse laetetur universa Ecclesia, ac novum eumque potentissimum in suo cive patronum illud imprimis nanciscatur regnum, cujus Regina sese glorioso majestatis catholicae titulo tantopere dignam demonstrat, atque hac difficillima tempestate adeo rarum summae adhaesionis ac sincerae devotionis erga Sanctam Petri Sedem praebet exemplum.

✠ Petrus Josephus Ep. Sedunen.

Beatissime Pater

Habita ratione eorum, quae in compendio vitae, virtutum et miraculorum nec non actorum in causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis enucleata sunt; censeo tuto procedi posse ad ejusdem Servi Dei Canonizationem, Teque Pater Sanctissime! in genua procumbens humillime precor, ut jam Beatum Michaelem De Sanctis in album Sanctorum irrefragabili auctoritate Tua referre digneris.

Die 24 Maji 1862.

Gaspar Borowski Ep. Luceorien. et Zytomorien.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis Sacerdos Professus Ordinis Reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis Captivorum, Ecclesiam Christi mira caritate, ac mi-

raculorum splendore illustravit. Quapropter sententiis tot Eminentissimorum ac doctissimorum Antistitum qui suffragia sua jam dederunt inhaerens, Beatitudinem Vestram enixe rogo ut eumdem Beatum Michaelem in Sanctorum album recensere dignetur.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Carolus Ep. Clogherien.

Beatissime Pater

Quum in mystico Ecclesiae horto rosae non minus quam lilia efflorescant, recte Athletis purpurea veste indutis is quoque, qui candida coopertus stola refulget, Beatus Michael De Sanctis Ordinem Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum professus adjunctus cernitur.

A teneris annis divina gratia praeventus, in sortem Domini dein vocatus, ac religiosam vitam amplexus tanto animi candore; tanto insignium splendore virtutum enituit, ut misericordissimo Domino admirabiles in Ejus corde ascensiones disponere, crebris eum charismatibus locupletare, et signis atque portentis tum viventem, tum mortuum gloriosum reddere placuerit: quemadmodum ex actis a Sacrorum Rituum Congregatione rite confectis, et summatim in vulgus editis manifesto eruitur.

Quare, Pater Sanctissime, ut Beato etiam Michaeli, juveni vere angelico una cum Martyribus Japonensibus supremos decernere Ecclesiae honores, et ita juventuti novum proponere exemplar, et providere Patronum, sanctamque simul Ecclesiam tot aerumnis confectam quodammodo solari, eamque reapse reddere matrem filiorum laetantem digneris, oro, et exoro, ac perhumiliter obtestor.

Ego Bernardus Maria Ep. Ferentin.

Coronam viginti sex Sanctorum Martyrum Japonensium, quam Altissimi solio Sanctitas Vestra, divino afflata Spiritu, proxima ac praeclarissima celebritate formabit, claudit Beatus Michael De Sanctis ex Ordine Fratrum Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis ad redimendos captivos, qui adhuc vivens ardenti in Deum caritate, maximoque in proximum amore flagravit, ideo misericors Deus, qui est mirabilis in Sanctis suis, eum et in vita et post mortem miraculorum dono illustravit, quemadmodum ex indubiis monumentis perspectum est. Quapropter dignissimum reor, ut Sanctitas Vestra in Sanctorum fastis ipsum adscribat, uti etiam atque etiam a Vestra Beatitudine supplex enixeque exoro.

Datum Romae in Conventu S. Bartholomaei ad Insulam die 24 Maji anno 1862.

Fr. Urbanus Bogdanovich Ep. Europen. et Adm. Ap. Scopien.

Beatissime Pater

Quis ut ille Beatus Michael, quem fecit innocentia angelum, poenitentia martyrem, divini amoris incendium ineffabilem cordis sui pro corde Jesu negociatorem? Qui dum viveret similis factus est in gloria Sanctorum, et splendidis post mortem miraculis coruscavit. Hunce, infallibili pacatissimi tui cordis edicto, Sanctorum albo tandem inscriptum exultabunda excipiat Ecclesia.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Jacobus Maria-Joseph ol. Ep. Lucionen.

Beatissime Pater

Beatum Michaelem De Sanctis presbyterum Ordinis SS̃mae Trinitatis albo Sanctorum Sanctae Apostolicae Sedis judicio opinor esse adscribendum, arctissimae ejus poeni-

tentiae causa pari et hujusmodi cum vitae innocentia sociatae, ut juste conjiciatur, gratiam baptismo adeptam nunquam eum amisisse: evincitur quoque ex actis, illius sanctitatem signis et prodigiis a Deo fuisse probatam: demum Beato Michaeli honore solemnioris cultus tributo, pueruli et infantes a pietate ejusdem adhuc tenelli erga Matrem Dei virginum amantissimam; adolescentes, juvenes, quisque ex regularibus, et clericis, ceterique Christifideles ab ipsius pro aetate et conditione heroicis gestis habent, quod imitentur etc.

Joannes Baptista Pellei Ep. Aquipendien.

Beatissime Pater

Compendio circa vitam, virtutes et miracula nec non acta in causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis sacerdotis professi Ordinis SS. Trinitatis Fratrum discalceatorum redemptionis captivorum attente perlecto inhaesitanter censeo, tuto et opportune ad eximii illius Servi Dei Canonizationem procedi posse. Quapropter humillimum votum meum tot et tanti ponderis jam emissis votis adjungo, ut Beatitudo Tua, cujus sententiam ut ipsius Christi decretum reverenter expectamus, Beatum, de quo agitur, Sanctorum albo inscribere dignetur.

Romae die 24 Maji 1862.

Stephanus Marilley Ep. Lausanen. et Geneven.

Beatissime Pater

Cum ex Sacrae Rituum Congregationis perscrutatione constet, sanctitatem adeo praeclaram atque sublimem in Beato Michaele De Sanctis eluxisse, invocationemque ejus

potestatem habere apud Dominum Deum nostrum; Sanctitatem Vestram humillime rogo ut eum inter Sanctos ab Ecclesia universali colendos adnumerare dignetur.

Gulielmus Bernardus Ullathorne Ep. Birmingbamien.

A. M. D. G.

Beatissime Pater

Fidelem Servum, et prudentem se Deo in terris exhibuit Beatus Michael De Sanctis qui humilitatem patientiam ceterasque virtutes sedulo exercens nihil per ostensionem finxit, vera dilexit, falsa devitavit, bona gratis obtulit, pro veritate contumeliam lucrum putavit. Sicque vitam traducens suam cum vigili hoste indefesse conflixit, adeoque promeruit supernis charismatum donis locupletari, et divino quo aestuabat amore saepe etiam in extasim rapi. Miracula insuper quibus Deus Beati Michaelis vitae sanctitatem confirmatam voluit, satis demonstrant voluntatem Dei esse, ut gloria quam suis meritis in coelis jam obtinuisse credendum est, ad militantis Ecclesiae praesidium et decus, splendeat etiam in terris; ac propterea aequissimum esse arbitror, ut tam eximius Religiosae perfectionis cultor populorum imitationi, et venerationi proponatur, et solemni decreto Sanctitatis Vestrae in Sanctorum Confessorum numerum referatur.

✠ Aloysius Ricci Ep. Signin.

Beatissime Pater

Mature perpensis actis authenticis Sacrae Congregationis Rituum in causa Canonizationis B. Michaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis Sanctissimae Trinitatis Fra-

trum discalceatorum redemptionis captivorum. Vidi illum praeditum fuisse virtutibus tum theologalibus tum cardinalibus, et miracula plura operatum: pariterque vidi omnes praefatae Rituum Congregationis actus fuisse canonice peractos; ideoque judico B. Michaelem De Sanctis dignum esse ut in Sanctorum album, si Sanctissimo Domino placuerit, adscribatur.

Romae 24 Maji 1862.

✠ Josephus Augustus Victorinus de Morlhon Ep. Anicien.

Perlecto Compendio de vita sancta, virtute heroica, et morte in conspectu Domini pretiosissima Beati Michaelis De Sanctis, nec non de miraculis divinitus post ejus mortem concessis, riteque probatis, censeo, si Tibi, Beatissime Pater, placuerit, tuto posse ad Servi Dei Canonizationem procedi; quod etiam multum, hisce temporibus, ad Dei gloriam, utilitatemque Ecclesiae profuturum esse judico; ideoque iterum atque iterum, Beatissime Pater, humiliter peto ut Beatus, de quo agitur, Albo Sanctorum adscribere digneris.

Romae die XXIV Maji MDCCCLXII.

Joannes Timon Ep. Buffalen.

Beatissime Pater

Constat Beatum Michaelem De Sanctis Sacerdotem professum Ordinis reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, jugi virtutum omnium exercitio enituisse, quod Deus etiam pluribus miraculis testatus est. Quapropter censeo hunc Beatum in album Sanctorum a Beatitudine Vestra esse recensendum.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Guillelmus Keane Ep. Cloynen.

Beatissime Pater

Inter ingentem Beatorum numerum, quos cum Christo in Coelis regnare, Sanctus Joannes in Apocalypsi docet, Beatus Michael De Sanctis non sine speciali Dei providentia hac nostra aetate electus videtur, ut ad summum gloriae fastigium coelitibus concessum extollatur. Quamvis enim in benedictionibus dulcedinis praeventus, novus iste Aloysius, jam se totum adhuc puer divinis rebus addixerat, ad altioresque christianae perfectionis ascenderat gradus; dum quadam die impensius orationi vacaret, mira praedefuncti patris apparitione ad religiosae vitae institutum Dei nutu se vocari intellexit, ac statum illùm, qui religiosus dicitur, quemque totius rei christianae contemptores miserrimis hisce temporibus invisum facere satagunt, hunc angelicus juvenis, novo innocentis vitae exemplo, novoque virtutum omnium splendore, illustriorem reddidit.

Cum vero praeclaram Servi sui sanctitatem Deus Optimus Maximus quamplurimis voluerit testatam miraculis; ut ipsamet, si Sanctitati Vestrae placuerit, supremo hujus Sanctae Sedis judicio firmetur, cum universo Hispaniarum Regno, totaque Sanctissimae Trinitatis discalceatorum familia suppliciter, enixeque expostulo.

D. Joseph Maria Benedictus Serra Ep. Daulien.

Beatissime Pater

Deus qui consolatur in Servis suis magnopere consolatus est in Servo suo Beato Michaele De Sanctis ex Ordine SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum, quem et dum viveret et post mortem tantis et peculiaribus gratiis exornavit, ut haec Sancta et Apostolica Sedes Pontifice

Maximo Benedicto XIV bon. mem. pronunciaverit ipsum in gradu heroico coluisse virtutes tam theologales, quam cardinales et earum adnexas, et Summus Pontifex Pius VI feiic. rec. ipsum solemniter in Beatorum album retulerit.

Tibi, Beatissime Pater, Divina Providentia reservavit huic Beato supremos decernere honores. Quamvis enim sedente in Petri cathedra Gregorio XVI fel. rec. Tuo Praedecessore causa Canonizationis hujus Beati in Sacrae Rituum Congregationis comitiis pertractata fuisset, et declaratum esset constare de miraculis; attamen decretorium judicium prolatum fuit in Sacra Rituum Congregatione coram Sanctitate Tua habita III Nonas Septembris elapsi anni, quo definitum fuit tuto procedi posse ad solemnem B. Michaelis De Sanctis Canonizationem. Cui sapientissimae definitioni ex animo assentior, ut Beatus Michael De Sanctis qui fuit ex Ordine redemptionis captivorum dignetur intercedere apud Deum pro tot captivis, quos hisce miserandis temporibus inflatos falsa sapientia antiquus hostis sibi captivat.

Paulus Dodmassei Ep. Alexien.

Beatissime Pater

Novis miraculis, iisque praeclarissimis, quibus Beatus Michael post indultam venerationem coruscat, satis superque demonstrant, ipsum a Deo ad altiora vocari. Igitur censeo, eum oppido esse dignum qui a Sanctitate Tua Sanctorum albo adscribatur, atque enixis precibus idipsum efflagito.

✠ Angelus Parsi Ep. Nicopolitan.

Beatissime Pater

Quum perlecto compendio vitae, virtutum et miraculorum, nec non actorum in causa Canonizationis Beati Mi-

chaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis SS. Trinitatis Fratrum discalceatorum redemptionis captivorum dubium relinqui mihi non videatur, tuto posse procedi ad solemnem Canonizationem ejusdem Beati, adstipulari votis, quae humillime expostulant, ut ad hanc Canonizationem procedatur, si Sanctitati Tuae placuerit, minime haesito.

Romae XXIV Maji 1862.

✠ Joannes Georgius Muller Ep. Monasterien.

Beatissime Pater

Qui de excelso misit ignem in corde B. Michaelis De Sanctis Ordinis SSmae Trinitatis redemptionis captivorum etiam foras erumpere voluit ut alios erudiret. Hinc admirabiles quas ipse patiebatur extases, hinc ejus ardor in proximorum salute procuranda, hinc singularis ipsius vitae perfectio. Nec minus caritati Servi Dei, quae major est aliis, ut ait Apostolus, ceterae famulari virtutes visae sunt; dignus sane quocum Christus suum cum ejus corde mystice permutaret. Nil mirum igitur, si florente adhuc aetate divini amoris flamma intus magis ustum quam vi morbi fractum exterius properaverit illum Dominus educere de medio iniquitatum, et miraculorum dono fulgentem reddiderit.

Quibus omnibus jam rite probatis, censeo submisse ac precor, Beatissime Pater, ut praelaudatum B. Michaelem solemni Canonizatione Sanctorum fastis adscribas.

✠ Camillus Ep. Corneti et Centumcell.

Beatissime Pater

Rite, et recte peracta causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis, Sacerdotis Ordinis Sanctissimae Trini-

tatis redemptionis captivorum, humiliter, necnon et fidenter sententiam ultimam ab ore juridico Beatitudinis Vestrae audire desidero, et exposco.

FR. DOMINICUS EP. SEGOBRICEN.

BEATISSIME PATER

Attentis omnibus quae referuntur de vita et miraculis B. Michaelis De Sanctis, de ejus innocentia quam a primaeva aetate immaculatam servavit, de asperrimis afflictationibus quarum ope libidinis ignem extinxerat, de stupendis et numerosis prodigiis ab ipso patratis, censeo, si Sanctitas Vestra opportunum duxerit, illum Catalogo Sanctorum esse adscribendum, ut qui juventutis exemplar et vitae christianae religiosaeque norma in terris fuit, adaucta in eum fidelium devotione, potentior in coelis intercessor existat.

✠ M. JULIAN. EP. DINIEN.

BEATISSIME PATER

Vitae ac morum Sanctitas Beati Michaelis De Sanctis Ordinis Fratrum discalceatorum Sanctissimae Trinitatis, ac praestantissimus virtutum omnium cultus, ad perfectionis evectus apicem; ita ut mundo valedicens, *Eligant sibi alii partes quibus fruantur terrenas*, ait, (ut verbis utar Divi Augustini in Ps. 15,) *portio sanctorum Dominus aeternus est: bibant alii mortiferas voluptates, pars calicis mei, Dominus est*, quammaxime populo christiano et utilitatis exemplum fiet, et imitationis.

Hinc optime riteque perspecta miraculorum gloria,

et ab Sacrorum Rituum Congregatione perfuncta, ut mos est, ad unguem Apostolicarum praescriptionum, ad supremum Catholici cultus gradum tuto evehi posse judico.

Romae 24 Maji 1862.

✠ Felix Ep. Aurelianen.

Beatissime Pater

Quo magis confido fore, ut fides in animis multorum Christianorum misere labefactata, debilitatave morum disciplina per eximium in Beato Michaele De Sanctis fidei virtutumque exemplum Canonizatione ejus ad imitationem proponendum, extenuatave in non paucis Ecclesiae filiis prava malevolorum S. Sedis Pontificiae inimicorum arte seductis erga Petri Cathedram pietas novo iterum Sanctitatis Tuae in omnium nostrum sanctificationem directo Apostolicae Providentiae documento roboretur, intercessioneve Sancti Michaelis precibus fidelium exoranda amplius capias incrementum: eo ardentius Sanctitatem Tuam exoro, ut Beatum Michaelem De Sanctis glorioso Sanctorum Ecclesiae albo adlegendum jubere digneris.

Ludovicus Haynald Ep. Transylvan.

Beatissime Pater

In flebili hac, quae in Ecclesia veritatis ac justitiae firmamento, oborta est, tempestate, ubi tot tantique, agnitae veritati resistentes, a veritate auditum imo et mentem ac animum avertunt, et ad mendacia convertuntur, et ea, quae e mendaciis, quorum auctor homicida fuit ab initio, progi-

gnuntur furta rapinas ac latrocinia, ubi tumentes spiritu omne, quod non suum, jus gentium in jus latronum vaferrima versutia vertentes, prehendunt, ac sancta quaevis dilacerant, de quibus, vae ingeminans Christus Dominus dixit: vae per quem scandalum venit, amaris hisce, quibus illacrymamur diebus, expedit imo Dei digitus innuit, ut ii, et eminenter Beatus Michael De Sanctis, qui veritatem et illam quidem coelestem quam lux mundi illucescere fecit, verbo ita confitebatur ut eamdem etiam vita moribus fateretur, qui intemerato corde, mente Deo adglutinata, abnegationi humilitati obedientiae, Dei gloriae, salutisque proximorum studio, aljisque virtutibus semet immolavit, quo exemplo ejus (nam actu leo palam rugiens, et clam circuit quaerens quem seducat) : quo exemplo Beati nostri etiam alii glorificent Patrem coelestem atque parare plebem Domino perfectam contendant in justitia et sanctitate veritatis, velut candelabrum exaltetur, et videatur ac colatur imitatione ab omnibus, porro ut idem Beatus, qui fideliter secutus fuit eum qui in hoc natus fuit et in hoc venit in mundum ut testimonium perhiberet veritati in terris et in coelo coram Patre coelesti. Quoniam eapropter in Beato hocce Deus ipse sibi complacuisse jamque patratis miraculis docuit, omnino in Sanctorum album relatus, irrefragabili auctoritate Sanctitatis Vestrae declaretur.

JOANNES RANOLDER EP. VESPRIMEN.

Michaelem nomine ac opere De Sanctis inter Sanctos, Beatissime Pater, adnumerandum ipse ostendit Deus; qui, de terra servum suum super aras spiritus sui impetu rapiens, locum ejus videtur designasse, ut aris imponatur et coelesti testimonio Apostolicae vocis praeconium praevenisse.

✠ PETRUS EP. MOLINEN.

Գերերջանիկ Հայր

Երանելին Միքայէլ Տէ Սանքթիս աստուածային և եղբայրական սիրոյ եռանդեամբ այնպէս իմն վառեալ բորբոքէր, զի նուիրեալ էր զանձն իւր բովանդակ Աստուծոյ վասն մարդկան, և մարդկան վասն Աստուծոյ։ Ի բաց թողում զքաջանշելիս զորս գործեաց նովաւ Ամենակալն Աստուած։ Վասն այսորիկ անկ և արժան համարիմ զի ՚ի կարգ Սրբոց դասեսցի, և զայդ իսկ եռանդագին և խոնարհաբար ՚ի Սրբութենէ Ձերմէ խնդրեալ պաղատիմ։

✠ Յ. Վ. Առաքեալ
Եպիսկոպոս Տրապիզոնի։

Ejusdem versio.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis eximia in Deum caritate, maximo in proximum amore adeo efferbuit, ut totus Deo pro hominibus, totus hominibus pro Deo se praebuerit. Mitto prodigia quae per eum a Deo Optimo Maximo patrata sunt. Quapropter dignissimum reor ut Sanctorum fastis adscribatur, quemadmodum a Sanctitate Vestra instantissime et humillime exposco.

D. Josephus Arachial Ep. Trapezuntin. arm. rit.

Beatissime Pater

Utramque, quae ad coelum ducit, viam, innocentiae nempe et poenitentiae, Beatus Michael De Sanctis, infans ingressus, per totam vitam suam prosecutus est, summo in Deum amore flagrans, omnia dilectionis in proximum opera exercens.

Ideo, cum et Deus sanctitatem ejus miraculis comprobaverit, sentio, ipsum dignum esse, qui a Beatitudine Vestra solemni ritu Sanctorum catalogo adscribatur.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Guillelmus Emmanuel de Ketteler Ep. Moguntin.

Beatissime Pater

Post acta in causa Canonizationis B. Michaelis De Sanctis, post mirabilia quae in vita hujus Servi Dei panduntur, post miracula quae ad ejus invocationem patrata sunt, post omnia denique vota clarissimorum Antistitum, nihil modo mihi reliquum est, quam enixe et demisse Sanctitatem Vestram rogare, ut infallibili Oraculo Virum tam eximium totque muneribus ornatum, in Albo recenseat Sanctorum, qui universi fidelium coetus aedificationi et venerationi ab Ecclesia Sancta proponuntur.

Clemens Ep. Mechoacanen.

Beatissime Pater

Aequum ac valde optandum mihi videtur ut Beatorum Martyrum Japonensium coronis Beati Confessoris Michaelis De Sanctis candidissimum innocentiae decus veluti cumulus accedat. Insignia enim, ac luce clariora illius merita, indubia Dei ipsius testimonia, actaque omnia in ejus causa jamdiu absoluta praesto sunt ut summos Coelitum honores Sanctitas Tua ei decernat.

✠ C. F. Ep. Tloanen. Adm. Archid. Quebecen.

BEATISSIME PATER

Propter vitae innocentiam atque heroicas ejus virtutes Beatus Michael De Sanctis mihi videtur omnino talis esse qui in Sanctorum numerum referri debeat.

GUILLELMUS EP. SALFORDEN.

Verae libertatis amore flagrans Beatus Michael De Sanctis ex Ordine SS̃mae Trinitatis discalceatorum Fratrum redemptionis captivorum mundi captivitatem atque illecebras a teneris unguiculis exhorruit, et Sanctorum exempla secutus vitae innocentiam pari cum poenitentia sociavit. Ita auspicante Deipara quam ab infantia amantissime coluit perfectionis verticem assequi meruit, eamque Deus optimus maximus pluribus testatam voluit miraculis.

Itaque ad summum gloriae fastigium Coelitibus datum extollendum esse tutissime arbitror, si Sanctitati Vestrae placuerit.

✠ MATHIAS AUGUSTINUS EP. CIV. CAST. HORT. ET GALL.

Cathalogo Martyrum alterum Confessoribus adscribendum, B. Michaelem, Sanctitas Vestra eadem in Canonizatione scitissime associat. Martyr enim (juxta Chrysostomum) differt a Confessore ceu statua aenea a marmorea. Hinc si exemplar, et trophaeum constantiae videre est in Martyribus Japoniae: exemplar et trophaeum longanimis abnegationis videre est in Confessore Michaele. Quod cum rite constet simul ac de ceteris heroicis virtutibus, et miraculis ad ejus invocationem patratis: idcirco plausum et votum

praestantissimis his Patribus merito adjungo, ut Beatitudo Vestra summos Coelitum honores eidem felicissimo Comprehensori adtribuat.

✠ Cajetanus Ep. Balneoregien.

Beatissime Pater

Lectis ac perpensis actis Beati Michaelis De Sanctis ego quidem hunc gloriosum Confessorem dignissimum esse humillime censeo qui in Sanctorum album cooptetur; quod ut a Vestra Sanctitate, Beatissime Pater, quantocyus fiat, totis ex visceribus opto rogoque.

Ignatius Ep. Santippolytan.

Ad sententiam Eminentissimorum Cardinalium ceterorumque Illustrissimorum Praesulum, qui de egregiis virtutibus ac meritis B. Michaelis De Sanctis, et miraculis ab ipso patratis certiores facti, sua, omnibus rite perpensis, suffragia dederunt, toto corde et plena fide accedens ego, Tuam Sanctitatem pariter rogo et obsecro, ut ad solemnem praedicti Beati Canonizationem in laudem Omnipotentis Dei, in aedificationem ac splendorem Sanctae Ecclesiae, atque fidelium consolationem et exemplum, quamprimum procedere, illumque in albo Sanctorum inscribere digneris.

✠ Joannes Ep. Lingon.

Beatissime Pater

Cum inter Sanctos qui ad caritatis officia exercenda vocati sunt, laetari voluerit misericordiarum Deus in numero atque eminentia eorum quos ad captivorum solatium

et redemptionem suscitavit, dignetur Sanctitas Vestra quae B. Petro Claver Altarium honorem decrevit, excipere preces quibus petimus ut B. Michaelem De Sanctis ad eorum patrocinium suscipiendum nova gloriae corona velit invitare.

Thomas Grant Ep. Sutthwarcen.

Beatissime Pater

Cum, in humili sensu meo, persuasum habeam sapientem Deum suscitasse B. Michaelem De Sanctis, inter ceteros, ut hic suis operibus et vita, istius moderni temporis errorum magistros confunderet;

Cum mihi appareat quod quidquid istius generis novatores vel in indifferentia, vel in ludibrio et contemptu, vel tandem in odio et execratione habent, in hoc tam inclyto famulo Dei splendidissima luce irradiet in demonstrationem veritatis documentorum Ecclesiae, et Spiritus sanctificationis quo tota imbuitur;

Ideo, Beatissime Pater, etiam atque etiam efflagito ut quod, suadente Deo, mirifica miraculorum voce, tam feliciter Vestra Sanctitas incepit, absque dilatione ad exitum perducat; scilicet, ut solemni Decreto B. Michaelem De Sanctis, de cujus virtutibus in gradu heroico constat, necnon et de claris miraculis quibus ante et post ejus Beatificationem Deus Sanctitatem ejus commendavit, ad summum gloriae fastigium Coelitibus tributum extollere dignetur. Quod totum emitto sub oculis magni nostri Dei, ex zelo exaltationis Ecclesiae et animarum salutis.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Joseph Ep. S. Hyacinthi.

BEATISSIME PATER

In Sanctorum albo ii sunt recensendi, qui heroicis virtutibus praediti ita Deo placuerunt, ut eorum vitae sanctimoniam charismatum copia, ac miraculorum gloria Deus illustraverit. Jamvero ex compendio actorum eruitur, Beatum Michaelem De Sanctis non modo virtutibus heroico gradu praefulsisse, sed iis etiam praeclarissimis privilegiis, quae divisim aliis Sanctis obtigerunt: ita in hoc uno admiramur praeclarum illud castitatis donum Divo Aloisio concessum, ut nullimode sive menti, sive corpori repugnantem legem persentiret; item, quod de Sancta Veronica de Julianis legimus, mysticam commutationem cordis sui cum Corde Jesu; quo factum est, ut Divinae plane caritatis incendio flagraret; ac denique, veluti hujus caritatis effectus, in Beato Michaele iteratos aspicimus mirificos raptus, ac volatus, quibus, ad instar Sancti Josephi a Cupertino, supra terrenas omnes cupiditates elevatus, Deum unice appetere videbatur. His vero tam eximiis virtutibus, ac donis miracula accedunt, Divinitatis signa, ac Sanctitatis certissima documenta, quibus ipse mirabiliter coruscavit. Quapropter nil deest, quominus Sanctitas Vestra Beatum Michaelem irreformabili judicio Sanctorum fastis adscribat.

✠ JOSEPH CARDONI EP. CARYSTEN.

Fuit, Beatissime Pater, sicut lilium inter spinas B. Michael De Sanctis dum viveret: nunc vero quemadmodum in triumphanti Ecclesia, ita et in militanti, cui Tu magno Dei beneficio praees, pulcherrimis rosis, Beatis nempe Martyribus Japonensibus sociatus apparet, ut candor ejus nitidissimus purpureis illis floribus circumdatus, magis emicet, atque refulgeat, et odore suo sanctam Ecclesiam in

tantam afflictionem a rebellibus filiis conjectam, recreet, ac laetificet, et ad sectanda vestigia ejus caritatis, mortificationis, ac puritatis omnium christifidelium corda animosque incendat. Quapropter ut summi Coelitum honores tali ac tanto viro solemniter tribuantur valde opportunum, atque utile existimo, et Tuae Beatitudinis infallibile judicium praestolor, et percupio.

✠ Laurentius Biancheri Ep. Legionen.

Tanta, Beatissime Pater, in B. Michaele De Sanctis Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum alumno exuberant verae ac insignis sanctitatis argumenta, ut nulli dubium esse possit illum dignissimum esse, qui eo cultu ac publica veneratione honoretur, quo Ecclesia Sanctos cum Christo regnantes prosequitur. Hic namque, Divinis benedictionibus praeventus, adolescentia, quam omni asperitatum genere circumsepserat, innocentissime transacta, postquam Ordini Redemptionis captivorum nomen dedit, exultavit ut gigas ad currendam Evangelicae perfectionis viam; statimque tanta fecit virtutis incrementa, ut ceteris religiosae perfectionis cupidis miraculum esset, et maturae sanctitatis absolutum exemplar. Diu noctuque invictum ab oratione spiritum non relaxabat; tantoque cor ejus flagrabat Divinae caritatis incendio, ut crebris ac mirificis extasibus Deo penitus se jungeret: in opere sollicitus, proximorum procurandae saluti se prorsus devovit; omnibus omnia factus est, ut omnes Christo lucrifaceret: hanc vero praeclarissimam in Deum et proximum dilectionem ceterae omnes in gradu heroico sunt comitatae virtutes. Quam admirabilem Servi sui sanctitatem ac vitae perfectionem testatus est Deus innumerabilibus bonitatis suae donis, ac

omnipotentiae suae divitiis, insignia et splendidissima miracula patrando, quibus ejus gloriam omnibus manifestam voluit.

Nihil itaque deesse censeo, nisi Sanctitatis Vestrae solemne Decretum, ut hunc Dei servum maximis clarissimisque virtutibus repletum, miraculorum gratia illustrem, ac beata messe meritorum divitem publica prece inter Sanctos cum Christo regnantes invocemus, ut in praesentis saeculi calamitatibus omnium fiat adjutor fortis, qui in vita et post mortem prodigium factus est multis.

Die 24 Maji 1862.

Fr. Aloisius Ep. Aquilan.

Beatissime Pater

Maturo examine perpensa causa Canonizationis B. Michaelis De Sanctis, Ordinis discalceatorum SSmae Trinitatis, hispani, eum supremis Altarium honoribus dignum, inque Sanctorum albo scribendum censeo, utque a Sanctitate Vestra quantocyus fiat deprecor.

Romae nono kal. Junias anni MDCCCLXII.

Ego Josephus Ep. Urgellen.

Beatissime Pater

Compendio vitae, virtutum et miraculorum, necnon actorum in causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis perlecto, ut eumdem Sanctorum Catalogo adscribere digneris humillime rogo.

Romae die 24 Maji A. D. 1862.

Joannes Loughlin Ep. Broklynien.

Beatissime Pater

Eximiae tandem virtutes Angelici juvenis Beati Michaelis De Sanctis, ad universum Orbem pervenient, cum Sanctitas Vestra tanquam vigilans et sedulus omnium animarum Pastor, pro futura Canonizatione suffragia Eminentissimorum Cardinalium, Reverendissimorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum, audire et inquirere cupit, ac praecipit.

Non certe, in tam brevi temporis spatio de tot tam magnis et mirabilibus virtutibus hujus praeclarissimi Sacerdotis professi Sanctissimae Trinitatis Ordinis, licet aut decet disscrere; nec de innumeris signis, quibus Divina providentia miram Servi sui Sanctitatem et aeternam beatitudinem confirmavit, verba facere. Canonicus etenim ab introductione hujus causae processus, Sanctitati Vestrae et omnibus Vobis praestantissimis viris valde notus est, etiam et gratissimus: ideoque, venerando ac infallibili S. V. judicio ex corde me submittens, ad Canonizationem B. Michaelis De Sanctis judico tuto procedi posse.

Romae die 24 Maji A. D. 1862.

Franciscus de Paula Ep. de Linares.

Beatissime Pater

Beatum Michaelem De Sanctis, qui vel a teneris annis praeclarissima dedit futurae sanctitatis indicia, qui a Deo in benedictionibus dulcedinis praeventus mundum ante contempsisse quam agnovisse dicendus est, totoque suae vitae decursu innocentiae et castimoniae, pietatis et poenitentiae ardentissimae suae in Deum et proximum caritatis, omnium demum tot tamque illustria nobis virtutum reliquit exempla,

quemque multis ante et post obitum miraculis clarum Sanctae memoriae Pius Papa VI Beatorum fastis adscripsit; novis coruscantem prodigiis, quibus Servum suum Deus postremis hisce temporibus honorare voluit, majori honore et totius christiani populi cultu dignissimum censeo. Quapropter Vestram Beatitudinem humillime precor, ut infallibili Vestrae vocis oraculo Beatus hic in Sanctorum numerum referatur, sicque mirabiles ejus ac eximias virtutes universi narrent populi, et laudem ejus tota per orbem nuntiet Ecclesia.

PETRUS EP. GUADALAXAREN.

Acceptissimum divini amoris holocaustum cor suum exhibuit B. Michael De Sanctis, Beatissime Pater, cujus in sinu quemadmodum caritas Christi permansit, sic totus ipse effusus in Deum per mysticam cordis commutationem, totus in populorum salutem distentus, nullum aliud praemium suae dilectionis nisi Christum ejusque gloriam, nullum laborum suorum finem intendit, nisi animarum lucra. Tantum ergo virum a Sanctitate Vestra Sanctorum albo adscribendum jure merito existimo, quod et fidelium pietas et Ecclesiae utilitas exigit ac ornamentum.

FR. ALOYSIUS CIURCIA EP. SCODREN.

Beati Michaelis De Sanctis, Beatissime Pater, vitam perlegi ex qua nitidissime apparet mirabilem esse Deum in Sanctis suis. Ipse enim servo suo illum gratiarum ac donorum cumulum concessit, ut ad perfectionis et sanctitatis culmen pervenire posset. Hinc ejusdem Beati Michaelis virtutum tum Cardinalium tum Theologalium in gradu he-

roico exercitium; hinc ardens illa in Deum caritas, ac mira et extraordinaria devotio erga Immaculatam Beatae Mariae Virginis Conceptionem eluxit.

Praeterea Beatus Michael amore ita ardebat erga proximum, ut et miseris opem ferret, ignorantibus consilia praeberet; inimicis, quorum pervicaciam ac persecutiones tranquillo animo excipiebat, veniam daret, et bona pro malis retribueret. Summa erat humilitate praeditus, usque vitam puram castamque duxit ut columba; quin et poenitentia assidua suum corpus castigare in deliciis habuit.

Ob hasce aliasque virtutes a Beato Michaele in gradu heroico exercitas Deus ipsum plurimis charismatum donis auxit, adornavit. Hinc frequentes illi fuere extases, plurimae prophetiae, et varii generis miracula: sed quia mundus erat indignus tantum possidere thesaurum, explens brevi tempora multa ad Coelum mature est advocatus.

Post mortem vero cum claruisset signis ac prodigiis, quae rite probata fuere, Beatorum albo fuit adscriptus. Deus vero, qui statuerat ut novus honor in terris Beato Michaeli accederet, effecit ut nova miracula per eum patrarentur. Haec postrema miracula fuere ad trutinam revocata ac pluries discussa juxta Apostolica decreta, ac tandem post maturum examen fuere legitime adprobata.

Haec me impellunt ut supplex adeam hanc Sanctam Sedem Apostolicam, Beatissime Pater, ut Tu qui eam tenes, sapienterque regis et moderaris, pro suprema potestate, qua polles, in universa Ecclesia, ad solemnem Beati Michaelis De Sanctis Canonizationem devenire digneris, quod humiliter oro, vehementerque deprecor, idemque Tuo cordi gratissimum fore sentio. Per Te enim, qui a puerulo Deiparae Immaculatae Conceptionis cultor mirificus fuisti, ad Petri Cathedram vero evectus tamquam fidei dogma plaudente et assentiente universo catholico orbe id habendum esse definivisti, ad Coelitum honorem ille provehetur, quem

ejusdem Immaculatae Conceptionis cultorem eximium, et acerrimum assertorem extitisse gratulamur.

Hanc meam sententiam dabam in semipublico Consistorio habito die 24 Maji An. 1862.

✠ Nicolaus Bedini Ep. Terracinen. Privernen. et Setin.

Beatissime Pater

Tempus advenisse censeo, Beatissime Pater, quo Sanctitas Tua (cui haec data facultas) debeas revelare, et patefacere terris, quantum gloriae locum tenet in coelis Beatus Michael De Sanctis, qui omnibus, dum viveret, claruit virtutibus, praecipue vero innocentia, ob quam S. Aloysio Gonzaga meruit comparari, et gemina caritate, qua inflammatus totum se Dei servitio, et proximorum saluti tam spirituali, quam corporali se mancipavit; ideoque fuit dilectus Deo, et hominibus, et consummatus in brevi, quippe qui obiit annum agens trigesimum tertium, explevit tempora multa, pluraque mirabilia in vita, et post obitum fuit operatus. Quae omnia cum ex authenticis documentis, et ex actis juridicis accuratissime confectis, ut solet S. Rituum Congregatio in causis tanti momenti, constent, rogo Sanctitatem Tuam ut Beato Michaeli De Sanctis ad majorem Dei gloriam, ad utilitatem Ecclesiae, et ad majus decus Ordinis SSm̃ae Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis Captivorum, coelestes honores decernere digneris.

Romae 24 Maji 1862.

Aloysius Ep. Montisfalisci.

Beatissime Pater

Beatus Michael De Sanctis, quem Deus mundo indulsit, ut ejus exemplo multi salvarentur, ab ineunte aetate plura

sanctitatis dedit indicia. Pene infans perpetuam virginitatem Deo vovit, et adhuc puer Ordinem Sanctissimae Trinitatis ingressus, se omnium virtutum exemplar exhibuit. Ut lucerna ardens, et lucens non tantum in coenobio Fratres, verum etiam Hispaniae populos suis irradiavit fulgoribus. De virtute in virtutem progrediens, in brevi consummatus, multa tempora explevit, et si magna fecit in vita, post mortem mirabilia operatus est.

His omnibus rite examinatis, atque Sanctae Sedis Apostolicae judicio probatis, mihi certe videtur, nullum esse dubitandi locum de sanctitate Beati Michaelis; ideoque a Te, Beatissime Pater, humiliter flagito, ut digneris solemni Tuo decreto, eum in Sanctorum numero adscribere.

PETRUS EPISCOPUS SANCTI LUDOVISI POTOSIEN.

BEATISSIME PATER

Attente legenti vitam, virtutes et miracula Beati Michaelis De Sanctis, luce clarius apparet conversationem illius fuisse in coelis, ipsumque, utpote servum bonum, et fidelem, optima amantissimi sui Dei charismata esse adeptum.

Ut ergo, Beatissime Pater, Sanctitas Vestra, omnibus rite perpensis, dictum Michaelem, in Sanctorum album assumere dignetur, enixe et reverenter deprecor.

✠ FRANCISCUS EP. CARCASSONEN.

BEATISSIME PATER

Ex informatione de vita et actis Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis Ordinis Reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum evidentissime

constat de praeclaris virtutibus quibus in gradu heroico excelluit.

Fuerunt quoque diligentissime discussa et recognita miracula quae ejus ope patrata fuerunt, quibus Deus aperte docuit et ostendit praefatum Beatum Michaelem De Sanctis ampliori Altarium et Sanctorum honore dignum esse.

His itaque mature perpensis meo quoque voto libentissime concurro pro ejus exoptata Canonizatione in forma Ecclesiae consueta, si Sanctitati Vestrae ita placuerit.

Datum Romae die 24 Maji 1862.

JOANNES JOSEPHUS VITEZICH EP. VEGLIEN.

Beatum Michaelem De Sanctis, de quo in tanto et tam frequenti conventu agitur, Pater Beatissime, inter eos numerandum arbitror, qui benedictionibus dulcedinis sunt praeventi. Adhuc enim adolescens ut Christum lucrifaceret laetus obtulit universa, et sicut lilium inter spinas crevit in domo Dei. Hinc facile eo pervenit, ut nedum in brevi consummaretur, sed et mysticam cordis commutationem cum Christi corde mereretur. Post haec nil mirum si vivens coruscarit miraculis, et sepulchrum ejus prodigiis redditum sit gloriosum.

Quae autem juxta Sanctae Sedis Apostolicae canones in S. R. C. post ejusdem Servi Dei Beatificationem solerti examine expensa sunt, quid sibi velint, Tu Pater Beatissime optime sentis. Nulla igitur mora. Christus, qui B. Michaelem miro dilectionis modo decoravit in corde, nunc per Te, qui vices Ejus geris in terris, nova exornet corona exultationis in capite.

✠ CAJETANUS EP. ALATRIN.

Beatissime Pater

Innocentia vitae et virtutum cumulus Beatum Michaelem De Sanctis talem constituunt, qui albo Sanctorum adscisci, ut mihi videtur, plane mereatur.

Guillelmus Vaughan Ep. Pelymouten.

Beatissime Pater

Constat ex actis B. Michaelem De Sanctis virtutibus in gradu heroico non solum praeluxisse, sed insignioribus quoque charismatibus ditatum fuisse; constat etiam, Deum praeclaram ejusdem Sanctitatem miraculis confirmasse non modo ante, verum etiam postquam Beatorum albo adscriptus fuit. Quare dignissimum reputo, ut supremis honoribus augeatur ad majorem Dei gloriam et aedificationem fidelium, si Tibi, Beatissime Pater, placuerit.

Fr. Laurentius Ep. Sutrin. et Nepesin.

Beatus Michael De Sanctis Sacerdos religiosi Instituti SS̃mae Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis captivorum eximiae castitatis flos, ac Deiparae Virginis piissimus cultor, sic Deo se vovit, ut a flagellis, a cilicio, a jejuniis, ac ab omni alio patiendi modo nunquam destiterit: excellentiarum autem virtutum exercitio, praesertim obedientiae ac proximorum procurandae salutis, propter Christum, cujus ardentissimo flagrabat amore, totum se addixisse plane ex actis elucet. Quapropter omnipotens Deus adhuc in vita degentem mirabilem fecit servum suum, cum aliquoties in extasim raptus per aera volitare visus fuerit,

et multoties sic illustratus evaserit in Divinis Mysteriis, ut Beatorum gaudia praegustare videretur. Amavit ergo eum Dominus et ornavit eum, et ad portas Paradisi coronavit eum.

Nil aliud itaque superest, Beatissime Pater, nisi ut Sanctitatis Vestrae judicio Sanctorum catalogo adscribatur, sicque sapientiam ipsius narrent populi, et laudes ejus nunciet Ecclesia.

Nicolaus Pace Ep. Amerin.

Beatissime Pater

Vitam, quam theologi mysticam nuncupant, ac mirabiles quas Deum inter et animas ab ipso praedilectas instituit communicationes, animalis homo quasi chimaericas denegat et tanquam pueriles irridet pseudo-philosophus. Ut ergo earum solemniter veritas asseratur et vindicetur gloria, vehementissimis exoro votis ut Beatum Michaelem De Sanctis, quem tanta insignium horumce charismatum a saeculo subsannatorum copia cumulatum fuisse jam nunc certo constat, Vestrae placeat Auctoritati ac Sapientiae coronae Sanctorum, quasi florem gemino juventutis et gratiae decore nitentem, annectere.

✠ Henricus Ep. Nemausen.

Beatissime Pater

Cum ex iis, quae in compendio vitae, virtutum et miraculorum, nec non actorum in causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis per Sacrorum Rituum Congregationis Secretariam exhibito referuntur disquisita, certo constet,

tum de fundamento juxta Apostolicas leges instructo, quo Servi Dei Beatificatio solemniter decreta est, tum de novis prodigiis, quibus post Altarium honores illi tributos Beatus ipse coruscat, tuto ad ejusdem Canonizationem procedi posse censeo, atque, ut per irreformabile judicium Tuum, Beatissime Pater, citius Sanctorum numero accenseatur, enixe rogo et obtestor.

Romae die 24 Maji 1862.

ANDREAS EP. CONCORDIEN.

BEATISSIME PATER

Hisce luctuosis temporibus, cum pessumdatur ordo civilis eo quod, obnubilata in multis fidei luce, homines carnis illecebris illecti a Deo sensum avertant; neminem effugiet quam utile sit imo necessarium omnibus et exemplaria et suffragatores offerre qui, ut Beatus Michael De Sanctis toties a terrenis ad Deum raptus, uni Deo, spretis transitoriis rebus, haereant.

Idcirco, Beatissime Pater, maturo examine pensatis quae de Beati Michaelis vita necnon miraculis referuntur enixe ac humillime Beatitudinem Vestram adprecor ut, si bonum judicaverit, suprema ac infallibili qua pollet auctoritate hunc mirabilem Dei famulum Sanctorum albo inscribere velit, et ita, in praesenti adversus potestates tenebrarum luctamine, Archangelo similis, novus ac potens debellator existet.

✠ J. HENRICUS EP. FOROJULIEN. ET TOLONEN.

BEATISSIME PATER

Omni obsequio peto a Sanctitate Vestra ut Beatum Michaelem de Sanctis, Sacerdotem ex Ordine Reformato Excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis capti-

vorum, cujus vita omnibus virtutibus christianis praesertim vero insigni erga Deum et proximum caritate eluxit, in album Sanctorum referre dignetur.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Laurentius Ep. Elphinen.

Beatissime Pater

Pensatis pensandis circa admirabiles virtutes miraculaque Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis SS. Trinitatis, opinor quod tuto procedi possit ad ejus Canonizationem. Ideo ad hoc votum meum votis totius Ordinis SS. Trinitatis ad pedes Sanctitatis Tuae humillime adjungo.

Romae in Palatio Vaticano in Consistorio semipublico die 24 Maji 1862.

✠ Joannes Ep. Hamiltonen.

Beatissime Pater

Lectis et perpensis vita et miraculis Beati Michaelis De Sanctis ex Ordine SSm̃ae Trinitatis Fratrum Discalceatorum non solum ad ejus Canonizationem tuto procedi posse humillime censeo, sed etiam Te, Sanctissime Pater, qui locum tenes illius qui ponit humiles in sublimi, suppliciter adprecor ut quantocyus Tuo infallibili oraculo Beatum Michaelem supra candelabrum ponere et in albo Sanctorum adscribere digneris.

Die 24 Maji 1862.

✠ J. Stephanus Ep. Olympen.

Beatissime Pater

Quae in compendio vitae Beati Michaelis De Sanctis scripta reperiuntur, et inconcussis testimoniis jam antea comprobata sunt, vires humanas ita superant ut, iis perlectis, exclamare cogamur: vere digitus Dei est hic.

Ecquis enim inter homines, nisi divino muniatur auxilio, tot virtutes excolere, tot labores suscipere, tot prodigia patrare, tantam denique tamque mirabilem vitae perfectionem attingere possit et valeat?

Quapropter, ad majorem Dei laudem, ad glorificationem Sanctorum, ad exaltationem Sanctae Matris Ecclesiae Catholicae, ad hujus Apostolicae Sedis decus et tutamen, Christique fidelium aedificationem Beatum hunc Confessorem omnium venerationi proponi, et, si ita Sanctitati Vestrae visum fuerit, inter Sanctos cito citius annumerari opportunum judico, et ita fieri vehementer exopto.

Romae hac die 24 Maji anno Domini 1862.

✠ J. H. Ep. Catalaunen.

Beatissime Pater

Heroica in Deum et proximum caritate ac mirabili, imo angelica prorsus vitae innocentia, signis etiam et prodigiis enituisse Beatum Michaelem De Sanctis, jam rite recteque probatum est. Proinde eum Sanctorum fastis adscribi posse, publicaeque venerationi proponi existimo; utque hoc fiat enixe deprecor Beatitudinem Tuam, si ita Tibi visum fuerit.

Fr. Laurentius Bergeretti Ep. Sanctorinen.

BEATISSIME PATER

Beatus Michael De Sanctis a tenella aetate gratia Dei praeventus, cui tot virtutibus Theologalibus ac Cardinalibus earumque comitibus, imprimis mortificatione atque humilitate in statu heroico quoad vixit correspondens, refulgebat, dein prophetiae extasum ac miraculorum dono tum in vita tum post mortem clarus, fere a nonaginta annis inter Beatos, juridico processu relatus fuit. Cum iterum deinceps duobus novis prodigiis ad ejus instantiam patratis, providentissimus Deus ad Ecclesiae Catholicae solamen tutamenque ejus sanctitatem contestari dignatus fuerit, nihil obstat, quin inter Sanctos Canonizatione solemni referatur. Quod, si ita Sanctitati Vestrae visum fuerit, enixe deprecor.

Romae die 24 Maji 1862.

MICHAEL MARSZEWSKI EP. WLADISLAVIEN.

J. M. J. A.

Beatum Michaelem De-Sanctis, Beatissime Pater, catholici Hispaniarum Regni insigne decus, Ordinisque Discalceatorum Sanctissimae Trinitatis illustre ornamentum, non fortuito sed dispositione plane admirabili nomine Principis coelestis militiae fuisse donatum firmissime credo constanterque retineo. Ob heroicas quippe virtutes, et caritatem praesertim virginitatemque singularem, quibus excelluit, nec non ob arcanam cordis sui cum illo purissimo Jesu Christi Domini Nostri permutationem, non homo, sed unus potius ex coelestibus spiritibus in terris degens, vel certe Angelus in carne prorsus apparuit. Fortis praeterea et ipse in praelio adeo grandem de se, de mundo, deque hoste maligno fecit victoriam, ut post annum dumtaxat trigesimum

tertium aetatis suae parem cum diu in agone certantibus palmam inter Angelorum choros sit promeritus. Propter tam multa igitur de nostro Michaele De Sanctis jam rite cognita miraculisque firmata magnalia, nil aliud superest, o invictissime Petri Successor, nisi ut oraculum Tuum erroris expers accedat, quo supremos Sanctorum honores illi decernas. Hoc est, quod non solum aequissimum judico, sed etiam a Sanctitate Tua humillime exposco, ut hujus Sancti viri meritis misericors Deus Ecclesiae suae tamdiu bonorum votis expetitam pacem benigne abundanterque largiatur.

✠ Fr. Franciscus Ep. Porphyrien. Pontificio Solio As.

Beatissime Pater

Cum ex Apostolico processu liquido constet Beatum Michaelem De Sanctis Sacerdotem ex Ordine Reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Redemptionis Captivorum vitam illibatam pretiosa Sanctorum morte clausisse, dignum illum humillime censeo cui Beatitudo Vestra Canonizationis honorem decernere dignetur.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Joannes Ep. Galvien.

Beatissime Pater

Perpensis actis authenticis Sacrae Rituum Congregationis vidi Beatum Michaelem De Sanctis Confessorem ita fuisse praeditum omnibus virtutibus tum Theologalibus tum Cardinalibus, ut Deus ope ejus plura miracula operatus sit,

simulque ea quae peracta sunt in causae hujus examine apud eamdem Sacrorum Rituum Congregationem fuisse canonice peracta. Ideoque ego judico, si Sanctitati Vestrae placuerit, Beatum Michaelem dignum esse ut in Sanctorum album referatur.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Ego Ludovicus Ep. Vivarien.

Quum per testimonia fide digna constet Beatum Michaelem De Sanctis virtutes christianas in gradu heroico exercuisse, nec non per plura miracula asserta tum ipso adhuc vivo tum post ejus obitum patrata omnino comprobatum sit, eumdem potentem apud Deum esse intercessorem, minime dubito, quominus ipse catalogo Sanctorum sit adscribendus, et Sanctitatem Tuam enixe precor ut id perficere dignetur.

Romae 24 Maji 1862

✠ Paulus Ep. Osnabrugen.

Beatissime Pater

Attentis sedulo variis inquisitionibus, quae in Sacrorum Rituum Congregationis comitiis solertissimo examine jam habitae sunt, tum circa virtutes quibus inclaruit Beatus Michael De Sanctis, Sacerdos professus Ordinis Sanctissimae Trinitatis Fratrum discalceatorum redemptionis captivorum, tum circa miracula quibus ipsius sanctitatem Dominus manifestatam confirmatamque voluit, Ego, Episcopus Sancti Flori, humiliter exoro ut supradictus Dei Servus, tot et tantis superioribus donis cumulatus, in San-

ctorum album ad majorem Dei gloriam et Ecclesiae exaltationem auctoritate Apostolica cooptetur.

✠ P. A. Ep. S. Flori.

Beatissime Pater

Nudius tertius tantum, sicut filii ad domum paternam properantes, ad Sacra Apostolorum limina devenimus; recenter advenientibus facile non fuit, intra modicum hujusce temporis intervallum, causam, quae hodie solvenda proponitur, sub omni facie sua expendere; ad hoc enim necessum fuisset, ut quaesitis debito modo responderemus, vitam Beati Michaelis De Sanctis ab exordio interrogare, ejus virtutes et merita discutere, et denique omnia librare momenta quibus ipsius sanctitas comprobatur.

Sed quid his indigemus? Viri, acie ingenii praestantiores, discretione exercitatiores spirituum, auctoritate doctrinae graviores, illas indagationes et investigationes pro nobis absolverunt. Selecti enim a variis Pontificibus, ut hac in causa mentem suam aperirent, ipsi elucidandae et explorandae se totos dederunt; eam, non una vice sed multis, non uno comitio sed pluribus, non coram uno praetorio sed coram diversis, serio subjecerunt examini, donec animis credendo tardissimis inconcussa pateficeret.

His discussionibus quae, sub pluribus Pontificatibus, locum habuerunt, constanter praefuerunt Em. Cardinales, tam pietate quam scientia commendabiles, qui, ante omnia amorem veritatis in rebus religiosis profitebantur, identidem non dedignati sunt, ut constat ex actis nobis subjectis, hisce elucubrationibus praeesse, et eas sua suprema auctoritate confirmare.

Quid igitur exoptandum superest? nihil convenientius

et sapientius quam corde et voce iis suffragari quae praecedentes definierunt et decreverunt: post illos duces, nulla errandi formido, nullum a recta via declinandi periculum.

Idcirco, cum illis praedictis, sentimus et judicamus, tuto procedi posse ad solemnem Beati Michaelis De Sanctis Canonizationem.

✠ J. E. Ep. Valentinen.

Beatissime Pater

Dum de solemni Canonizatione inclyti Hispani Confessoris, Beati nimirum Michaelis De Sanctis agitur, liceat Episcopo Hispano coram Beatitudine Vestra, amplissimoque hoc consessu Deo O. M. gratias tribuere, ejusque laudare clementiam, quod cum mirabilis sit in Sanctis suis, mirabiliorem in heroico juvene Michaele sese ostenderit. Etsi in brevi consummatus tam multa explevit tempora, ut perdifficile sit enarrare divina charismatum dona, queis in toto mirando vitae suae decursu fuit decoratus, quaeve merita in conspectu Domini sibi comparaverit. Ita in eo castimonia, abnegatio sui ipsius, caritas virtutesque omnes tam theologicae, quam morales emicuere, ut veluti perfectissimum exemplar se praebeat cunctis imitandum, ne a semita justitiae, honestatisque tramite deflectant. Dignus sane, qui per splendidissima miracula ante et post obitum patrata meruerit eximiam sanctitatem suam signis a Deo patefieri ac confirmari.

Haec omnia satis superque probata luculentissime apparent ex processu pro ejus Beatificatione rite instituto, ac juxta sacrorum canonum praescriptiones ad exitum feliciter perducto. Cum vero post indultam Servo Dei venerationem, alia duo miracula a Sancta Sede approbata sint, merito

jure ac non sine numine decrevit Sanctitas Vestra tuto procedi posse ad praelaudati Confessoris Canonizationem. Quae cum ita sint, supervacaneum duco humillimam meam sententiam huic irrefragabili judicio Vestro consonam esse asseverare. Tantummodo dicere ausim maximo Ecclesiae universae solatio, ac Hispanicae regioni decori fore, si teterrimis hisce temporibus B. Michael De Sanctis infallibili Sanctitatis Vestrae oraculo in Sanctorum albo quamprimum recenseatur, prout in omnium votis est.

Romae sabbato die 24 Maji A. D. 1862.

Anastasius Ep. Salmantin.

Beatissime Pater

Quum B. Michaelis De Sanctis virtutes et miracula canonice comprobata sint, quammaxime expedire existimo, ut ad majorem Sanctissimae Trinitatis gloriam, in aedificationem corporis Christi, novumque catholicae Ecclesiae splendorem, adeo clarissimo viro, morum innocentia et mirabili caritate praestanti, Sanctitatis honores conferantur. Atque ita fieri, B. Pater, vehementer exopto.

Romae 24 Maji 1862.

Joannes Ignatius Ep. Oveten.

Beatissime Pater

Ecclesia Christi foecunda semper extitit mater Sanctorum, cujus quidem foecunditatis ipsa novum exemplum praebet in Beato Michaele De Sanctis Sacerdote ex Ordine Reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis Re-

demptionis Captivorum ut ex apostolico processu constat. Peto igitur humillime Beatitudinem Vestram ut illi Sanctorum honores tribuere dignetur.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ Michael Ep. Rossen.

Beatissime Pater

De vitae sanctitate Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis Professi Ordinis Sanctissimae Trinitatis Fratrum discalceatorum Redemptionis captivorum, de virtutibus ipsius Theologalibus, et Cardinalibus, earumque adnexis in gradu heroico; deque miraculis, quibus Deus Servi sui sanctitatem et gloriam in terra, et in coelis testatam voluit, plurima sane argumenta praebent, prout ex compendio causae mihi tradito Canonizationis, de qua agitur. His abs dubio mota Beatitudo Vestra suo solemni decreto edixit, Tuto procedi posse ad Canonizationem Beati Michaelis De Sanctis. Atque huic judicio calculum meum libens ac lubens adjicio: ac insuper enixe et suppliciter oro Sanctitatem Vestram, ut litteras sub plumbo expeditas de Canonizatione in Patriarchali Basilica Vaticana pro tempore celebranda, quantocyus ad optatum effectum perducere dignetur.

Romae IX kalendas Junii anno Domini MDCCCLXII.

Bernardus Ep. Placentin.

Beatissime Pater

Vestro adimplendo praecepto de brevissima oratione habenda, juxta regulam in methodo consistoriali contentam, haec est mea sententia circa Canonizationis processum Beati

Michaelis De Sanctis: ut eum ad majorem Dei gloriam, catholicae fidei exaltationem, regnique Hispaniarum peculiarem honorem, in Sanctorum cathalogo adnumerare Beatitudo Vestra dignetur.

Ita humiliter deprecor.

Franciscus a Paula Ep. Seguntin.

Beatissime Pater

Omnibus quae ad B. Michaelis De Sanctis Canonizationem peragi debent, rite, ut arbitror, valideque peractis, nihil obstare videtur quominus Beatitudo Vestra eum, cujus sanctitatem Deus ipse testatam voluit insignibus etiam post ejus Beatificationem patratis miraculis, in Sanctorum album referre dignetur.

Supremum super hoc, solemneque decretum tota, ni fallor, Ecclesia Sancta Dei, ac praesertim Hispania nostra, praeclarissimi viri praeclara parens, gratulabunda excipiet.

Inimici Crucis, et Ecclesiae Christi qui hac nostra miserrima aetate voluptati, superbiae et avaritiae, non solum deservire, verum et altaria erigere, horumque vitiorum sectatores apotheosi dignos proclamare pertentant, solemni, de qua agitur, Canonizatione Servi Dei, qui puritatis, humilitatis et evangelicae paupertatis splendidissimum exemplar se praebuit, vel afflante Dei gratia resipiscent, vel saltem confundentur et erubescent cum agnoverint quantum distent cogitationes Ecclesiae Dei a cogitationibus eorum.

Denique, erubescent etiam, et conturbabuntur vehementer qui Ecclesiam Catholicam, velut senectute confectam, morti proximam annuntiare non pertimescunt. Conturbabuntur cum et ejus mirabilem foecunditatem, et hanc coeli civibus mutuam, ut ita dicam, affectuum, et honorum communicationem prae oculis habeant.

Itaque, Beatissime Pater, decreto solemni Canonizationis B. Michaelis De Sanctis da, rogo, quantocyus Ecclesiae, Tibique ipsi solamen et jubar.

Romae die 24 Maji anno D. 1862.

Fr. Bernardus Ep. Abulen.

Beatissime Pater

Sanctitatis Vestrae desideriis liberrime obsecundans, nihil mihi gratius, nihil jucundius quam sensum meum aperire super causa illius caritatis victimae, poenitentiae et candoris prodigii, Beati Michaelis De Sanctis, qui Sanctorum albo venit nunc adscribendus. Natus in civitate Vicensi, cujus, licet indigne, Episcopus invenior, ibi virtutum fundamenta jecit, quibus deinde ad eum perfectionis gradum pervenit, ut prophetiae spiritu, curationum gratia aliisque a Deo innumerabilibus donis ditari meruerit, nec non ab Ecclesia inter Beatos connumerari.

His itaque consideratis, nec non quibus post Beatificationem ipse coepit coruscare prodigiis, a Reverendissimis etiam Cardinalibus et a Sanctitate Vestra datis sententiis, mihi nullum superest dubium quin ad illius Canonizationem procedi possit. Hoc sentio, hoc judico, hocque in Dei honorem et gloriam et universalis Ecclesiae utilitatem humillime efflagito.

Romae die 24 mensis Maji anni 1862.

Joannes Josephus Ep. Vicen.

Beatissime Pater

Intuentur fixis oculis durae cervicis filii terram, de qua aurum est, et aurum de quo ambitio, et ambitionem de qua fluunt, veluti rivuli ex abundantiori fonte, menda-

cium, et dolus, et injustitia, et sacrilegium, et mors. Quid plura, Beatissime Pater? fluunt, quod est gravius et maxime dolendum, acerrimi Ecclesiae Catholicae hostes, homines impii, ac totius juris divini, ecclesiastici et gentium omnimoda radicitus eversio.

Sed contrariam his vitam egit B. Michael De Sanctis Ordinis SSmae Trinitatis Discalceatorum. Intuebatur sine intermissione coelum, de quo Christus est; intuebatur amore Dei aestuans et Christum, de quo prodeunt, sicut lux a sole, pax, et laetitia, et felicitas, et contemplatio, et vita, et sanctitudo.

Ob id autem, Beatissime Pater, praedictus B. Michael De Sanctis diaboli tenebras tantopere perhorrescens, et Ecclesiae lucem omni ex parte sparsam amplectens, virtutibus in gradu heroico resplenduit, ac miraculis sua intercessione patratis emicuit, uti apud omnes in confesso est, atque Vestrae Sanctitati perspectum. Proinde huic Canonizationi valde me amans, et ut res dant se se, profero interesse, Beatissime Pater: sentio enim ad hanc B. Michaelis De Sanctis Canonizationem absque ulla quaestione procedi posse.

Verum, ne multus sim, enixe deprecor, et maximopere Vestram Sanctitatem oro, ut pronis auribus meum exile suffragium accipiat, et rei exitum imponat, dando operam Canonizationi, et nihil mihi tanti erit.

Refert omnium, Beatissime Pater, hujusmodi Canonizatio, et Ecclesiae, et Vestrae Sanctitatis. Omnium, quia omnibus prodest laetitia spiritali exultandum, jugique gloria gratulandum Ecclesiae, quia Deus B. Michaelis patrocinio medebitur forsitan vulneribus alte adactis, quae gratis recepit et quotidie recipit. Tum demum refert Vestrae Sanctitatis assiduis attritae immerito laboribus, quoniam Beato Michaele adjutore, superbae fortunae resistere poterit, ac inter bestias frementes rabidosque canes, securim corpori

infligentes, vivere. Deus propitius sit mihi, et Te salvum sospitemque diu noctuque servet.

Cosmas Ep. Tirasonen.

Beatissime Pater

Angelicam vitam Beati Michaelis De Sanctis attente ac reverenter perlegi; et vidi Angelum stantem in coelo, angelum nomine, angelum moribus, angelum praesertim castitate; ac etiam angelum virtute, factum prodigium multis in portentis et signis. Ab aetate tenera plantatus in domo Domini germinavit sicut lilium, et deductus indeficienter a Domino per vias rectas assecutus est regnum Dei. Haec rite, ac canonice probata sunt, ut ex causa Canonizationis evidenter liquet. Nunc ergo, Beatissime Pater, cum Angeli et mundo corde videant faciem Patris, qui in coelis est, et castae generationis immortalis memoria sit nota apud Deum, et nota debeat esse etiam apud homines, congruum est, ut Angelicus Michael recte a Sanctis nuncupatus, in gloria coelesti cum illis numeretur, ut qui inventus est sine macula et operatus justitiam accipiat in capite suo coronam de lapide pretioso. Sit hominibus exemplar, et Ecclesiae Catholicae, his praesertim temporibus validissimum patrocinium.

Dignetur, igitur, B. V., eum in Sanctorum albo solemniter adscribere. Romae die vigesima quarta Maji anno millesimo octingentesimo sexagesimo secundo.

Petrus Lucas Ep. Jaccen.

Beatissime Pater

Cum ea semper fuerit Apostolicae Sedis ratio, in Beatorum Canonizatione, ut omnes per totum Orbem fideles, in novis sanctificatis, nova jugiter haberent exempla vir-

tutum, et evangelicae perfectionis incitamenta, id vel maxime, hac nostra aetate, qua abundat iniquitas, et refrigescit caritas multorum, erat omnino optandum, quoad B. Michaelem De Sanctis cujus praeclaram vitae sanctimoniam signis ac prodigiis mirifice Deus comprobavit, quemadmodum ex actis mature perpensis, canoniceque confectis luculenter apparet. Itaque quod publico Ecclesiae testimonio hujus Beati sanctitas declaretur, Deo honorificum, ac christiano populo summopere salutare esse censeo: dummodo Beatitudini Tuae, cujus potissimum, imo solius proprie est, supremum, integrum, atque a Deo infallibile hac super re judicium ferre, ejus Canonizationem una cum primitiis Japonensium Martyrum decernere placuerit, ac solemni ritu celebrare. Et sane in spem firmissimam erigimur, Beatissime Pater, si purpuratorum Martyrum choro adjiciatur et candidatus Confessor hic illustris, ex Ordine Reformatorum Excalceatorum SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, fore, ut cum non sint amplius captivi redimendi de potestate paganorum, Ecclesiae potius libertatem, a civili novorum barbarorum captivitate, certissime sit a Deo impetraturus!

JOSEPH M. EP. SYNOPEN.

BEATISSIME PATER

Michael De Sanctis, vere lilium sub auspiciis Deiparae Immaculatae, in vinea Domini fictus et altus, vere industriosa apis, qui omnium virtutum flores in se collegit, Canonizationis honorem promeruisse mihi videtur; cujus sanctitatem Deus ipse luculentissimis miraculis declaravit.

Ut igitur B. Michael Sanctorum dypticis recenseatur, Te, Beatissime Pater, humillime, et devotissime rogo.

✠ CLEMENS EP. ANAGNIN.

BEATISSIME PATER

Perlectis qua potui diligentia, actis B. Michaelis De Sanctis, censeo posse tuto deveniri ad solemnem ejus Canonizationem. Quapropter humillime deprecor Sanctitatem Vestram ut eum Sanctorum fastis adscribere dignetur.

Romae die 24 Maji A. D. 1862.

FRANCISCUS PATRITIUS MAC-FARLAND EP. HARFORDIEN.

BEATISSIME PATER

Beatum Confessorem Michaelem De Sanctis in Sanctorum numerum solemni judicio cooptandum esse censeo; quod ut Apostolico ore decernatur a Sanctitate Vestra humillime imploro.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ IGNATIUS DE SENESTREY EP. RATISBONEN.

BEATISSIME PATER

In pueritia innocens, et amator solitudinis; in adolescentia ob devotionem insignem erga Virginem Immaculatam praeclarus, necnon ab omni vel minimo carnis stimulo singulariter immunis; in vigore aetatis animarum zelator indefessus, inter contumelias patiens, in adversis fortis, in aliorum regimine prudens, dilectionis erga Deum et proximum cultor eximius, in Regula sui Ordinis exequenda constans, admirabilem perfectionis vitam Beatus Michael De Sanctis exhibuit.

Deus quoque Omnipotens, humilitatem Servi Sui re-

spiciens, illum tam in vita, quam post mortem miraculis perinsignibus clarificavit.

Quibus attentis, et rite probatis, censeo, Beatissime Pater, ad ejus Canonizationem tuto procedi posse.

Quapropter Sanctitatem Tuam humillime rogo ut illius nomen in album Sanctorum referre dignetur.

Franciscus Kerril Amhersi Ep. Northantonien.

Beatus Michael De Sanctis agnomini convenientia quoque facta et virtutes conjunxit, ita ut a tenellis jam annis clare patuerit, eum a Domino in benedictionibus praeventum fuisse, quae crescente aetate magis magisque inclaruerunt: subsequentibus vero miraculis manifeste compertum est eundem Venerabilem Servum Dei inter Coelites cum Christo regnantes a Patre misericordiarum relatum fuisse. Hinc jure et merito peropportunum censeo, ipsum etiam coram universali Ecclesia militante, ut Sanctitatis gloria redimitum, recognosci ac declarari, si Beatitudini Tuae id benevisum fuerit.

Fr. Paschalis Ep. Antiphellen.

Beatissime Pater

In causa Canonizationis Beati Michaelis De Sanctis Sacerdotis professi Ordinis Reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum affirmative sentit et pronuntiat.

Romae die 24 Maji 1862.

Andreas Ep. Giennen.

Beatissime Pater

Mirabilis Deus in Sanctis suis in Ecclesia sanctos jugiter atque indesinenter facit, sanctam dilectamque ipsius Sponsam abunde foecundans suo sanctificationis ardentissimo Spiritu. Ita factum fore in B. Michaele De Sanctis, et ejusdem sancta vita, et virtutes et miracula testantur, ut ex epitome causae Canonizationis liquet. Quid igitur mihi post haec sentiendum nisi quod jamjam a Beatitudine Tua declaratum est? Fiat igitur ut quantocyus ipsum Beatum Michaelem De Sanctis Sanctitudo Vestra judicio irrefragabili solemnique pompa Sanctorum fulgentissimae catervae aggregare dignetur: quo ipsius apud Deum validissimo patrocinio, et sancti evadant omnes Christifideles in terris, et sancti fiant vel ipsimet Christiano-Catholicae Ecclesiae osores; ut tandem aliquando feliciter cum Sanctis omnes regnemus in coelis.

Romae, in consueta aula consistoriali Palatii Apostolici Vaticani, die 24 Maji anni 1862.

Michael Payá y Rico Ep. Conchen.

Beatissime Pater

Collata ratione pro Canonizatione B. Michaelis De Sanctis, fortunatae Ditionis hispanicae ornamenti et decoris, clarissime evincitur optimam sortem sortitum esse, et cultu altaris venerandum in terris, quem Deus coronaverat in coelis.

Quapropter suppliciter deposco ut B. Vestra ita decernere et definire dignetur.

Romae die vigesima quarta Maji 1862.

Petrus M. Ep. Oriolen. seu Alonien.

Գերերջանիկ Հայր

Ըստ ասելոյ Յակոբայ թէ որ դարձուցէ 'ի մեղաց զեղբայր իւր, փրկեսցէ զանձն իւր, անկ իսկ է ասել եթէ Երանելին Միքայէլ Տէ Սանքթիս գերահրաշ եղբայրական սիրոյ առաւելութեամբ լնուլ պերճացեալ էր, քանզի այնպէս իմն վառէր եռանդեամբ սիրոյ որ առ ընկերն, մինչ ձօնել նուիրել խոպառ զանձն իւր և զխնամս 'ի սպաս գերելոց և հիւանդաց առ 'ի հոգալ զյաւիտենական փրկութիւն նոցուն հոգեպատար խնամածութեամբ։ Այլ զի սոյն այս և այլ բազում առաւելութիւնք Երանելւոյն Միքայէլի մեծահրաշ սքանչելեօք ճոխացեալ են, վասն որոյ արժան իսկ համարիմ խոնարհամիտ սրտիւ զի 'ի դասս Սրբոց կարգեալ հանդիսասցի։

✠ Անտոն Մարգարեան Հալաճեան
Եպիսկոպոս Արդվինոյ։

Ejusdem versio.

Beatissime Pater

Quoniam Jacobi sententia haec est « qui converti fecerit fratrem suum, salvabit animam ejus » ad eximium heroicae dilectionis splendorem pervenisse dicendus est Beatus Michael De Sanctis, qui tanta exarsit in proximum caritate, ut se suosque captivorum et infirmorum ministerio perpetuo dicarit, ad aeternam eorumdem salutem spiritualibus subsidiis procurandam. Cum autem haec et alia Beati Michaelis merita praeclaris miraculis luculenter sint demonstrata, Sanctorum albo eum esse adsignandum humillime arbitror.

D. Antonius Halagi Ep. Arturien. Arm. Rit.

Beatissime Pater

Pro solemni B. Michaelis De Sanctis Canonizatione suffragium fero.
Romae 24 Maji an. 1862.

Joseph Ep. Santanderien.

Beatissime Pater

Attente lecto compendio vitac, virtutum et miraculorum, necnon actorum in causa Canonizationis Beati Michaelis de Sanctis, auditis unanimibus votis Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporumque hic adstantium, humillime et ex corde precor ut Sanctitas Vestra praedictum Beatum Sanctorum cathalogo inscribere dignetur.

Eamdem precem pro solemni Beatorum Martyrum Japonensium Canonizatione adjicio, sicut petitum est ab Episcopis qui praecedenti consistorio assistere nequiverunt.

✠ Ludovicus Maria Ep. Aturen. in Gallia.

Beatissime Pater

B. Michael De Sanctis, Ordinis SS̃mae Trinitatis Fratrum discalceatorum pro captivis redimendis ornamentum, decus, et gloria, tanto a teneris annis poenitentiae ac pietatis spiritu plenus fuit, ut merito praeventus a Deo in benedictionibus, ac in terris positus in coelestibus habitare videretur.

In religiosae vitae curriculo Deo se vivissimo amore

conjungens, proximorum saluti procurandae admirabili sui abnegatione prorsus se devovit. Et ita perfectionem legis, quae tota in dilectione Dei et proximi sita est, attingens, vere dilectus Deo, et hominibus effectus est. Propterea nil mirum, si crebris et mirificis extasibus ditatus sit: nil mirum si prophetico spiritu afflatus ventura et loco et tempore dissitissima praediceret: nil tandem mirum, si miracula pro Dei gloria, et proximorum bono patraverit.

Hisce positis, sicut ex actis a S. R. C. mature perpensis colligitur, Te humiliter deprecor, Beatissime Pater, ut ad Omnipotentis Dei gloriam, ad exaltationem Sanctae Matris Ecclesiae, et ad solatium Christifidelium, qui ex multiplicato apud Deum piissimo Sanctorum suffragio divinam expectant opem ad sedandos fluctus, quibus navicula Petri jactari potest, submergi non potest, ad summum gloriae fastigium Coelitibus datum Beatum Michaelem De Sanctis extollere digneris.

Datum Romae in aula Consistorii die 24 Maji 1862.

✠ Michael Angelus Celesia O. S. B. Ep. Pactbn.

Beatissime Pater

B. Michael De Sanctis, Deipara Virgine praemonstrante, mature saeculo nuncium remisit, et consummatus in brevi ad superos evolavit divinae victima caritatis, et jugis poenitentiae, quam cum vitae innocentia mire sociavit. Aliis quoque omnis generis clarus virtutibus in vita et post mortem prodigiis enituit; ita ut ad Altarium honores evehi dignus plane fuerit inventus. Sed mirabilis jugiter Deus ad summum gloriae fastigium Coelitibus datum extollere B. Michaelem voluit nova, ejus intercessione, patrans miracula;

quorum intuitu nedum humillime sentio, sed Te oro obtestorque, Beatissime Pater, ut in Sanctorum numerum eumdem cooptare digneris.

PAULUS ALEX. EP. RIPAN.

BEATISSIME PATER

Virtutum B. Michaelis ex parentibus misericordiae viris, quorum pietates non defuerunt, fluxere primordia. Siquidem a prima infantia coepit timere Deum, et ut mandata ejus custodiret, acerrimum, ac diuturnum odium sui cum maxima animi demissione conjunxit. Quam asperrimam Servi sui afflictationem singulari privilegio cumulavit Deus. Quod enim de B. Aloysio Gonzaga legitur, id quoque Deus in B. Michaele instauratum voluit, ut numquam carnis traheretur illecebris, nec ulla unquam cogitatio vel minus honesta ejus menti obversaretur, adeo quidem ut de ipso praedicari merito possit illa Pauli sententia « Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus ».

His itaque perpensis, nec non consideratis portentis, et signis, quibus in vita, et post mortem Deus Servum suum clarificavit; non dubito, quin eo cultu, ac publica illa veneratione sit dignus, qua Ecclesia Christi reliquos Sanctos prosequitur. Nunc vero, Beatissime Pater, ut infallibili auctoritate Tua id decernas expedire videtur. Id enim petunt fideles, id praestolantur Episcopi, eget Ecclesia infelici hac aetate novo hoc Christianae virtutis exemplo.

✠ JOANNES EP. CERVIEN.

BEATISSIME PATER

Omni obsequio peto ut Beatus Michael inter Sanctos solemni ritu recenseatur. Illius vita praeclara exhibet san-

ctitatis exempla; et utinam suas preces jam nunc adjungat totius orbis Christiani supplicationibus, ut Sanctae Sedi pax restituatur, et hostes veritatis resipiscant aliquando, convertantur et vivant.

Romae 24 Maji 1862.

PETRUS MAC-INTYRE EP. CAROLINOPOLITAN.

BEATISSIME PATER

Cum certo constet, donis et gratiis coelestibus Beatum Michaelem De Sanctis praeditum esse (quae a Sancta Romana Ecclesia pro Canonizatione Sanctorum requiruntur) vitae nempe sanctitate, virtutibus heroicis, miraculis veris, et certis, proinde mihi persuasum est, fore pro gloria Dei qui est corona Sanctorum omnium, pro utilitate Sanctae Ecclesiae, ad fovendam nempe pietatem ac religionem, Beatum Michaelem De Sanctis in Sanctorum album cooptari. Ergo ex animo sed humiliter a Sanctitate Tua hoc deprecor.

Datum Romae die 24 Maji anno 1862.

MICHAEL DOMENEC EP. PITTSBURGEN.

BEATISSIME PATER

Cum Beatus Michael De Sanctis Sacerdos Professus Ordinis reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum tam virtutum laude usque ad finem vitae, quam miraculorum gloria effulserit, ipsum in Sanctorum album referendum a Beatitudine Vestra censeo.

Romae die 24 Maji 1862.

GEORGIUS BUTLER EP. CIDONIEN.

Beatissime Pater

Humillime peto ut nomen Beati Michaelis De Sanctis solemniter in Sanctorum album adscribatur, vita ejus humilis et afflicta, etiam in terris summa gloria coronetur. Sic Sedes Petri tot procellis, diebus nostris, agitata, nova florescet gloria et perenni decorabitur triumpho.

Romae die 24 Maji 1862.

✠ E. J. Ep. Regiopolitan.

Tum theologales, tum cardinales virtutes in gradu heroico, ad quas pervenit per assiduas orationes, meditationes, mundi contemptum, propriique corporis macerationem Beatus Michael De Sanctis Sacerdos Ordinis SSmae Trinitatis Redemptionis captivorum, tot miraculis roboratae fuerunt, ut in Sanctorum numerum tuto adscribendus videatur.

Idcirco, non tantum libentissime adhaereo, sed etiam hac pro causa enixas, demissasque preces Beatitudini Tuae effundo.

F. Darius Bucciarelli Ep. Pulaten.

Beatissime Pater

Ea fuit B. Michaelis De Sanctis illibatae vitae et summae caritatis dignitas, ut enixe rogem ut Sanctitas Tua velit ipsius patrocinium omnibus ubique terrarum fidelibus elargiri eumque inter Sanctos referre.

Robertus Cornthwaite Ep. Beverlacen.

BEATISSIME PATER

Quum coelesti prorsus vitae rationi a Beato Michaele De Sanctis peractae ceterae omnes responderint virtutes, quumque praeclaram ejus sanctitatem Omnipotens Deus miraculis ex Tua, Beatissime Pater, sententia jam adsertis testatam voluerit, nil aliud profecto nunc restat, quam ut congratulantibus totius orbis et pastoribus, et gregibus Beatus idem ultimo Sanctitatis Tuae oraculo declaretur in Ecclesia superna triumphator, et militanti Ecclesiae invocandus, admirandus, atque imitandus proponatur intercessor.

JOSEPH ARCHIEP. ELECTUS NICEN.

BEATISSIME PATER

Ex privilegio et gratia singulari Sanctitatis Vestrae ego adveniens ex ultima Thule ac ultimus humiliter suffragium meum deponens ad pedes Sanctitatis Vestrae, censeo Beatum Michaelem De Sanctis propter virtutes et miracula Canonizatione omnium dignum et maxime emeritum, eamque ad Sanctissimae Trinitatis Fratrum excalceatorum Ordinis honorem et aemulationem et ad populi christiani aedificationem solemniter celebrandam esse.

Romae die 24 Maji 1862.

LAURENTIUS STUDACH VIC. AP. IN SVECIA ET NORVEGIA.

Quum sequentes duo Galliae Episcopi Romam post primum, vel ambo Consistoria advenissent, suas et ipsi quo modo potuerunt sententias pandidere. Earum tenor hic est:

BEATISSIME PATER

Cum per tempus non mihi licuerit examinare et perpendere omnia hujus Sanctae Causae documenta, tam de Martyribus Japonensibus, quam de B. Michaele De Sanctis, nihil mihi melius videtur quam adhaerere Sententiis hucusque apertis per Eminentissimos Cardinales, et Reverendissimos Episcopos quos Spiritu Sancto afflante locutos esse confido; et ideo votis eorum plenissime adhaereo.

Die 24 Maji 1862.

✠ JOANNES-MARIA DONNEY EP. MONTIS ALBANI IN GALLIA.

Cum Romam pervenerim post ultimum de proxima Canonizatione Consistorium, et mihi nuntiatum fuerit adhuc me posse adhaesionem scriptam ad Sacram Congregationem de Ritibus dirigere, per praesentem declarationem testor mihi esse in votis ut Beatos sex et viginti Martyres Japonenses, quorum sex ex Ordine Minorum discalceatorum S. Francisci strictioris observantiae, tres e Societate Jesu, decem et septem ex Tertio Ordine S. Francisci, et Beatum Michaelem De Sanctis Sacerdotem professum Ordinis SS. Trinitatis Fratrum Discalceatorum Redemptionis captivorum, Sanctitas Domini Nostri Pii Papae Noni in Sanctorum Album solemniter referat.

Romae, die septima mensis Junii anni 1862.

✠ PHILIPPUS EP. ELNENSIS.

Ut Episcoporum postremus suam conclusit sententiam subdit Sanctissimus Dominus:

Libentissimo quidem animo intelleximus vestras omnes de Beati Michaelis causa sententias eo tendere, ut illum Sanctorum numero adscri-

bamus. Cum autem in praecedenti Consistorio id ipsum mira consensione de viginti sex Beatis in Japonia martyrio defunctis, de quibus agebatur efflagitaveritis, rem suprema Nostra auctoritate perficere festinabimus. Itaque Nobis in animo est die octavo proximi mensis Junii Pentecostes solemnitati sacro Pontificium proferre Decretum quo Beatos Petrum Baptistam ac duos et viginti illius sodales Ordinis Sancti Francisci et Beatos Paulum Miki, ejusque duos socios e Societate Jesu, et Beatum Michaelem De Sanctis inter Sanctos referemus. Interea non solum minime intermittendae, verum etiam ferventiores Deo sine intermissione adhibendae preces et obsecrationes, ut eo benedicente rem tantam absolvere possimus ad majorem sui nominis laudem et gloriam, atque ad Ecclesiae suae sanctae decus et utilitatem.

Facto per Pontificem loquendi fine D. Petrus Benvenuti Generalis Fisci Pontificii Procurator Protonotarios Apostolicos ad actorum fidem faciendam ita rogavit:

Ego Petrus Benvenuti Sanctissimi Domini Nostri et Camerae Apostolicae Procurator Generalis rogo vos omnes Protonotarios et Notarios Apostolicos hic praesentes, ut de sententiis, Consilio, et unanimi consensu Reverendissimorum Dominorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, nec non Patriarcharum Archiepiscoporum, et Episcoporum, deque Summi Pontificis oratione ac deliberatione praehabitis super solemni Canonizatione Beati Michaelis De Sanctis Confessoris, unum vel plura, publicum seu publica conficiatis instrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Conficiemus respondit R. P. D. Andreas Maria Frattini senior Protonotariorum illius Collegii nomine; eosque adhibuit testes, qui hinc inde adstabant Pontifici dicens *Vobis testibus*. Idque praestitit in tabulis omnia quae acta sunt referens postquam Conventus dimissus esset.

Cum igitur in hoc postremo semipublico Consistorio a Beatissimo Patre fuerit statutum Canonizationis solemnia die VI Idus Junii in ipsa Pentecostes Dominica esse celebranda, de ejusdem Sanctitatis Suae mandato Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi qui vice Sanctissimi Domini Nostri in Urbe fungitur populum de hac solemnitate, simulque de amplissimo Indulgentiae Plenariae beneficio iis concesso qui peccata confessi, et Sacra Synaxi refecti vel solemni supplicationi, vel Sacrae Canonizationis actioni interessent, vel saltem eo die Vaticanam Basilicam inviserent sequenti monuit Edicto in praecipuis ac frequentioribus Urbis locis affixo:

INVITO SAGRO

COSTANTINO per la Misericordia di Dio Vescovo di Porto e S. Rufina della S. R. C. CARD. PATRIZI Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana, della SANTITÀ DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale, della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario ec. ec.*

La nostra Roma Capitale del mondo Cattolico, Sede gloriosa del Vicario di Cristo, Città Santa, Sacerdotale, centro del Cristianesimo è già vicina a veder compiere nel suo seno uno degli atti più solenni del Cattolico rito, la Canonizzazione cioè de' Ventisei Beati Martiri del Giappone, e del Beato Michele De' Santi, che avrà luogo nella Basilica Vaticana nel giorno otto del futuro mese di Giugno, in cui ricorre la Festa della discesa dello Spirito Santo sopra gli Apostoli, giorno in cui può dirsi incominciò la propagazione della Cattolica Religione su tutta la terra. I successori degli Apostoli ascoltata appena la voce di Pietro che invitavali al grande atto della Canonizzazione, si partirono anche dalle più distanti regioni, e giunti in gran numero in questa Città, colla loro veneranda presenza mo-

strano al mondo tutto l'unità di quella Fede, che è una delle caratteristiche gloriose dell'unica vera religione, ed i moderni nemici della dottrina evangelica si persuaderanno che in Pietro, e negli Apostoli *est cor unum, et anima una.*

La Solenne Funzione avrà principio colla solita Processione di tutto il Clero Secolare e Regolare, il quale alle ore 6 antimeridiane dovrà trovarsi nel luogo stabilito, onde esser pronto all'avviso dei Cerimonieri Pontificî che regoleranno la Processione suddetta. Proseguirà poi la Sacra Funzione secondo il consueto rito nella Basilica Vaticana. Al segno del Cannone di Castel S. Angelo, e delle Campane del Campidoglio, dovranno da' respettivi Superiori farsi suonare le Campane di tutte le Chiese di Roma, almeno per lo spazio di un'ora.

Perchè poi nulla manchi in un'azione sì grande allo Spirituale vantaggio del popolo che devotamente accorre da ogni parte, la Santità di N. S. Papa Pio IX concede l'Indulgenza Plenaria, e remissione di tutti i peccati a' Fedeli dell'uno, e dell'altro sesso che veramente pentiti confessati, e comunicati, o almeno con proposito di comunicarsi nella seguente settimana, interverranno alla Canonizzazione, o alla solenne Processione, che la precede, oppure visiteranno in quel giorno la Basilica Vaticana.

L'istessa Plenaria Indulgenza concede la Santità Sua a tutte quelle persone che convivono in Monasteri di clausura, o nei Conservatori ed altri luoghi pii di Roma, come pure agl'infermi, alli racchiusi nel carcere, ed agli impediti legittimamente in qualunque altro modo, quando però abbiano premessi i SS̃mi Sagramenti della Confessione e Comunione, ed allo sparo del cannone di Castel S. Angelo, o al suono delle Campane di Campidoglio, genuflessi, oppure nell'atto più devoto, che sarà loro possibile, recitino tre *Pater*, *Ave*, e *Gloria* in ossequio della SS̃ma Trinita',

ed in ringraziamento del nuovo lustro che per divina bontà si accresce alla Cattolica Chiesa.

Noi finalmente per secondare lo zelo e gli ordini di Nostro Signore, e per dovere del Nostro Ufficio, rammentiamo a tutti che la pompa solenne, che sarà per eseguirsi diretta tutta a glorificare il Signore ne' Santi suoi deve essere accompagnata da chi v'interviene con vero spirito di religione, con devoto, e modesto raccoglimento, che rimuovendo ogni motivo di scandalo, formi l'edificazione comune, ed i Romani in modo speciale mostrino a' Forastieri, che la loro fede è degna di essere annunziata al mondo intero.

Dato dalla Nostra Residenza li 31 Maggio 1862.

C. CARD. VICARIO

Palino Canonico Deangelis Segretario

Interim a cunctis Orbis regionibus advenae Angli scilicet, Germani, Galli, praesertim e pientissimo Clero, Hispani, Slavici, Orientales, nec non tum borealis, tum australis Americae incolae quotidie properabant ad Urbem; et adeo ingens erat confluentium multitudo ut hospitia omnia aedesque locatitiae, quarum magnus est numerus, eam haud caperent.

Die 26 Maji Sancto Philippo Neri Urbis compatrono et apostolo dicata solemni Pontificio sacro in aede Sanctae Mariae de Vallicella ubi sanctum ejusdem colitur sepulchrum de more celebrato magnus interfuit Antistitum numerus. Illuc Sanctitas Sua ab aedibus Vaticanis magno comitatu nobilique pompa perrexit; populo per Urbis compita frequentia maxima in genua adstante, ac transeunti Pontifici unanimi clamore plaudente.

Recurrente Christi in coelum ascendentis solemni die Beatissimus Dominus Pontificali Missae interfuit in Basilica Lateranensi frequenti Patrum Cardinalium et Episcoporum corona circumdatus. Eucharistico expleto Sacrificio, et Sacratissimis beatorum Apostolorum Petri et Pauli Capitibus veneratis, idem Sanctissimus Dominus sella gestatoria ad superiorem Basilicae frontis porticum devectus fuit, ubi e Podio ingenti cujusvis linguae, et nationis

populo nimia laetitia ex corde gestienti Apostolicam Benedictionem impertivit.

Pentecostes Dominica in dies adventante R. P. D. Aloisius Ferrari Apostolicarum Caeremoniarum Antistitum Praefectus denuntiationis schedam pro celebratione Canonizationis nec non ordinem in solemni supplicatione incedendi Dominis Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ceterisque omnibus qui Pontificiis solemniis interesse solent per Viatores Apostolicos transmitti curavit.

Intimatio per Cursores facienda domi quoque dimisso exemplari.

Dominica Pentecostes die 8 Junii anni 1862 Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX. *hora septima ante meridiem* in Apostolici Vaticani Sacrarii aulam descendet. Ibi sacris vestibus indutus ad sacellum Sixti IV perget, initium sacrae actioni peragendae daturus; et deinde ab utroque Clero Urbis in modum supplicationis disposito exceptus, deferetur e sacello praedicto in Basilicam Vaticanam, in qua Canonizationis solemnia explebit adscribendo inter Sanctos, Deo inspirante, Beatos Petrum Baptistam cum aliis viginti duobus Sociis Ordinis Minorum S. Francisci, Paulum Miki cum aliis duobus e Societate Jesu Sodalibus, omnes martyres Japonenses, et Michaelem Desanctis sacerdotem professum Ordinis reformatorum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum, confessorem.

Emi, et Rmi DD. Cardinales *vestibus et caligis rubris* induti per viam nuncupatam *di Borgo Pio* (quam et omnes Antistites tenebunt) Palatium Vaticanum petent, et per atrium vulgo *di Belvedere* superius ascendent. In aula regia vestes sacras *rubri coloris* unicuique Ordini proprias assument cum mitris serico-damascenis, et sic induti in sacello sixtino praedicto Summi Pontificis adventum expectabunt.

Reverendissimi DD. Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, et Abbates Generales amictu, pluviali *rubri coloris*, et mitra simplici ex lino, necnon Poenitentiarii Basilicae Vaticanae planctis rubris induti in aula ducali in sacellum praefatum convenient.

Protonotarii cappas, Auditores Rotae, Clerici Camerae, Votantes Signaturae Justitiae, et Abbreviatores de parco majori, superpelliccum supra Rocchettum; Advocati consistoriales consuetas vestes violaceas cum caputiis assument, in sacellum sixtinum ut supra convenient.

Summus Pontifex intonato in enunciato sacello hymno « *Ave maris stella* » et sella gestatoria conscensa, postquam tres Cereos ab Eminentissimo D. Cardinali Clarelli Canonizationis Procuratore acceperit, consueto supplicationis ritu, minorem ex cereis sinistra deferens, praeeuntibus Eminentissimis Patribus, ceterisque, prout de more, omnibus manu cereum accensum gestantibus, et preces recitantibus in Basilicam Vaticanam evehetur.

Cum autem Sanctissimus Dominus Noster suis Apostolicis literis in forma Brevis datis die 23 vertentis mensis Maji omnes Sacrorum Antistites tam solemni Canonizationi praesentes, qui nondum pontificio solio assistentes renunciati fuere, in collegium idem cooptandos, et hujusmodi honore decorandos esse censuerit; tum in eadem supplicatione ipsi Antistites ita incedant, ut servetur dumtaxat inter eos ordo dignitatis patriarchalis, primatialis archiepiscopalis, et episcopalis, atque habita temporis ratione propriae cujusque promotionis. Ex hisce decem et octo tantum super gradus solii eidem Sanctissimo Domino assistentiam praestabunt, reliqui vero locum tenebunt in subselliis sibi paratis, servato ut supra dignitatis et promotionis ordine.

In commemorata solemni supplicatione Eminentissimi Domini Cardinales praeter Caudatarium secum tantum deferent unum e suis nobilibus familiaribus talari veste in-

dutum; Reverendissimis autem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis dumtaxat, permittitur unus cappellanus.

In Basilica Vaticana Sanctissimum Sacramentum adorabunt: tum ad aram maximam accedent, ubi sacrae actioni solemnis Canonizationis praedictorum Beatorum per Sanctitatem Suam explendae, et deinde Missae consueto pontificali ritu per eamdem celebrandae intererunt. Post evangelium Summus Pontifex habebit homiliam, qua absoluta, solemnem populo benedictionem impertiet; et Cardinalis Episcopus assistens plenariam indulgentiam promulgabit.

Eminentissimi DD. Cardinales Congregationi Sac. Rituum praepositi, lecto offertorio, oblationes a duobus nobilibus eorum familiaribus delatas Sanctitati Suae, ut ritus fert, praestabunt.

Festi ignes et luminaria, ut moris est, sub nocte ejusdem Dominicae, et sequentis diei fient in peractae Canonizationis laetitiam.

Intimentur ideo omnes, et singuli Emi, et Rmi DD. Cardinales, Rmi Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, et Episcopi in Urbe praesentes, Abbates Generales in Cappella locum habentes, Poenitentiarii Basilicae Vaticanae; Vicecamerarius, Princeps Solii, Auditor et Thesaurarius Rev. Cam. Apost., Antistes pontificiae domui praepositus, Protonotarii Apostolici, Generales Ordinum Mendicantium, Senator et Conservatores Urbis, Magister Sacri Hospitii, Auditores Rotae, Clerici Camerae Apostolicae, Votantes Signaturae Justitiae, Abbreviatores, Secretarius literarum Apostolicarum *ad Principes*, ceterique intimari soliti, ut omnes eadem hora in sixtinum Vaticani Palatii sacellum conveniant.

Decanus Acolythorum Votantium Signaturae justitiae moneat viginti Referendarios, ut ex his sexdecim induti veste violacea cum rocchetto et mantelletto praesto sint

ad sustinendum vicissim super Summum Pontificem baldacchinum; reliqui vero cum superpelliceo super rocchetum, Votantium et Abbreviatorum deficiente numero, eorum vices gerent in officium Acolytorum.

De Mandato SSm̃i D. N. PAPÆ

Aloisius Ferrari Proton. Apost. Caerem. Praefectus.

Similiter Eminentissimus et Reverendissimus Cardinalis qui Vice Sacra in Urbe fungitur binis hisce edictis curavit ut publicae laetitiae ab Urbis Ecclesiis per nolarum sonitum darentur signa; ut sacras ipsae penulas pro Antistitibus subministrarent; simulque ut Clerus uterque ad solemnem instituendam supplicationem in Vaticanas aedes conveniret.

DISPOSIZIONI

PER LA PROCESSIONE NEL GIORNO DELLA SOLENNE CANONIZZAZIONE DE'VENTISEI BEATI MARTIRI DEL GIAPPONE E DEL BEATO MICHELE DE'SANTI E PER IL SUONO DELLE CAMPANE

COSTANTINO per la Misericordia di Dio Vescovo di Porto e S. Rufina della S. R. C. CARD. PATRIZI Arciprete della Patriarcale Basilica Liberiana, della SANTITA' DI NOSTRO SIGNORE *Vicario Generale, della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario ec. ec.*

Il Clero Regolare si adunerà nel luogo solito come nella Processione del *Corpus Domini* alle ore 6 antimeridiane.

Il Clero Secolare si adunerà nell'indicata ora coll'ordine seguente:

I Capitoli delle Patriarcali di S. Giovanni in Laterano, e di S. Maria Maggiore si aduneranno nella Sala detta dei Paramenti coll'ingresso al n.° 4 della 1.ª loggia, che è sopra il Cortile di S. Damaso.

Lo stesso ingresso servirà pure al Seminario Romano,

che dovrà vestirsi nella Galleria contigua alla menzionata sala.

I Capitoli delle altre Basiliche si vestiranno nella Sala, che precede quella de'Paramenti coll'ingresso al n.° 3.

I Capitoli delle Collegiate, ed il Collegio de'Parrochi si vestiranno nella parte superiore della Sala Ducale coll'ingresso al n.° 2 della suddetta loggia.

Giunta che sarà l'ora, tutto il Clero Secolare e Regolare discenderà nel Portico, ove si ordina la Processione passando per la Scala del Museo, Cortile di S. Damaso, e la scala nuova.

La Processione uscirà dalla Porta maggiore del Palazzo Apostolico, volgerà subito a destra, e traversando in linea retta la Piazza del Vaticano, raggiungerà l'altro Portico per procedere alla Basilica. Giunta in vicinanza del secondo Portico una porzione di ciascuna corporazione, degli Orfani, e del Clero Regolare, che secondo la capacità del luogo verrà determinata dai Cerimonieri Pontificî, dividendosi dall'una e l'altra parte, resterà schierata colle respettive insegne fino al Monumento di Carlo Magno aspettando l'arrivo del Sommo Pontefice, l'altra porzione proseguirà fino dentro il Portico fermandosi in buon ordine nello spazio che resta dalla Porta Maggiore al Monumento di Costantino. Gli Alunni del Seminario Romano, i Parrochi, ed i Capitoli delle Collegiate, che incedono sotto la Croce del Clero, si fermeranno in ala nel Portico di Carlo Magno.

I Capitoli delle Basiliche minori senza il Padiglione, ed i Capitoli delle Patriarcali col Padiglione entreranno in Chiesa dividendosi similmente in due ali dalla porta fino alle due Statue di S. Vincenzo De Paoli, e di S. Camillo, aspettando come sopra l'arrivo di Sua Beatitudine.

Tutto il Clero Secolare e Regolare porterà la Candela accesa, che verrà somministrata dai Ministri delle Postulazioni, e canterà, o reciterà durante la Processione

le Preci ordinate da Sua Santita', le quali in apposito libretto saranno distribuite.

Al segno del Cannone di Castel S. Angelo e delle Campane del Campidoglio, si dovranno far suonare le Campane di tutte le Chiese di Roma per lo spazio almeno di un'ora, ed i Superiori delle rispettive Chiese saranno responsabili dell'adempimento di quest'ordine.

Dato dalla Nostra Residenza li 31 Maggio 1862.

C. CARD. VICARIO

Palino Canonico Deangelis Segretario.

La Santita' di Nostro Signore PAPA PIO IX. ordina a tutti i Capitoli delle Patriarcali, Basiliche, e Collegiate, ed a tutti i Superiori delle Chiese tanto Secolari, che Regolari di Roma di rimettere in questa Segreteria del Vicariato tutti i Pluviali di color rosso di lama, e di qualunque altro drappo di seta, che non siano con recamo in oro, nei giorni 2, e 3 del prossimo mese di Giugno dalle ore 9 alle 12 antimeridiane, e di porre a detti Pluviali qualche contrasegno della Chiesa cui appartengono, per poi mandarli a ritirare dopo il giorno 12 del sudetto mese di Giugno.

Dato dalla Nostra Residenza li 24 Maggio 1862.

C. CARD. VICARIO

Palino Canonico Deangelis Segretario.

In praeludio diei Pentecostes ante meridiem Illustrissimus et Reverendissimus P. D. Magister Eduardus Borromeo-Arese Pontificiae Domui Praepositus; Rmus P. D. Salvator Vitelleschi Archiepiscopus Seleucensis, Canonicus Vaticanus consilii sumptibus pompae coercendis a secretis, et Postulatorum Praefectus; R. P. D. Aloisius Ferrari Apostolicarum Caeremoniarum Antistitum Praefectus,

et Canonicus Lateranensis; Excellentissimus Marchio Hieronymus Sacchetti summus assignandarum tuendarumque dietarum in Pontificiis Aedibus Magister; Dominus Eques Alfredus de Sonneberg cohortis Praetoriae Helvetiae Praefectus; Dominus Eques Philippus Bertazzoli a supellectile Sacri Palatii Procurator; et RR. PP. Postulatores Beatorum de quibus res est in Sanctorum numerum adscriptionis, omnia quae in Basilica Vaticana pro solemni caeremonia parata erant maxima perlustrarunt diligentia praesertim pulpita (vulgo *Palchi*) pene innumera ad excipiendos viros ecclesiasticos exteros, nobiles laicos ac matronas, quibus per tesseram typis cusam, et cura Reverendissimi P. D. Domus Pontificalis Magistri distributam dabatur aditus. Ibi actum quoque est de repagulis in magna Ecclesiae navi instruendis quibus, relicto ad ingressum intervallo, populi arceretur impetus: de oblationum abacis penes quos Cardinalium familiares iisdem oblationibus inservituri manere debebant: de cubiculis post Pontificis Sedem ad varios usus dispositis: de custodiendo militum ope supplicationis itinere ne quis ejus perturbaret ordinem: et sic de rebus aliis. Horis vero vespertinis dum in sacello Sixtino Vesperarum solemnia persolvebantur ego Consilii Sacris tuendis Ritibus a secretis comitantibus aliquibus ecclesiasticis viris Consilii ejusdem Scribis, de more pro mei muneris ratione Basilicam Vaticanam late circuivi perlustratum num in picturis, vel epigraphibus aliquid forte minus rectum, vel indecorum deprehenderetur; ac praecipue num locus pro Reverendissimis Sacri Consilii tuendis Ritibus praepositi Praesulibus Officialibus, et Consultoribus esset prope subsellia Cardinalium Diaconorum decenter paratus.

Illuxit tandem auspicatissima illa Pentecostes dies, et sol in axe prae novorum Coelitum triumpho nitidior splendescere videbatur. Summo mane ingens populi cujusve ordinis multitudo ad Vaticanam Basilicam ex omnibus erumpens viis properabat; et curruum adeo frequens erat copia, ut ab Aelio Ponte usque ad maximum Basilicae forum alter alteri instando nonnisi magna cunctatione optatam possent metam pertingere.

Jam milites Sedis Apostolicae tum equites tum pedites, ac praetoriani Helvetii, Gallique e praesidio Romam tuendo Ecclesiae Principatu ab eorum Imperatore misso, proprias tam intra, quam extra Basilicam agebant stationes. Jam cives, advenaeque ex omni sexu, aetate, natione, ac dignitate in tesseris notata praeoccupaverant loca: jam Cardinales, Episcopi, ceterique Ordines qui Pontificiis solemnis interesse solent; nec non Clerus uterque in Aulis

Sixtinum sacellum circumstantibus proprias sumpseraut vestes: jam omnes a nutu Pontificis pendebaut, a quo Sacrae Pompae ritui dandum erat initium.

Hora in Moniti scheda designata Beatissimus Pater sacrarium Sixtini sacelli adiens vestes Pontificales super faldam induit, nempe amictum, albam, cingulum, stolam, rubramque solemnem Peuulam (vulgo *Manto*) phrygio opere elegantissime distinctam, pretiosaque fibula ante pectus obfirmatam, caput vero triregno redimivit. Inde pedes ad Sacellum Sixtinum perrexit, ibique adstautibus signo crucis benedictionem a Domino adprecatus, pontificali innixus subsellio ante altare genua submisit, atque aliquantulum oravit; deinde surgeus, detecto capite, Hymnum *Ave Maris Stella* praecinuit, genuaque iterum ad pontificalem sellam flexit, cantoribus primam ejusdem hymui stropham canentibus.

Cum haec in Sixtino Sacello agerentur jam solemnis supplicatio statutum graviter percurrebat iter; scilicet a Constantiniana Porticu exiens magnum permeabat forum, inde alteram Caroli Magni Porticum trajiciens agminibus hinc inde divisis stetit, servatoque praecedeutiae ordine digniores coetus de Clero Ecclesiarum Patriarchalium intra Basilicam, ceteri vero in illius limine, vel extra illud manentes Vexilla Beatorum qui in albo Sauctorum referendi eraut, et Summum Pontificem obsequuturi expectabant. Vaticanum Cauonicorum Collegium cum Clero in pronao Basilicae constitit accedentem Summum Poutificem excepturum.

Omnes incedebant cereas faces accensas manibus gestantes, quae vel ad ostium Sacelli Sixtiui, vel in imis scalae Berninianae gradibus a distributoribus una cum precum libellis singulis diribebautur. Preces vero tali modo se habebant:

INDULGENTIA

SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PIUS DIVINA PROVIDENTIA PAPA NONUS.

Pie, religioseque Processioni interessentibus, et sequentes Hymnos, et Psalmos recitantibus Quinquaginta Annos, et totidem Quadragenas de vera Indulgentia in consueta Ecclesiae forma concedit.

HYMNI, ET PSALMI

Hymnus

Ave maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix coeli porta.
Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Hevae nomen.
Solve vincla reis,
Profer lumen caecis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos
Mites fac et castos.
Vitam praesta puram,
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum
Semper collaetemur.
Sit laus Deo Patri
Summo Christo decus,
Spiritui Sancto
Tribus honor unus.
Amen.

Hymnus

Quem terra, pontus, sidera
Colunt adorant praedicant
Trinam regentem machinam
Claustrum Mariae bajulat.
Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora
Perfusa coeli gratia
Gestant puellae viscera.
Beata Mater, munere
Cujus supernus artifex
Mundum pugillo continens
Ventris sub arca clausus est.
Beata coeli nuntio
Foecunda Sancto Spiritu,
Desideratus gentibus
Cujus per alvum fusus est.
Jesu tibi sit gloria
Qui natus es de Virgine
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula.
Amen.

Hymnus

O gloriosa virginum
Sublimis inter sidera,
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Heva tristis abstulit
  Tu reddis almo germine
  Intrent ut astra flebiles
  Coeli recludis cardines.
Tu regis alti janua
  Et aula lucis fulgida:
  Vitam datam per Virginem
  Gentes redemptae plaudite.
Jesu tibi sit gloria,
  Qui natus es de Virgine
  Cum Patre et almo Spiritu
  In sempiterna saecula.
  Amen.

Hymnus

Rex gloriose martyrum,
  Corona confitentium,
  Qui respuentes terrea
  Perducis ad coelestia.
Aurem benignam protinus
  Intende nostris vocibus,
  Trophaea sacra pangimus,
  Ignosce quod deliquimus.
Tu vincis inter martyres,
  Parcisque confessoribus,
  Tu vince nostra crimina
  Largitor indulgentiae.
Deo Patri sit gloria,
  Et Filio qui a mortuis
  Surrexit, ac Paraclito
  In saeculorum saecula.
  Amen.

Hymnus

Christo profusum sanguinem,
  Et martyrum victorias,
  Dignamque coelo lauream
  Laetis sequamur vocibus.
Terrore victo saeculi,
  Poenisque spretis corporis,
  Mortis sacrae compendio
  Vitam beatam possident.
Traduntur igni martyres,
  Et bestiarum dentibus,
  Armata saevit ungulis
  Tortoris insani manus.
Nudata pendent viscera,
  Sanguis sacratus funditur,
  Sed permanent immobiles
  Vitae perennis gratia.
Te nunc Redemptor quaesumus,
  Ut martyrum consortio
  Jungas precantes servulos
  In sempiterna saecula.
  Amen.

Hymnus

Iste confessor Domini, colentes
  Quem pie laudant populi per orbem,
  Hac die laetus meruit supremos
  Laudis honores.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit aurae
Spiritus artus.

Cujus ob praestans meritum frequenter,
Aegra quae passim jacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.

Noster hinc illi chorus obsequentem
Concinit laudem, celebresque palmas,
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per aevum.

Sit laus illi, decus, atque virtus,
Qui super coeli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat
Trinus et Unus. Amen.

Hymnus

Jesu, corona celsior,
Et veritas sublimior,
Qui confitenti servulo
Reddis perenne praemium.

Da supplicanti coetui,
Hujus rogatu, noxii
Remissionem criminis,
Rumpendo nexum vinculi.

Anni reverso tempore
Dies refulsit lumine,
Quo Sanctus hic de corpore
Migravit inter sidera.

Hic vana terrae gaudia,
Et luculenta praedia
Polluta sorde deputans
Ovans tenet coelestia.

Te Christe Rex piissime,
Hic confitendo jugiter,
Calcavit artes daemonum
Saevumque averni principem.

Virtute clarus, et fide,
Confessione sedulus,
Jejuna membra deferens
Dapes supernas obtinet.

Proinde Te piissime
Precamur omnes supplices,
Nobis ut hujus gratia
Poenas remittas debitas.

Deo Patri sit gloria
Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito
In saeculorum saecula.
Amen.

SEQUUNTUR DEINDE PSALMI

Psalmus 8.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua * super coelos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo coelos tuos opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quae tu fundasti.

Quid est homo quod memor es ejus? * aut filius hominis quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab angelis, gloria et honore coronasti eum, * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus, * oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres coeli et pisces maris, * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster, * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri etc.

Psalmus 14.

Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? * aut quis requiescet in monte sancto tuo?

Qui ingreditur sine macula, * et operatur justitiam.

Qui loquitur veritatem in corde suo, * qui non egit dolum in lingua sua.

Nec fecit proximo suo malum, * et opprobrium non accepit adversus proximos suos.

Ad nihilum deductus est in conspectu ejus malignus: * timentes autem Dominum glorificat.

Qui jurat proximo suo, et non decipit, * qui pecuniam suam non dedit ad usuram, et munera super innocentem non accepit.

Qui facit haec, * non movebitur in aeternum.

Gloria Patri etc.

Psalmus 23.

Domini est terra et plenitudo ejus; * orbis terrarum et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum, * et super flumina praeparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini? * aut quis stabit in loco sancto ejus?

Innocens manibus et mundo corde, * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino: * et misericordiam a Deo salutari suo.

Haec est generatio quaerentium eum, * quaerentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus fortis et potens, Dominus potens in praelio.

Attollite portas, principes, vestras, et elevamini portae aeternales, * et introibit rex gloriae.

Quis est iste rex gloriae? * Dominus virtutum ipse est rex gloriae.

Gloria Patri etc.

Psalmus 32.

Exultate justi in Domino: * rectos decet collaudatio.

Confitemini Domino in cithara: * in psalterio decem chordarum psallite illi.

Cantate ei canticum novum: * bene psallite ei in vociferatione.

Quia rectum est verbum Domini: * et omnia opera ejus in fide.

Diligit misericordiam, et judicium: * misericordia Domini plena est terra.

Verbo Domini coeli firmati sunt: * et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.

Congregans sicut in utre aquas maris: * ponens in thesauris abyssos.

Timeat Dominum omnis terra: * ab eo autem commoveantur omnes inhabitantes orbem.

Quoniam ipse dixit, et facta sunt: * ipse mandavit, et creata sunt.

Dominus dissipat consilia gentium: * reprobat autem cogitationes populorum, et reprobat consilia principum.

Consilium autem Domini in aeternum manet: * cogitationes cordis ejus in generationem, et generationem.

Beata gens, cujus est Dominus Deus ejus: * populus,

quem elegit in haereditatem sibi.

De coelo respexit Dominus: * vidit omnes filios hominum.

De praeparato habitaculo suo: * respexit super omnes, qui habitant terram.

Qui finxit singillatim corda eorum: * qui intelligit omnia opera eorum.

Non salvatur rex per multam virtutem: * et gigas non salvabitur in multitudine virtutis suae.

Fallax equus ad salutem: * in abundantia autem virtutis suae non salvabitur.

Ecce oculi Domini super metuentes eum: * et in eis, qui sperant super misericordia ejus.

Ut eruat a morte animas eorum: * et alat eos in fame.

Anima nostra sustinet Dominum: * quoniam adjutor et protector noster est.

Quia in eo laetabitur cor nostrum: * et in nomine sancto ejus speravimus.

Fiat misericordia tua Domine super nos: * quemadmodum speravimus in te.

Gloria Patri etc.

Psalmus 33.

Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo.

In Domino laudabitur anima mea. * audiant mansueti, et laetentur.

Magnificate Dominum mecum: * et exaltemus nomen ejus in idipsum.

Exquisivi Dominum et exaudivit me: * et ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.

Accedite ad eum et illuminamini: * et facies vestrae non confundentur.

Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum: * et de omnibus tribulationibus ejus salvavit eum.

Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum: * et eripiet eos.

Gustate et videte quoniam suavis est Dominus: * beatus vir qui sperat in eo.

Timete Dominum omnes Sancti ejus: * quoniam non est inopia timentibus eum.

Divites eguerunt et esurierunt: * inquirentes autem Do-

minum non minuentur omni bono.

Venite, filii, audite me: * timorem Domini docebo vos.

Quis est homo qui vult vitam: * diligit dies videre bonos?

Prohibe linguam tuam a malo: * et labia tua ne loquantur dolum.

Diverte a malo, et fac bonum; * inquire pacem, et persequere eam.

Oculi Domini super justos: * et aures ejus in preces eorum.

Vultus autem Domini super facientes mala; * ut perdat de terra memoriam eorum.

Clamaverunt justi, et Dominus exaudivit eos: * et ex omnibus tribulationibus eorum liberavit eos.

Juxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde: * et humiles spiritu salvabit.

Multae tribulationes justorum: * et de omnibus his liberabit eos Dominus.

Custodit Dominus omnia ossa eorum: * unum ex his non conteretur.

Mors peccatorum pessima: * et qui oderunt justum, delinquent.

Redimet Dominus animas servorum suorum: * et non delinquent omnes qui sperant in eo.

Gloria Patri etc.

Psalmus 45.

Deus noster refugium, et virtus: * adjutor in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra: * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatae sunt aquae eorum: * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus laetificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur: * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatae sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobis-

cum: * susceptor noster Deus Jacob.

Venite, et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram: * auferens bella usque ad finem terrae.

Arcum conteret, et confringet arma: * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte, quoniam ego sum Deus: * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum: * susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri etc.

Psalmus 95.

Cantate Domino canticum novum: * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus: * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter Gentes gloriam ejus: * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis: * terribilis est super omnes Deos.

Quoniam omnes dii gentium daemonia: * Dominus autem coelos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus: * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino patriae gentium, afferte Domino gloriam et honorem: * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus: * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra: * dicite in gentibus quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terrae qui non commovebitur: * judicabit populos in aequitate.

Laetentur coeli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus: * gaudebunt campi, et omnia quae in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrae in aequitate: * et populos in veritate sua.

Gloria Patri etc.

Psalmus 97.

Cantate Domino canticum novum: * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus: * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum: * in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiae suae: * et veritatis suae domui Israel.

Viderunt omnes termini terrae: * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi: * in tubis ductilibus, et voce tubae corneae.

Jubilate in conspectu Regis Domini: * moveatur mare et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a conspectu Domini: * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia: * et populos in aequitate.

Gloria Patri etc.

Psalmus 116.

Laudate Dominum omnes Gentes: * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri etc.

IN INGRESSU BASILICAE

Antiphona

Regina coeli laetare, Alleluja,
Quia quem meruistî portare, Alleluja,
Resurrexit sicut dixit, Alleluja.
Ora pro nobis Deum, Alleluja.

LAUS DEO.

Ordo autem solemnis istius supplicationis hujusmodi fuit.

Omnium primi procedebant alumni Orphanotrophii.
Sodales religiosae familiae a Poenitentia.
Sodales Augustiniani excalceati.
Sodales Franciscales capulati.
Sodales calceati Mariani Mercedarii.
Sodales religiosae familiae B. Petri Pisani.
Sodales Franciscales Paullani seu Ordinis Minimorum.
Sodales Franciscales tertiani.
Sodales Franciscales a Conventu.
Franciscales veteris observantiae.
Sodales Augustiniani calceati.
Carmelitae calceati.
Sodales Ordinis Servorum B. Mariae Virginis.
Ac postremo Dominicani seu sodales Ordinis Praedicatorum, quos pene sequebantur Monachorum Congregationes nempe:

PP. Olivetani.
Cistercienses.
Patres a Valle umbrosa.

PP. Camaldulenses et
Cassinenses.
omnes ex Ordine S. Benedicti.
Denique Canonici regulares Lateranenses a D. N. Jesu Servatore.
Hos autem excipiebant post elatam Cleri Saecularis Crucem
Clerici Seminarii Romani alumni.
Rectorum Curiarum Urbis Collegium.
Dein Collegialium Ecclesiarum Canonici ac Beneficiarii.
S. Hieronymi Illyriorum.
S. Anastasiae.
Ss. Celsi et Juliani.
S. Angeli ad Forum Piscarium.
S. Eustachii.
S. Mariae ad Viam Latam.
S. Nicolai ad Carcerem Tullianum.
S. Marci.
S. Mariae ad Martyres.
Quos omnes Quaestor Romani Cleri sequebatur.

Procedebant subinde Canonici ac Beneficiarii minoribus adscripti Basilicis, quos, post propriam singulorum Ordinum Crucem, tintinnabula ac tentoria praeibant. Erant autem hi:

Canonici ac Beneficiarii
S. Mariae Reginae Coeli.

S Mariae ad Scholam graecam.

S. Laurentii in Damaso.

S. Mariae trans Tiberim.

Demum incedebant Canonici ac Beneficiarii Patriarchalium Basilicarum Liberianae, Vaticanae, et Lateranensis quae Cathedralis Romana est, ac princeps omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum.

Hinc gradiebatur Antistes suffectus Cardinali Vice Sacra in Urbe fungenti una cum cognitoribus et administris Sacrae ejusdem Curiae; quem sequebantur sacrorum Rituum consultores, Religiosi primum juxta cooptationis eorumdem ordinem, ii subinde qui inter Antistites recensentur, ac Sacri Consilii Ritibus iisdem tuendis praepositi Officiales, et Ego ejusdem S. Consilii a Secretis juxta suum quilibet dignitatis gradum.

Hinc sex procedebant sodales ex Ordine Reformatorum excalceatorum Sanctissimae Triadis a Redemptione captivorum superpelliceo induti accensasque faces ad pectus elatas gestantes.

Vexillum post hos Beati Michaelis de Sanctis sex vexillarii Sodales praeferebant; funes autem sericos e transversa vexilli ejusdem hasta pendentes quatuor religiosi ex eadem familia propriis dumtaxat induti vestibus sustentabant.

Eodem modo sex e Societate Jesu, Sodales superpelliceo amicti cereasque attollentes faces vexillum Beatorum Pauli Miki et sociorum Martyrum praeibant a sex sodalibus qui a P. Caravita nuncupantur suffultum, restesque sericos vexillo alligatos quatuor ex eadem Societate sodales excipiebant.

Vexillum itidem Beatorum Petri Baptistae et sociorum Martyrum sex pone Sodales a Sacris S. Francisci Stigmatibus vehebant cereos pariter praeferentibus sex superpelliceo amictis Franciscalibus. Descendentes autem ab eo toros tum tres Franciscales, tum alter ex superstitibus Beati Martini ab Ascensione agnatis qui sacerdotali auctus erat dignitate gestabant.

Sequebantur inde nobiles eorum Ordines quibus jus est Pontificiis solemniis adstandi.

Cubicularii ornamentarii et intimi ense ac ricinio veteri hispanico more induti.

Patroni Decuriales Sacri Palatii lacerna serica atrata vestem talarem superinduti.

Magister pietatis familiae Pontificiae domus e religioso coetu Servorum B. Mariae Virginis, una cum Oratore Apostolico e Franciscalibus capulatis.

Decuriales, et intimi a sacris domus Pontificis triregnum atque infulas pretiosas Summi Pontificis gestantes.

Reliqui intimi a Sacris.

Advocatus fisci ac Praepositus negociis aerarii pontificii, nec non Sacrae Consistorialis Aulae Advocati lacernis violaceis circumamicti.

Cubicularii honorarii et intimi tunica manticata ac cucullata rubri coloris indnti.

Cantores pontificii veste violacea ac superpelliceo amicti concinentes hymnum *Ave Maris stella.*

Praesules a relationibus judiciorum recognoscendorum, et veniae Principis impetrandae amiculis lineis manicatis ac superpelliceo induti; inter quos Presbyter, Diaconns, et Subdiaconus Pontificiis solemniis assistentes primus Lateranensis, alter Vaticanae, tertius Liberianae Basilicarum Canonici.

Praesules adlecti in Collegium breviatorum Ordinis primi.

Praesnles adsciti in consilium Principis ad causas rerum judicatarum dirimendas, seu Signaturae Justitiae.

XII. Viri aerarii Pontificii et Urbi curandae.

XII. Viri S. Consilii litibus judicandis seu S. Romanae Rotae Auditores, omnes ut ceteri praesules induti.

Magister Sacri Palatii e Praedicatorum Ordine cum juniore ex postremis XII. viris incedens.

Duo intimi a Sacris domus Pontificalis tiaram atque infulam pontificias usuarias gestantes.

Sacri Hospitii Praefectus habitu nobilium ornatus.

Hinc Acolythus qui alter erat ex praesulibus in consilium adscitis ad causas rerum judicatarum dirimendas seu Signaturae Justitiae thuribulum tractans.

Sequebatur Subdiaconus Apostolicus saeris sui Ordinis vestibus indutus qui alter erat ex XII. viris S. Consilii litibus judicandis seu Rotae Romanae Auditor ac pontificiam deferebat Crucem medius inter septem alios Acolythos ex eodem ac primus ordine candelabra praeseferentes cum cereis accensis ac fasciculis ex taleo circumornatis. Apud subdiaconum duo Magistri Ostiarii a virga rubra incedebant.

Subdiaconus Apostolicus Epistolam in solemni sacro cantaturus alter itidem ex Sacrae Rotae Auditoribus ditissima subdiaconali tunica ornatus ex serico villoso rubro phrygio opere distincto, medius inter Diaconnm et Subdiaconum Graecos tunicis proprii ritus indutos.

Praefecti admissis poenitentium in Vaticana Basilica expiandis ex ordine Franciscalium a Conventu serica damascena Sacerdotali veste rubri coloris amicti quos anteibant duo Clerici linteati oblongas virgas floribus ornatas sustinentes.

Abbates infulati inter quos Praesul Praeceptor Collegii S. Spiritus.

Episcopi et Archiepiscopi.

Primates et Patriarchae omnes linteas gestantes infulas ac solemni penula rubri coloris induti; Abbates quidem ex serico damasceno, ceteri vero ex auro textili confecta.

Purpuratorum deinde Patrum incedebat amplissimus Senatus Diaconi, Presbyteri, et Episcopi Cardinales comitantibus tantummodo iis qui a Syrmate erant et admissionum Magistris: Sacris ipsi ornabantur rubris vestibus ex auro textili elegantissimo superinducto opere phrygio, nempe super lineum manicatum amiculum, atque huic impositum lineum itidem amictum Dalmatica Diaconi: pari amictu et Sacerdotali Casula Presbyteri; amictuque eodem super linteam tuniculam, manicatumque amiculum ac solemni penula fibulis unionum contextu fulgentibus obfirmata Episcopi; omnes autem infulis ex serico damasceno albo confectis redimiti erant.

Dein pergebant Senator ac Viri R. P. C. magna toga ex auro textili circumamicti.

Reverendissimus P. D. Praesul Urbis Praefectus lacerna violacea indutus a dextra Excellentissimi Principis statoris proximi a solio, qui erat trabea serica nigra super equestrem habitum circumornatus.

Duo Praesules Pronotarii Apostolici e numero beneficiariorum Syrmatis fimbriam Pontificis dum pedes incederet elaturi.

Duo Cardinales Diaconi Solio adstituri medium habentes Cardinalem Diaconum in solemni Sacro ministraturum, qui eadem ac Apostolicus canendae Epistolae Subdiaconus vestiebatur Dalmatica.

Duo Caeremoniarum Antistites Pontifici adstantes.


Postremo Summus Pontifex uti Christi Vicarius, et summus Christiani gregis Pastor cui personam Petri gerenti datum est aperire terris coelum, apertumque claudere, maxima procedebat dignitate circumdatus; sublimi deferebatur sella gestatoria sub tentorio ex textili auro rubro octo hastis argento obductis innixo, et a totidem suffulto Praesulibus palliolo ac vestibus violaceis induti, qui e numero Antistitum a relationibus judiciorum recognoscendorum alternis vicibus ciebantur: Ipse sinistra faculam accensam manu gestabat, et dextera populo benedicebat.


Utrique tentorii adsistebant lateri Equites nobiles protectores praeeuntibus eorum Ducibus.

Duo intimi cubicularii a latere Pontificis pavonina flabella sustinebant comitantibus sociis eisdem per alternas vices successuris.

Servientes armorum hinc inde.

TAV. 7.





Medius inter duos nobiles cubicularios intimos Seuior e S. Rotae Auditoribus infulam, qua uti Pontifex debebat, gestans.

Octo Pontificii Cantores suaviori concentu hymnos canentes.

Reverendissimus P. D. Antistes Maximus Curiae Innocentianae.

Reverendissimus P. D. Praefectus Aerarii.

Reverendissimus P. D. Pontificiae Domus Praepositus.

Praesules Protonotarii Apostolici; omnes lacernis violaceis induti.

Ac tandem Summi Regularium familiarum Moderatores.

In primo magnificentissimi Vaticani templi ingressu uniuscujusque intuentium animus mirabili rapiebatur extasi; tam varia ac dives erat aulaeorum per parietes quaque versus dispositio; tam decorus devotusque adspectus tabularum mira referentium gesta Beatorum mox in Sanctorum numerum adscribendorum; tantus deuique luminum undequaque coruscantium splendor, ut ornatissimam Divini Agni Sponsam Jerusalem novam de coelo descendisse crediderις.

Verum cum homiuum animus magis iis oblectari soleat quae oculis contemplatur, quam iis quae auribus, vel lectione percipiat, ideo opportunius duxi Scenographicas hic Lectori totius templi ornatus exhibere tabulas, ut uno oculorum intuitu et loci augustissimi magnificentia stupeat, ueque architecti peritiam miuori prosequatur admiratione. Gesta dumtaxat Beatorum in tabulis lunatis expressa iudicabo, nec non epigraphes illa explanantes referam.

In prima tabula ad dexteram ingredientium Basilicam sita pictor Sauctos adolescentulos Japonenses Antonium et Ludovicum delineavit, qui spretis parentum lacrymis alacres ad Cruces properabant; in subjecta legebatur epigraphe;

SS . ANTONIVS . ET . LVDOVICVS . ADOLESCENTVLI
PARENTIBVS . AC . MILITVM . DVCE . FRVSTRA . HORTANTIBVS
VT . SE . TORMENTIS . SVBDVCERENT
AD . CERTAMEN . LAETISSIME . PROPERANT
AC . MARTYRVM . CORONAS . CONSEQVVNTVR .

Altera sequens tabula mulierem morti proximam exhibebat cujus filia prope lectum dolore illacrymans Sanctum Michaelem de Sanctis Seraphica micantem specie matrem sanaturum conspexit.

Haec erat epigraphes;

S . MICHAEL . POST . OBITVM . SERAPHIM . FORMA . INDVTVS
POENITENTEM . SVAM . GRAVI . MORBO . OPPRESSAM . INVISIT
AC . SALVTARI . PRECATIONE . SANITATI . CONFESTIM . RESTITVIT

Sanctum Joannem de Goto e Societate Jesu patrem aetate gravem ad martyrium faciendum, patremque egregium, filium ad sanguinem pro Christo effundendum invicem excitantes tertia exprimebat tabula.

En epigraphem.

S . JOANNI . DE . GOTO . AD . SVPPLICIVM . ALACRITER . PROPERANTI
OBVIVS . FIT . GRANDAEVVS . PATER . ANIMO . ET . VIRTVTE . COMPAR
HIC . AD . PALMAM . ILLE . AD . PUGNAM . ALTERVM . ADHORTATVR

Sanctus Michael in sublime raptus dum rem divinam facit in quarta apparebat tabula.

Verba epigraphis haec erant :

S . MICHAEL . SACRIS . OPERANS . DE . DIVINIS . DISSERENS
SAEPISSIME . EXTRA . SENSVS . RAPTVS
COELESTI . CIRCVMFVSVS . LVCE . ADSTANTES . COMMOVET
EX . PRAVA . AD . HONESTAM . VITAE . RATIONEM . REPENTE . DEDVCIT
ET . SACRAMENTI . AVGVSTI . AMORE . INFLAMMAT

E quatuor pilarum magni Tholi podiis totidem erant appensae praegrandes orbiculatae tabulae, quarum quae dextrorsum erat igneos splendores ad Martyrum corpora noctu collustranda coelitus immissos exhibebat.

Hoc prodigium subjecta indicabat epigraphes :

COELESTES . IGNES . INSTAR . COLVMNAE . DIVINITUS . MISSI
NON . SEMEL . PER . NOCTEM . CORPORA
MARTYRVM . COLLVSTRANT
INSPECTANTE . NANGASACHIENSIVM
CIVITATE . VNIVERSA

Horribilis Meacensis Carcer in quo jam Franciscales detinebantur Martyres ad tres sodales e Societate Jesu excipiendos in quinta tabula apertus apparebat :

Ejus epigraphes erat :

TRES . E . SOCIETATE . IESV . MARTYRES . MEACI . IN . IPSO . ADITV . CARCERIS
RELIQVOS . EX . ORD . FRANCISCALIVM . SINGVLOS . AMPLEXANTVR
IISDEM . SE . GLORIOSI . CERTAMINIS . SOCIOS . LAETITIA
GESTIENTES . ADIVNGVNT

Super Altaris coronam in hemicyclo Sacelli SS. Processi et Martiniani, quod in transversae Basilicae aulae extremitate situm

est, magna altera conspiciebatur rotunda itidem pictura, quae Sodalem a Sanctissima Triade extremo phtysis morbo languentem, Sanctique aegroto visam Michaelis imaginem eum in pristinam restituentis valetudinem exprimebat.

Huic subjecta erat epigraphes:

IOANNES . ACCESSVS . ORD . EXCALC . TRINITATIS . AVG.
PHTYSI . ANIMAM . AGENS . S . MICHAELEM . INVOCAT
EXTEMPLO . SVRGIT . INCOLVMIS

Aeger quidam Japonus repente ex aquae potu, quae cingulum S. Petri Baptistae contigerat saluti redditus in sexta cernebatur tabula.

Epigraphes erat:

IAPONVS . QVIDAM . AEGER . AQVAM . POTVS
QVA . S . PETRI . BAPT . CINGVLVM . FVERAT . IMMERSVM
PRISTINAM . SANITATEM . SVBITO . RECVPERAT

In altero Pilarum podio tertia appendebatur ingens circinata tabula, in qua conspicere erat demortuorum corpora trium e Societate Jesu Martyrum crucibus affixa, et avibus in escam derelicta.

Subjecta epigraphes rapaces innocuas fuisse aves narrabat:

FERIS . AVIBVSQVE . DISCERPENDA . MARTYRVM . CORPORA . RELINQVVNTVR
QVAE . INGENITAE . AVIDITATIS . OBLITAE
VICTRICES . EXVVIAS
ATTINGERE . NON . AVDENT

A dextra introeuntium in amplissimum Theatri spatium appensum pilas inter manebat praegrande vexillum; quod licet nullam Beatorum imaginem referret, tamen ad summetriae pulchritudinem servandam Christi Religionis Sanctissimae simbolicam exhibebat imaginem, quam Angeli vel triumphales palmas, vel Martyrii instrumenta gestantes circumdabant.

Haec Vexillo subjecta legebatur epigraphes:

IESV . CHRISTE
CVSTOS . ET . VINDEX . ECCLESIAE . TVAE
PIVM . IX . PONT . MAX .
ET . ANTISTITES . VNIVERSI . CATHOLICI . NOMINIS
DEFENDAS . FORTVNESQ .
VOTIS . IMPIORVM . EVERSIS
RELIGIONE . VBIQVE . SERVATA

Septima dein posita erat tabula in qua nonnulli videbantur christifideles, Sancti Jacobi Kisai supplicii iter pergentis zonam in minutas partes pietatis causa lacerantes.

Epigraphes haec erat.

S. IACOBO . CHISAI . ALIQVOT . CHRISTIANOR . AD . SVPPLICII
LOCVM . OCCVRRVNT
IPSO . OBSISTENTE . LACINIAM . PIETATIS . CAVSA . E . CINGVLO . EIVS . AVVLSAM
SIBI . HABERE . AC . SERVARE . CONTENDVNT

Alterum inter pilas sese conspiciendum offerebat Vexillum in quo Christus Dominus Sanctorum splendoribus refulgens tres Martyres ex Lojolea Sobole in beatam requiem excipiens videbatur.

Verba epigraphis erant :

ADESTE . COELO . MARTYRES
ET . BONI . VOLENTES . FACITE
VTI . FIDES . CATHOLICA
QVAM . FVSO . SANGVINE . CONSIGNASTIS
IDOLORVM . SVPERSTITIONE . DELETA
DE . INTEGRO . IN . IAPONIA
RESTITVATVR

In sinistra vero Theatri parte tertium Vexillum pariter inter pilas evectum coelorum gloriam quam tres et viginti Martyres Franciscales felicissime adepti fuerant exhibebat.

In epigraphe legebatur :

QVI . CHRISTI . D . CRVCE . PARTAM
CRVCE . FIDEM . CONFIRMASTIS
ADESTE . CATHOLICIS
VTI . NEQVOS
PRAECLARA . SPECIE . DECEPTOS
CRVCIS . INIMICI
IN . VETERVM . ERRORVM . COENVM
REIICIANT

Virum ex Indica gente morsu serpentis jam animam agentem a S. Francisco de-la-Parilia signo Crucis extemplo sanatum octava exprimebat, quae sequebatur tabula.

Id legenti indicabat epigraphes :

VIRVM . INDVM . SERPENTIS . MORSV . AD . MORTEM . ADACTVM
S . FRANCISCVS . DE . LA . PARILIA
SIGNO . CRVCIS . INCOLVMEM . SERVAT

Quartum denique apparebat Vexillum pilas inter uti tria cetera undans Sanctum Michaelem de Sanctis ab Angelis ad Christi Domini amplexum elatum exhibens.

Hispaniae fausta subjecta adprecabatur epigraphes:

GAVDE . O . HISPANIA
MICHAELE . EXORANTE
TE . PROTEGIT . DEVS
EN . ILLE . TVI . DECVS . ET . GLORIA
INSERITVR . COELO
NOVIS . TE . VSQVE
BENEFICIIS . AVCTVRVS

Laevam dein petentibus transversae Basilicae Aulae partem quarta occurrebat e podio pendens orbica immensaque tabula, in qua Mulierem Japonensem fragmento Crucis S. Petri Baptistae sanatam, atque ab eo e Cruce ipsa baptismate ablutam pictor eleganter expresserat.

Inscriptionis verba id referebant:

QVAM . PETRI . BAPTISTAE . CRVCIS . FRAGMENTVM
FEMINAM . IAPONENSEM . INTERMORTVAM . SANAVIT
MARTYR . IPSE . DE . CRVCE . BAPTISMATE . ABLVIT

Mulierem alteram media jam morte correptam ac a S. Francisco De-la-Parilia sanitati restitutam, mox ab eodem sacro baptismate refectam nona praeferebat tabula.

Epigraphes ėrat:

S . FRANCISCVS . DE . LA . PARILIA
MVLIEREM . INDAM . MORTI . PROXIMAM . INVISENS
CRVCIS . SIGNO . STATIM . LIBERAT . SALVTARI . LAVACRO . CHRISTO . ADIVNGIT

In altero Aulae hujus hemicyclo Sacelli, quo S. Petri Apostoli colitur martyrium, tympano imposita pictura orbiculata erat quae Franciscam Navarrette-y-Sanz ab insanabili in labiis cancro S. Michaelis ope incolumitati redditam demonstrabat.

Insigne portentum subjecta indicabat epigraphes:

FRANCISCA . NAVARRETTE . Y . SANZ . GRANATAE
INSANABILI . CANCRO . IN . LABIIS . LABORANS
PRAESENTISSIMO . S . MICHAELIS . PRAESIDIO
TEMPORIS . MOMENTO . INCOLVMIS . EVADIT

S. Paulus Miki e Societate Jesu in carcere Ozacensi detentus ethnicos docens, ac baptismate abluens in decima conspiciebatur tabula.

En epigraphem tabulae adnexam:

S . PAVLVS . MIKI . IN . CARCERE . OZACENSI . ETHNICOS . SEX
AD . CHRISTIANAM . SAPIENTIAM . INSTITVIT
SANCTO . BAPTISMATE . ABLVIT

Inde ad principem Basilicae aulam remeantibus postrema magna e podio se offerebat in orbem picta effigies quae S. Petri Baptistae Cosmae Yoyae Filiam signo crucis ab elephantiasi sanantis mirum referebat prodigium.

Epigraphis verba erant:

FILIA . COSMAE . YOYAE . IAPON . FOEDA . ELEPHANTIASI . ABSVMPTA
PETRI . BAPT . SALVTARI . PRECATIONE . RECREATA . CONVALESCIT
IGNITAE . LINGVAE . DE . COELO . SVPER . ADSTANTIVM . CAPITA . COLLVCENT

In undecima vero tabula S. Michael de Sanctis occurrentes ad Coenobii januam aegrotos manibus impositis sanitati restituens cernebatur.

Haec erat epigraphes:

S . MICHAEL . IN . COENOBIVM . PINTIAE . VACCAEORVM
MVLTOS . AEGROTOS . AD . IANVAM . EVM . EXPECTANTES
SALVTIFERA . PRECATIONE . ADHIBITA
MANIBVSQVE . IMPOSITIS . CONTINVO . SANAT

Mare commotum et S. Petri Baptistae nutu sedatum in duodecima tabula pictoris industria mirabiliter expresserat.

In epigraphe legebatur:

MARIS . VNDAS . DIRA . PROCELLA . COMMOTAS
S . PETRVS . BAPTISTA . SIGNO . CRVCIS
ILLICO . IN . TRANQVILLVM . CONFERT

Elisabeth Rodriguez S. Michaelis Lipsanis admotis ab scirro in ubere illico sanatam decimatertia exhibebat tabula.

Inscriptio erat:

ELISABETH . RODRIGVEZ . EX . SCIRRO . IN . VBERE . DEPOSITO
S . MICHAELIS . LIPSANIS . ADMOTIS . ILLICO . CONVALESCIT

In postrema denique Tabula tres Martyres e Societate Jesu plaustro impositi et ad ignominiam in Foro Meacensi circumducti apparebant.

Epigraphes legentem docebat Paulum Miki e plaustro ad multitudinem de Christi fide alloquutum fuisse:

S . PAVLVS . MIKI . PLAVSTRO . AD . IGNOMINIAM . IMPOSITVS
IN . FORO . MEACENSI . AD . CONFERTAM . MVLTITVDINEM
PRO . CHRISTIANA . RELIGIONE . VERBA . FACIT

Hic etiam loci ceteras referre juvat epigraphes ac tabulas quae internas externasque Basilicae januas condecorabant.

In architectonico medianae januae apparatu aureis conscripti litteris hi legebantur versus:

TE . PETRE . VOSQVE . COELITVM . NOVENSILES
SVPPLEX . ADORAT . RITE . GENS . FIDELIVM
PROCVL . FREMENTIS . VIS . FACESSAT . TVRBINIS
ET . FAVSTA . LASSIS . SOSPITENTVR . SAECVLA

Templum vero a pronao ingredientibus supra ejusdem januae fastigium magna sese conspiciendam exhibebat rectangula tabula, in qua extremum Martyrum Franciscalium conspiciebatur supplicium: totidem persimiles positae erant tabulae in utriusque minoris januae tympanis; in dextera autem Petrum Martinez Japoniae Episcopum cum aliis nobilioribus illius gentis Viris Martyres Lojoleos jam vita functos venerantes Pictor expresserat; in laeva Dominum Jesum Sancto Michaeli de Sanctis in extasim rapto cor suum mystice tradentem fideles introeuntes admirabantur.

Haec duo sitae inter picturas epigraphes cives, exterosque ad faustissimam vocabant solemnitatem:

ADESTE . CIVES . ADVENAEQVE
DVM . NOS . VIS . IMPIA . TERRITAT . VRGET . SCELVS
DOLISQVE . PVLSA . VERITAS . RECEDIT
EN . QVOD . SEQVAMVR . AEMVLA . VIRTVTE . AC . FIDE
INVICTVM . ADFVLGET . AGMEN
CVIVS . TRIVMPHIS . PLAVDIMVS

CIVES . ADVENAEQVE . SVCCEDITE
DVM . NOS . MALESVADA . INLICIT . CVPIDO
DVM . MORES . IN . VITIVM . RVVNT
EN . VT. DISCAMVS . PERITVRA . TEMNERE
ET . VITAM . VIVAMVS . PVRITER
NOVVM . ADEST . EXEMPLAR . ET . PRAESIDIVM

Tandem e sublimi Basilicae Frontis Podio usque ad fastigium medii ex quinque amplissimis Ostiis per quae in vastum Pronaum patet ingressus maximum suspendebatur Vexillum candidatum Beatorum Sanctis adscribendorum referens exercitum. Quae illud circumdabat corolla Summi Pontificis, Cardinalium pompae sumptibus coercendis praepositorum, Postulatorum, eorumque Praesulis Praefecti, nec non alterius Praesulis S. Consilii tuendis ritibus a Secretis gentilitia in orbem exprimebat insignia. In extrema Vexilli hujus parte haec adventantes monebat Inscriptio.

PETRO . BAPT . ET . SOCIIS . XXII . EX . ORD . FRANCISCAL.
PAVLO . MIKI . IOANNI . SOAN . IACOBO . CHISAI . E . SOC . IESV
MARTYRIBVS . IAPONIIS
MICHAELI . DE . SANCTIS . CONF . EX . ORD . EXCALCEAT . A . TRINITATE . AVGVSTA
PIVS . IX . PONTIFEX . MAXIMVS
SANCTI . DEI . SPIRITVS . ADFLATV . AC . NVMINE
ACCITIS . VNDIQVE . VARIAR . GENTIVM . EPISCOPIS
ADVENIS . EX . ORBE . CATHOLICO . VNIVERSO
AD . FAVSTISSIMI . DIEI . CELEBRITATEM . CONFLVENTIBVS
SANCTORVM . COELITVM
SOLLEMNES . HONORES . DECERNIT

Inter tubarum sonitum, et Cantorum Basilicae Vaticanae voces Antiphonam *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* psallentes Beatissimus D. N. Pius Papa IX. Templum ingressus ad Sacram Sanctissimae Triadi aram Augustissimum Sacramentum solemniter expositum adoraturus recto contendit tramite. Posito ibi cereo, deductaque infula, ac Sella descendens ad precatorium scabellum serico villoso stragulo contectum genua advolvit, precesque una cum Sacro Senatu ceterisqne effudit. Mox surgens, infula, cereoque resumptis, Sellam rursus conscendit, et ad Aram maximam ubi solemnius pompae theatrum late porrigebatur directus est. Illuc perductus cereo seniori ex intimis Cubiculariis tradito, ad pontificale subsellium genua submisit Sacratissimum Beati Petri Sepulchrum veneraturus, quod immenso protegente Tholi fornice, subtus principem Aram aeneo magnificentissimo circumopertum tabernaculo, colitur. Dein adstantibus omnibus hinc inde benedicens nobilissimum conscendit Solium e regione altaris erectum ibique in Cathedra Petri sedit Suprema Christi vicaria in terris potestate perfunctrus Proindeque ad eum tamquam Summum Pastorem cui a Christo Domino agnorum, oviumque pascendi concredita est potestas omnes Purpurati patres, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, ac admissis poenitentium expiandis in Basilica Vaticana

Praefecti unus post alium sive manum, sive genu, sive pedes exosculati obedientiae obsequium praestituri accedebant. Interim Pontificii Cantores é proprio suggestu transennis circumcluso suavissimo Praenestino concentu antiphonam *Haec dies quam fecit Dominus exultemus et laetemur in ea* canebant. Et quidem diei huic uti illi memoriae Dominicae Anastaseos sacrae extraordinaria haec merito aptabatur laus quoniam coram ingenti hominum multitudine ex omni natione quae sub coelo est in Vaticana Basilica uti olim in Jerosolimitana Urbe collecta Spiritus Paracliti magnalia erant renovanda.

Obsequio praestito singuli propria petierunt rursus subsellia; quae textili stragulo laneo viridi pro Episcopis ac Praesulibus cooperiebantur, pro Cardinalibus autem atrebaticis tegebantur aulaeis. Hisce peractis, Eminentissimus Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani ad postulandos Beatis Sanctorum honores Procurator Deputatus una cum R. P. D. Andrea Maria Frattini Aulae Consistorialis Advocato, et altero ex Caeremoniarum Pontificalium Magistris ante imum Solii gradum accesserunt, cernuique Pontificem salutarunt, Cardinalis quidem stans, ceteri vero in genua procumbentes. Tunc Advocatus Consistorialis Cardinalis Procuratoris nomine ut Sanctitas Sua Beatos viginti sex Martyres Japonenses, et Michaelem de Sanctis Confessorem Sanctos cum Deo in Coelorum aula regnantes pronunciaret instanter postulavit his verbis.

Beatissime Pater

Reverendissimus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli Paracciani hic praesens instanter petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribi et tamquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos Beatum Petrum Baptistam ejusque Socios ex Ordine Minorum strictioris observantiae S. Francisci; Beatum Paulum Miki ac socios ejus e Societate Jesu omnes Martyres; et Beatum Michaelem De Sanctis Confessorem ex Ordine Fratrum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis.

Instantiae huic R. P. D. Lucas Pacifici ab Apostolicis ad Principes Literis Protonotariorum lacerna superindutus sinistror-

sum stans in solii area Summi Pontificis nomine verbis hisce respondit:

Laetissimus tandem illuxit dies, quo Sanctissimus Dominus Noster spirituali superabundans gaudio constituit Sanctorum honores, cultumque decernere Beatis Petro Baptistae, ejusque viginti et duobus sociis Ordini S. Francisci adscriptis, et Paulo Miki, illiusque duobus Sodalibus Societatis Jesu, triumphalem pro Christi fide in Japonia martyrii palmam adeptis, et Beato Michaeli De Sanctis Ordinis Sanctissimae Trinitatis redimendis captivis. Ac jam praesto sunt omnia quae ex more Sanctae Apostolicae Sedis ad tantam solemnitatem celebrandam parari oportebat. Templum hoc orbis miraculum undique fulgens quamdam exhibet speciem coelestis illius Templi, quo hi novi Sanctorum cives triumphantes excipiuntur. Adest sacer Sanctae Romanae Ecclesiae Senatus; adest venerabilis Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, et Romanorum Antistitum coetus: adest frequentissima fidelis populi cujusque ordinis, gradus et conditionis catholici orbis multitudo, qui omnes ab Eo, qui est totius Ecclesiae adspectabile Caput, quique claves regni coelorum ab ipso Christo Domino accepit summo pietatis studio efflagitant, ut hi Beati Servi Dei in Sanctorum numerum referantur. Itaque Sanctissimus Dominus Noster gaudio exultans maximas Deo Optimo Maximo gratias agit, cum videat singulari Ejus beneficio sibi tantae laetitiae obtigisse ministerium. Dum vero in eo est, ut solemni Decreto declaret ipsos Beatos dignos esse, qui inter Sanctos proponantur fidelibus ad imitationem, venerationem et praesidium, prae oculis habens quanta sit rei gravitas, quae inter maximas Apostolicae Sedis actiones jure meritoque numeratur, nunc potissimum censet in humilitate cordis thronum gratiae ferventissimis precibus esse adeundum, ut meritis, ac de-

precatione Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitricis Virginis Mariae, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et omnium Sanctorum tanti momenti res, benedicente Domino, pie sancteque perficiatur.

Inde Cardinalis Clarelli ceterique Pontificem iterum venerati retro concesserunt. Tum Beatissimus Pater relicta sede, infulaque ornatus ad sellam in ipsa solii area a Clericis paratam genua flexa submisit. In genua ad propria tunc loca et ceteri omnes procubuere. Mox duo cantores linteati ad gradus altaris ubi Evangelium decantari solet flexis genibus Sanctorum cecinere Litanias: quibus ad finem perductis Summus Pontifex sedem adiit, ibique infula redimitus sedit; ceterique simul consederunt.

Iterum Caeremoniarum Magister Cardinalem Procuratorem, Advocatumque Consistorialem ad solii Pontificii gradus adduxit; et Advocatus praedicti Cardinalis nomine petitionem suam his verbis instantius instauravit.

Beatissime Pater

Reverendissimus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli Paracciani hic praesens instanter, et instantius petit per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribi et tamquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos Beatos Petrum Baptistam ejusque Socios ex Ordine Minorum strictioris observantiae S. Francisci; Beatos Paulum Miki ac socios ejus e Societate Jesu omnes Martyres; et Beatum Michaelem De Sanctis Confessorem ex Ordine Fratrum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis.

Hujusmodi postulationi R. P. D. Praesul Apostolicarum Literarum a secretis hoc reddidit responsum:

Sanctissimus Dominus Noster adhuc preces fundi oportere censet, et eo ferventius, quo propius esse videt, ut

sententiam proferat, omnesque vult secum impensissime implorare gratiam Sancti Spiritus, qui unus est luminis et sanctitatis fons, ut Ejus nutu et ductu tantam rem, tam gravem, tam sanctam expedire possit.

A solio iterum concesserunt Cardinalis Clarelli, Advocatus, Caeremoniarumque Magister.

Sanctitas Sua infulam gestans ad sellam ut supra paratam perrexit, ibique orans genua flexit. Tunc Cardinalis Diaconus Solii dextrorsum adstans circumstantes ut Deum una cum Pontifice precarentur hortatus est dicens, ORATE ; et subito alter Diaconus Cardinalis sinistrorsum adstans Pontificis caput infula nudavit, qui cum ceteris omnibus aequo temporis spatio ad orationem procubuit ; at cum hic idem Diaconus Cardinalis pronunciasset vocem LEVATE cessavit oratio. Tunc Pontifex consurgens et libro sibi ab Episcopo Cardinali seniore administrante porrecto hymnum *Veni Creator Spiritus* praecinuit ; et illico ad pontificalem sellam genua revolvit, prosequentibus interim primam hymni stropham cantoribus. Qua absoluta Summus Pontifex sedem iterum petiit, ubi posita infula, stetit usque ad finem hymni. Inde duo Cantores cecinerunt versiculum *Emitte Spiritum tuum et creabuntur* ; et alii de Schola responderunt : *Et renovabis faciem terrae;* Summus vero Pontifex Sanctum est adprecatus tali modo Spiritum canens :

OREMUS

Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum.

Duo interim Acolythi ex Praesulibus Signaturae Justitiae prae solii gradibus collucentia candelabra gestabant.

Ad finem Orationis Cantores responderunt ; *Amen.*

Post orationem qua Divini Paracliti virtus ad tantum perficiendum opus implorata est, Magister Caeremoniarum tertio adduxit Cardinalem Procuratorem et Advocatum Consistorialem ante Pontificem, qui infulatus jam sederat, et Advocatus eamdem denuo petitionem instantissime renovavit his verbis :

Beatissime Pater

Reverendissimus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli Paracciani praesens instanter, instantius, instantissime petit

per Sanctitatem Vestram Catalogo Sanctorum Domini Nostri Jesu Christi adscribi, et tamquam Sanctos ab omnibus Christifidelibus pronunciari venerandos Beatos Petrum Baptistam ejusque Socios ex Ordine Minorum strictioris observantiae S. Francisci; Beatos Paulum Miki ac socios ejus e Societate Jesu omnes Martyres; et Beatum Michaelem De Sanctis Confessorem ex Ordine Fratrum excalceatorum Sanctissimae Trinitatis.

Cui respondit idem magnus ab Apostolicis libellis Scriba Beatissimum Patrem postremam hanc ejus instantiam benigne excepturum :

Cum omnia Deo auxiliante, expleta fuerint, quae vel inquirendi diligentia, vel supplicandi religio ex instituto Sanctae Apostolicae Sedis postulabant, Sanctissimus Dominus Noster nihil amplius differendum existimat, quin omnium votis obsecundans id tradita sibi divinitus potestate constituat in terra, quod intelligit constitutum in coelo. Apostolico igitur Decreto, quod ipse suo ore mox est prolaturus Beatos Petrum Baptistam, et illius viginti duos Socios, Paulum Miki, ejusque duos sodales in Sanctorum Martyrum numerum adscribet; Beatum autem Michaelem De Sanctis Ordini Sanctorum Confessorum non Pontificum adjunget ad omnipotentis Dei gloriam, et catholicae fidei decus et incrementum, et eorumdem Beatorum honorem quorum deinceps memoria in universa Ecclesia in laudibus semper habebitur.

His dictis consurrexere omnes, steteruntque manu cereos accensos tenentes Petrum per Pium loquentem audituri. Summus autem Pontifex Catholicae Ecclesiae Pastor Supremus, Christi in terris Vicarius, Divini Spiritus virtute afflatus, in Cathedra Petri sedens infulaque ornatus sine cantu sed clarissima, gravique voce Sententiam hanc pronunciavit :

Ad honorem Sanctae, et individuae Trinitatis, ad exaltationem Fidei Catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli, ac nostra: matura deliberatione praehabita, et divina ope saepius implorata, ac Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, et Episcoporum in Urbe existentium consilio, (1) Beatos Petrum Baptistam, Martinum de Ascensione, Franciscum Blanco Sacerdotes, Paulum Miki, Joannem Soan, Philippum a Jesu Clericos, Didacum-Jacobum Kisai cathechistam, Franciscum de Sancto Michaele, Gundisalvum Garzia, Paulum Suzuqui, Gabrielem a Duisco, Joannem Quizuja, Thomam Danchi, Franciscum, Thomam Cosaqui,

(1) Pontificalium Caeremoniarum Antistes hac mihi significavit epistola Summum Pootificem Beatorum nomina io Sanctorum Albo adscribeodorum hoc disposuisse ordine:

Di Casa li 5 Maggio 1862.

La Santità di Nostro Signore nell'udienza beoignamente accordata uella sera delle scorso Sabato 3 del corrente mese al sottoscritto Prefetto delle Cerimooie Pontificie, nell'approvare la formola del Decreto di Caoonizzaziooe dei noti Beati, si è compiaciuta disporre in cooformità delle regole prescritte da cotesta Congregazione de'Sacri Riti posteriormente ad Urbaoo VIII, che li Beati Martiri Giapponesi dal oum.° 1 al 9 vengano oominati col seguente ordine e qualifica « Petrum Baptistam, Martioom de « Ascensione, Franciscum Blanco Sacerdotes; Paulum Miki, Joannem Soan, Philippum « a Jesu Clericos; Didacum-Jacobum Kisai Catechistam; Franciscum de S. Michaele, « Gundisalvum Garzia » con tutti gli altri che seguono dal num.° 10 al 26 « Laicos « emnes Martyres; et Michaelem De Sanctis Confessorem ».

Lo scrivente si affretta a ciò partecipare a V. S. Illma e Rma, affinchè le serva di norma per tutti gli atti posteriori che potessero occorrere, e profittando di questa occasione ha il piacere di confermarsi con sensi di profondo ossequio

Di V. S. Illma e Rma

Monsig. DOMENICO BARTOLINI *Segretario della Congregazione de' Sagri Riti.*

Devmo Obbmo Servitore
LUIGI FERRARI.

Joachim Jaquijor, Bonaventuram, Leonem Carazuma, Mathiam, Antonium, Ludovicum Ibarchi, Paulum Yuaniqui Ibarqui, Michaelem Cozoqui, Petrum Sequezein, Cosmam Raquisa, Franciscum Fahelante laicos; omnes Martyres; et Michaelem De Sanctis Confessorem Sanctos esse decernimus, et definimus, ac Sanctorum Cathalogo adscribimus: statuentes ab Ecclesia universali illorum memoriam quolibet anno, nempe Petri Baptistae et Sociorum die quinta Februarii, qua pro Christo passi sunt inter Sanctos Martyres, et Michaelis die quinta Julii inter Sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli debere. In nomine Pa✠tris, et Fi✠lii, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Solemnem hanc Sententiam reverenter excepit nomine Cardinalis Procuratoris Advocatus Consistorialis summoque Pontifici gratias ex animo reddidit; eumque simul hisce verbis rogavit ut ex Sacrorum Canonum praescripto eam Literis Apostolicis consignandam juberet:

Beatissime Pater

Idem Reverendissimus Dominus Cardinalis Nicolaus Clarelli-Paracciani hic praesens acceptat pronunciationem a Sanctitate Vestra factam, eidemque gratias immortales agit, ac enixe supplicat, ut Sanctitas Vestra super Canonizatione eadem Literas Apostolicas dignetur decernere.

Beatissimus Pater petitioni annuens respondit *Decernimus*; mox Cardinalis Procurator Solium conscendit, et manum, genuque Pontificis grati animi ergo osculatus, Collegarum petiit subsellia. Advocatus vero Consistorialis, qui cum Caeremoniarum Magistro in imo solii gradu genibus submissis permanserat, surgens Protonotarios

Apostolicos qui prope Solium accesserant ut ad perpetuam rei memoriam unam vel plures obsignarent tabulas de ritu solemniter peracto rogavit his verbis:

Rogantur omnes Protonotarii, et Notarii hic praesentes, ut super hujusmodi solemnis Canonizationis actu unum, vel plura, publicum, seu publica Instrumenta conficiant, ad perpetuam rei memoriam.

Senior Protonotariorum praesentium respondit *Conficiemus*, eosque qui in Solii area stabant interpellavit hujus rei testes dicens *vobis testibus*.

Dein Advocatus Consistorialis Solium ascendit Pontificis pedem osculaturus.

Subinde Sanctissimus Dominus nudato capite, e sede consurgens HYMNUM AMBROSIANUM inchoavit Eminentissimo Cardinalium seniore Sacrum ei librum admovente. Statim innumerae populi insonuere voces cum Cantoribus hymni strophas alternis vicibus decantantes: interim tormentorum bellicorum tum in Arce Aelia, tum in maximo Palatii Vaticani atrio (vulgo Belvedere) reboavit tonitrus, cui tubarum clangor, tympanorum strepitus, militum concentus, nolarumque Urbis sonitus tam suavi respondere echo, ut unusquisque putaverit se iterum de coelo vehementem illum Divini Spiritus advenientis audivisse sonum, qui totam Dei Domum mirabiliter repleverat.

Cum vero in Basilicae fronte magnum Vexillum, dempto quo tegebatur velo, omnium oculis apparuisset, in quo novi Coelites cum Christo regnantes conspiciebantur, illico cujusque sexus, aut aetatis, aut generis, vox ubique audiebatur, quae vel Sanctis de gloriae triumpho gratulabatur, vel eorum implorabat opem, vel Martyrium, magnaque virtutum facinora recolebat.

Hymno absoluto Eminentissimus Cardinalis Ugolini Diaconus a dextrorsum solio adstans cecinit versiculum ℣. *Orate pro nobis Sancti Petre Baptista, Paule, vestrique Socii, et Michael; Alleluja.* Cui responderunt Cantores: ℟. *Ut digni efficiamur promissionibus Christi; Alleluja.*

Tum Beatissimus Pater Christifideles edocens de patrocinio novorum apud Deum intercessorum implorando Sacro a Cardinali Episcopo ministrante sibi libro porrecto, duobus Signaturae Justitiae Praesulibus Acolythis attollentibus candelabris in imo solii gradu, hanc orationem more solito decantavit:

OREMUS

Domine Jesu Christe, qui ad tui imitationem per Crucis supplicium primitias Fidei apud Japoniae gentes in Sanctorum Martyrum Petri Baptistae, Pauli et sociorum sanguine dedicasti; quique in corde Sancti Michaelis Confessoris tui caritatis ignem exardescere fecisti: concede quaesumus,ut quorum hodie solemnia colimus, eorum excitemur exemplis. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum (1).

Orationi finem tali modo Pontifex imposuit; cantoresque responderunt: *Amen.*

Et ita Sanctissimi Ritus Solemnia expleta sunt.

At quamvis non semper idem obtinuit mos ut Summus Pontifex coeremoniis Canonizationis absolutis Missam Solemni Pontificali ritu celebraverit, tamen Sanctitas Sua cui id unum cordi erat ut nil deesset quo Canonizationis Solemnitas illustrior evaderet, augustissimum etiam hunc Ritum haud praetermisit.

(1) Haec Oratio nec non aliae duae quae *Secreta* et *Postcommunio* appellantur Solemni in Sacro dicendae a me Consilii Sacris tuendis Ritibus a Secretis exaratae jam fuerant, et a Sanctissimo Domino Nostro hoc Decreto adprobatae.

DECRETUM

Cum in solemniis Canonizationis ex more institutoque majorum a Summo Pontifice Missae occurrenti addatur peculiaris Commemoratio, seu Collecta novorum Sanctorum, Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX referente subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, supradictas Orationes proprias legendas in Missa Solemnitatis Pentecostes occasione proximae Canonizationis Viginti sex Beatorum Martyrum Japonensium, et Beati Michaelis De Sanctis Confessoris suprema auctoritate sua approbavit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 3 Aprilis 1862.

C. Epis. Portuen. et S. Rufinae Card. Patrizi S. R. C. Praef.

Loco ✠ Signi

D. Bartolini S. R. C. Secretarius

Quapropter postquam in cubiculo retro solium parato parumper a labore quievisset, medius inter Diaconos Cardinales assistentes, Cubiculariis intimis posteriores Faldae et Pluvialis fimbrias sustentantibus, ab eminenti sede descendit, factaque Altari reverentia, parvum solium conscendit, ibique sedens, et deposita mitra, surgens dixit secreto *Pater noster*, et *Ave Maria*, dein se Crucis signo muniens praecinuit Deus in adjutorium meum intende; cantoribus reliqua prosequentibus. Hinc decantato hymno *Veni Creator Spiritus* in cujus prima Stropha Sanctitas sua ad faldistorium genua submisit, cum iidem Cantores psalmum *Legem pone mihi Domine* canere coepissent eadem Sanctitas Sua accepta mitra sedit, et ex libro quem *Canonem Missae* dicunt a duobus Episcopis Assistentibus una cum candela substentato, simulque Diaconis Cardinalibus ab utroque latere assistentibus, submissa voce, Antiphonam *Ne reminiscaris* ceterasque preces ad Sacrificium praeparatorias perlegit. Interea Subdiaconus Apostolicus Epistolam cantaturus velo humerali coopertus accepit de Altari per manus Reverendissimi Patris Francisci Marinelli Episcopi Porphiriensis et Sacrario Pontificali Praefecti Sandalia super pelvim deauratam posita, et una cum secretioris Pontificii Cubiculi Custode ad Solium accessit, ubi idem Custos, Subdiacono adjuvante, Sanctitatem Suam Sandaliis induit, elevantibus duobus Acolythis Signaturae Justitiae Votantibus anteriores Faldae fimbrias. Cum Cantores ad *Capitulum* horae Tertiae pervenissent, absolutisque praeparatoriis precibus, Beatissimus Pater surrexit capite mitra tecto; et decantatis a Capellanis Cantoribus *Capitulo et Versiculis Responsorii*, sedens, deposita mitra, et mox iterum surgens ex libro Missali sibi oblato ab Episcopo Cardinali assistente, duobus interim Acolythis Apostolicis ad imum Solii gradum stantibus cum candelabris accensis, cecinit Dominus vobiscum , cui responderunt Cantores *Et cum Spiritu tuo*, et orationem sequentem de Dominica Pentecostes:

OREMUS

Deus, qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

Cantores responderunt *Amen.* Subinde Pontifex Dominus vobiscum; et Cantores *Et cum Spiritu tuo*: dein duo Cantores *Benedicamus Domino*; ceteri responderunt *Deo gratias*: et Pontifex denuo tono feriali dixit Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace; et Cantores eodem tono dixerunt *Amen.*

Dum psalmi horae Tertiae cantarentur Reverendissimus Episcopus Porphiriensis Sacrario Apostolico Praefectus Sacra Summi Pontificis paramenta de altari sumens Acolythis Apostolicis in genua provolutis per ordinem distribuebat; illi paramenta gestantes extra infimum altaris gradum recta linea ad altare conversi constiterunt. Cum Pontifex sibi lavaret manus Magistro Sacri Hospitii postremo ex nobilioribus laicis aquam ministrante, Acolythi Apostolici ad Magistri Caeremoniarum nutum, facta de genu Cruci reverentia, se in circulum unus post alium disposuere, lentoque gradu ad Sedem Pontificalem perrexerunt. Lotis manibus, Eminentissimus Cardinalis Jacobus Antonelli Diaconus Evangelii, Sanctissimoque Sacrificio immediate administrans exuit mitra Pontificem nec non pluviali et stola; tum Acolythi Apostolici, eodem servato ordine, genua submittentes in summo Solii gradu sacra ad Pontificem induendum paramenta Diacono porrigebant. Idcirco eum *Succintorio* praecinxit; subinde ei imposuit *Crucem pectoralem*, *Fan onem* nempe peculiare Summi Pontificis ornamentum veluti erat Ephod, quo in veteri testamento summus Sacerdos distinguebatur; similiter *Stolam*, *Tunicam*, *Dalmaticam*, *Chirothecas*, *Casulam*, denique *Pallium* illam scilicet insignem Apostolatus Stolam, quam de Altari Subdiaconus Epistolam cantaturus velo contectam ad Solium detulerat. Illud Diaconus circa collum Pontifici aptavit, aureisque acicul is de more obfirmavit; mox infula eidem imposita recessit ut manipulum assumeret. Cardinalis autem Episcopus assistens, manu Pontificis exosculata, sacrum in ejus digito inseruit annulum; postea naviculam Pontifici exhibuit, de qua ipse in thuribulum ab Acolytho Apostolico sibi oblato thus injecit ac benedixit: Mox Beatissimus Pater juxta vetus Caeremonialis praescriptum veluti de Secretario egrediens hoc servato Ordine ad Altare processit. Praeibat Acolythus thuriferarius; quem sequebantur septem alii Acolythi candelabra cum cereis accensis deferentes, mediumque habentes Subdiaconum Apostolicum crucem gestantem; inde alter Subdiaconus Apostolicus Epistolam cantaturus medius inter Diaconum et Hipodiaconum Graecos, librumque Missale deferens ante pectus, cui insertum erat manipulum Pontificis; pergebant postea Episcopus Cardinalis assistens et Diaconus Cardinalis Evangelii; demum Summus Pontifex medius

inter duos Cardinales Diaconos Solio adstantes manu omnibus benedicens; quem sequebantur bini bini plures e Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis dignioribus assistentibus ab ipso designatis. Cum ad extremum subselliorum Cardinalium Diaconorum latus pervenisset, occurrerunt tres postremi Cardinales Presbyteri quos unum post alium complexus est, Christi monito parens quo docebat discipulos cum fratribus reconciliari antequam ad altare oblaturi accederent; quamvis lithurgici pro lubitu plures in medium proferant ritus hujus significationes. Denique ubi Summus Pontifex ante gradus Altaris pervenit, deposita per Diaconum evangelii infula stans venerabundus profert Sacram Confessionem more solito.

Ut autem lectorem nil de augustissimae hujus caeremoniae ordine lateat, modo hic referam integrum libri Missalis textum jussu Sanctitatis Suae pro hac Solemnitate typis excusum.

Cum Summus Pontifex dicit: *Indulgentiam* etc. Subdiaconus Apostolicus imponit manipulum sinistro brachio Pontificis, qui in fine dicit submissa voce: Aufer a nobis quaesumus Domine iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et ascendens deinde ad Altare aliquantulum inclinatus voce submissa dicit: Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum Reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum; ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

Osculato jam Altari in medio, et subsequenter libro Evangeliorum, quem Subdiaconus Apostolicus stans in cornu dextro illi offert, admovente manum Episcopo Cardinali adsistente; Pontifex imponit benedicens grana odorata in thuribulum, et ritu consueto incensat Altare. Deinde in cornu Altaris tradit thuribulum Diacono Cardinali ministranti, ibique stans mitra ornatus, ab ipso Diacono colitur solita thuris vaporatione. Postea accedens circa medium Altaris excipit ad osculum faciei, et pectoris, primo Diaconum Cardinalem Ministrantem; deinde alios duos Diaconos Cardinales assistentes.

His peractis devota capitis inclinatione veneratur Altare atque descendens pergit cum suo comitatu ad sedem eminentem, ubi deposita mitra, stans dicit Introitum:

MISSA

Spiritus Domini replevit orbem terrarum, Alleluja; et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis, Alleluja, Alleluja. *Psalm.* Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus; et fugiant qui oderunt eum a facie ejus.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui Sancto. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Spiritus Domini etc.

Deinde dicit cum assistentibus:

Kyrie eleison
℟. Kyrie eleison
Kyrie eleison
℟. Christe eleison
Christe eleison
℟. Christe eleison
Kyrie eleison
℟. Kyrie eleison
Kyrie eleison

Et cantato Kyrie eleison a Choro, extendens, elevans, et jungens manus dicit:

Gloria in excelsis Deo.

Et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex coelestis, Deus Pater Omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe, Domine Deus Agnus Dei Filius Patris. Qui tollis peccata mundi miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis: quoniam tu solus Sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus Jesu Christe. Cum Sancto Spiritu, in gloria Dei Patris Amen.

Pontifex sedet, accipit mitram, et gremiale. Hymni cantu a

Choro expleto, Pontifex, deposita mitra surgit, et versus ad populum dicit:

Pax Vobis

℟. Et cum spiritu tuo. Deinde:

OREMUS

Deus, qui hodierna die corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Domine Jesu Christe, qui ad tui imitationem per Crucis supplicium primitias Fidei apud Japoniae gentes in Sanctorum Martyrum Petri Baptistae, Pauli, et sociorum Sanguine dedicasti; quique in corde Sancti Michaelis Confessoris tui charitatis ignem exardescere fecisti: concede quaesumus, ut quorum hodie solemnia colimus, eorum excitemur exemplis. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Deinde sedet Pontifex, accipit Mitram, et gremiale, et Subdiaconus Latinus accedens ad locum suum, librum suis manibus sustinens, cantat Epistolam. Idem post eum facit Subdiaconus Graecus; postmodum ambo Pontificis pedem osculantur: deinde Pontifex sedens adhuc cum mitra legit Epistolam, et alia prout infra:

Lectio Actuum Apostolorum

Cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes discipuli pariter in eodem loco: et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis: et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis. Erant autem in Jerusalem habitantes Judaei, viri religiosi ex omni

natione, quae sub coelo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, et mirabantur, dicentes: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur Galilaei sunt? Et quomodo nos audivimus unusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, et Medi, et Elamitae, et qui habitant Mesopotamiam, Judaeam, et Cappadociam, Pontum, et Asiam, Phrygiam, et Pamphyliam, et partes Lybiae, quae est circa Cyrenen, et advenae Romani, Judaei quoque et Proselyti, Cretes, et Arabes; audivimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

Alleluja, Alleluja. Emitte Spiritum tuum et creabuntur: et renovabis faciem terrae, Alleluja.

Hic genuflectitur ℣. Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium: et tui amoris in eis ignem accende.

SEQUENTIA

Veni Sancte Spiritus, et emitte coelitus lucis tuae radium.

Veni pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium.

Consolator optime, dulcis hospes animae, dulce refrigerium.

In labore requies, in aestu temperies, in fletu solatium.

O Lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium.

Sine tuo numine, nihil est in homine, nihil est innoxium.

Lava quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium.

Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.

Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.

Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen. Alleluja.

Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut Sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut digne, et competenter annuntiem Evangelium suum.

Deinde signans librum, frontem, labia, et pectus suum dicit:

Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

✠ Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me, sermones meos non servat. Et sermonem, quem audistis, non est meus; sed ejus, qui misit me, Patris. Haec locutus sum vobis, apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecumque dixero vobis. Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major me est. Et nunc dixi vobis priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis. Jam non multa loquar vobiscum. Venit enim Princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

Interim cum tempus erit, Diaconus Cardinalis Ministrans, accepto libro Evangeliorum ante pectus suum, ponit illum super Altare in medio: deinde accedit ad Pontificem, et ejus manum dextram osculatur. Tum redit ad Altare, et genuflexus dicit: *Munda cor meum* ec. Quo dicto, ascendit ad Altare, et accepto libro cum Subdiacono, et Acolythis pergit ad Pontificem, et coram eo stans capite inclinato dicit: *Jube Domne benedicere.* Et Pontifex dicit: Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis: ut digne, et competenter annunties Evangelium suum: In nomine Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti: et producit super eum Signum Crucis. Diaconus vadit ad Pulpitum, et posito desuper libro cantat: *Dominus vobiscum*, Et Evangelium more solito. Finito Evangelio latino a Diacono Cardinali, Diaconus Graecus defert librum Evangeliorum ad Altare, tum accedit ad Pontificem, et coram eo genuflexus petit benedictionem. Postea eisdem caeremoniis Evangelium cantat: quo finito Subdiaconi Latinus, et Graecus deferunt libros ad osculandum Pontifici. Et Episcopus Cardinalis assistens descendens gradus Solii ibi stans incensat Pontificem adhuc sine Mitra stantem. His peractis Pontifex sedit sumpta mitra, et gremiali, habuitque ad Venerabiles Fratres, et dilectos filios sequentem Homiliam Leonis et Gregorii Pontificum stylo haud absimilem.

Exultat cor Nostrum in Domino, et Vos quoque, Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii, summa laetitia perfusos esse plane non dubitamus. Hoc enim laetissimo die, quem Spiritus Sanctus excellentissimo sui muneris miraculo consecravit, ubi tuba evangelicae praedicationis intonuit, et imbres charismatum, flumina benedictionum omne desertum, et universam aridam rigaverunt ad renovandam faciem terrae, et ad veteres tenebras abigendas, (1) Nobis clementissimus Deus concessit Sanctorum honores cultumque decernere septem

(1) S. Leo. Serm. I. de Pentec.

et viginti invictissimis divinae nostrae religionis heroibus Petro Baptistae, ejusque duobus et viginti Sociis Ordini Sancti Francisci adscriptis, ac Paulo Miki et duobus illius Sodalibus Societatis Jesu praeclaro in Japonia pro Christi fide martyrio defunctis, ac Michaeli De Sanctis Ordinis Sanctissimae Trinitatis redimendis captivis. Hi nimirum in agone justitiae strenue dimicantes, ac de prostratis hostibus trophaea ferentes coelesti excepti Jerusalem cum Christo nunc exultant, et gloria atque honore coronati possident palmam. Est enimvero cur Sancta Mater Ecclesia carissima Christi Sponsa, quae inter persecutiones mundi, et consolationes Dei peregrinando procurrit (1) vehementer exultet sorte istorum filiorum, quos ad pugnandum adversus potestates tenebrarum armavit, et in eorum gloria se summopere consoletur hisce diebus afflictionis suae. Siquidem omnipotens et admirabilis Deus in ipsa tantum eximiam cujusque aetatis, sexus, ordinis et conditionis Servorum suorum sanctitatem manifestans, illamque stupendis miraculis confirmans, non desinit hoc etiam splendidissimo sane argumento omnibus clare aperteque declarare, unam, veramque esse catholicam Ecclesiam a se pro omnium salute divinitus fundatam et institutam, omnibusque coelestibus ditatam thesauris, eamque esse

(1) S. Aug. de Civit. Dei lib. 18 c. 51.

columnam, et firmamentum veritatis, quae non habet maculam, aut rugam, sed sancta et immaculata, cum qua se omnibus diebus futurum esse promisit usque ad consummationem saeculi. Magnus quidem Dominus, et laudabilis nimis, qui dum Ecclesia sua tot tantisque exagitatur turbinibus ac tempestatibus, illam insignibus militum suorum triumphis exornat, illustrat, coronat, ut ipsa veluti fulgidissima lucerna super candelabrum posita omnibus luceat ac verae fidei, veritatis, et salutis iter ostendat. Itaque, Venerabiles Fratres ac Dilecti Filii, cum et nos *sortem adepti simus inter sanctos per fidem,* (1) corde et animo maximas clementissimo misericordiarum Patri agamus gratias, enixe deprecantes, ut intercedentibus his Sanctis suis et Nobis fidem adaugeat, et ab iis, qui propter caecitatem cordis tanto in splendore nihil vident, tenebras depellat, quo ipsi etiam, cognita veritate, ad sanctae matris Ecclesiae gremium venire festinent.

Sed in verae fidei confessione teneamus quoque oportet spei nostrae confessionem (2). Namque idcirco Deus secundum misericordiam suam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nobis abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum, ut justificati gratia ipsius haeredes simus secundum

(1) Actor. c. 26 v. 18.
(2) Hebr. c. 10 v. 23.

spem vitae aeternae (1). Talis autem esse debet spes nostra, qualem se velle ipse docet, qui in se sperare nos jubet, cum in Deo sperantibus ac bene usque in finem operantibus reposita sit vita aeterna. Itaque spe gaudentes magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis (2). In hoc autem vestrae salutis studio omnia vestra in caritate fiant, quae a Christo Domino tantopere commendata et inculcata est vinculum perfectionis. Qui enim in caritate manet, in Deo manet, et Deus in eo. Atque utinam nostrum omnium corda divini amoris igne ita flagrarent, ut singuli profecto cum Apostolo dicere possemus: Quis separabit nos a caritate Christi? Tales quidem fuerunt isti heroes, quorum hodie gloriam celebramus.

Hi namque Deum super omnia diligentes, et propter Deum proximum, induti loricam fidei, et galeam spem salutis (3) omnes mundi illecebras, fallacias et insanias plane despexerunt, ac pro Christo fortiter pugnantes, omnibusque splendidissimis fulgentes virtutibus, in variis licet constituti tentationibus stabiles steterunt et fortes, semper quae placita erant coram Deo facientes.

Horum igitur exempla, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, nobis ad imitandum sancta proponit

(1) Tit. Cap. 3 v. 5, 6, 7.
(2) II. Petr. c. I. v. 10.
(3) I. Thessal. c. 5 v. 8.

Ecclesia. Hi quidem heroes homines erant similes Nobis passibiles eadem circumdati infirmitate, et carni suae eodem vinculo naturalis affectionis inhaerentes (1) sed tamen sibi diffisi, et habentes fiduciam in Domino ex toto corde suo, eumque assidue invocantes atque euntes de virtute in virtutem assequuti sunt, ut sanctitatis gloria fulgentes nunc Deum non jam per speculum, et in aenigmate, sed videant facie ad faciem, et cognoscant sicut et cogniti sunt. Quapropter, Venerabiles Fratres, Dilecti Filii, nos etiam propriis viribus diffidentes, omnemque nostram spem in divino auxilio collocantes, quandoquidem omnia possumus in Eo, qui nos confortat, illustria horum exempla alacri, libentissimoque animo imitemur, ac strenue praeliantes cum antiquo serpente, et abnegantes impietatem et saecularia desideria sobrie, et juste et pie vivamus in hoc saeculo, aspera quaeque pro sanctissima nostra fide, et animae nostrae salute perlibenter tolerantes. Ac mente integra, fide firma, virtute robusta, caritate perfecta parati ad omnem Dei voluntatem simus conservantes fortiter Dominica mandata: in simplicitate innocentiam, in caritate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adjuvandis laborantibus, misericordiam in fovendis pauperibus, in defendenda veritate constan-

(1) S. Bernard. Serm. de S. Clement. Pap. et Mart. N. 3.

tiam, in disciplinae severitate censuram. Haec enim sunt vestigia, quae nobis Sancti revertentes in patriam reliquerunt, ut illorum semitis inhaerentes sequeremur et gaudia (1).

Nec ad exemplum tantum Sanctos hos viros nobis proponit Ecclesia, sed etiam ad praesidium. Nostri enim sunt apud Deum patroni, qui in coelesti patria memores fratrum, quos in hoc exilio reliquerunt, suis apud thronum gratiae precibus nos adjuvant, ac suas orationes offerentes Deo per Filium ejus Redemptorem nostrum cum quo regnant, divina nobis beneficia possunt impetrare. Quantum autem ab eorum patrocinio sperare possimus, declarant et magnitudo eorumdem apud Deum meritorum, et mirabilia sane, quae praeter naturae ordinem ad merita ipsa confirmanda divinitus patrata sunt. Novos igitur apud Deum nacti patronos, nemo nostrum aliena ab eorum exemplis vitae ratione ipsorum deprecationis beneficio se reddat indignum. Sed pio ac religioso, uti par est, animo comparati, et eorum, qui adeo Deo placuerunt, precibus confisi dicamus et obsecremus omnes.

Omnipotens, miserator, et misericors Deus, respice, quaesumus, Ecclesiam Tuam Sanctam tantis nunc calamitatibus afflictam, nec dispergas misericordiam Tuam a Nobis propter istos San-

(1) Ven. Beda Serm. 18 de Sanctis.

ctos Tuos, et per eorum merita fac, ut Ecclesia Tua, omnibus profligatis erroribus omnibusque amotis difficultatibus, magis in dies a solis ortu usque ad occasum vigeat ac dominetur, et novis ac splendidioribus exornetur et augeatur triumphis et omnes populi, gentes, nationes cognoscant Te solum Deum verum, et quem misisti Jesum Christum. Ac sicut istos Dilectos Tuos Sancto Tuo replevisti Spiritu, qui inspirator est fidei, doctor scientiae, fons dilectionis, ac totius causa salutis, ita et nos ejusdem Sancti Spiritus gratia donisque reple ac robora per Jesum Christum Filium Tuum Dominum Nostrum, cui pariter ac Tibi, et eidem Sancto Spiritui sit sempiterna laus, virtus, honor, et gloria.

Cum dicendi finem fecisset summus Pontifex, Cardinalis Diaconus Evangelii in sinistro Solii latere stans, et versus Pontificem inclinatus decantavit: Confiteor Deo Omnipotenti etc. addendo post verba Petro et Paulo, verba Sanctis Petro Baptistae, Paulo, eorum Sociis, et Michaeli, et post verba Sanctos Apostolos Petrum et Paulum verba Sanctos Petrum Baptistam, Paulum, eorumque Socios, et Michaelem; quo expleto ad Altare repetiit. Interim Pontifice sedente cum Mitra, Cardinalis Episcopus Assistens stans apud suum faldistorium dixit inclinatus: *Indulgentias, Beatissime Pater*: qui respondit: *consuetas hujus actionis*. Illico Episcopus Cardinalis aliquantulum se convertit ad populum. Deinde Pontifex surrexit sine mitra ob Crucem ad se delatam a Subdiacono Apostolico, ac substentante librum eodem Cardinali Episcopo solemnem praecinuit benedictionem:

Precibus et meritis Beatae Mariae semper Virginis, Beati Michaelis Archangeli, Beati Joannis Baptistae, Sanctorum

Apostolorum Petri et Pauli, Sanctorum Petri Baptistae, Pauli eorumque Sociorum, et Michaelis et omnium Sanctorum

Misereatur vestri Omnipotens Deus et dimissis peccatis vestris perducat vos ad vitam aeternam.

Cantores responderunt: *Amen.*

Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum vestrorum tribuat vobis Omnipotens, et misericors Dominus.

Cantores responderunt: *Amen.*

Et benedictio Dei Omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spiritus ✠ Sancti descendat super vos et maneat semper.

Et Cantores responderunt: *Amen.*

Elargita super populum benedictione Pontifex extensis moxque junctis manibus intonuit Symbolum:

Credo in unum Deum, et cum adstantibus illud prosequutus est dicens: Patrem Omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt, qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de Coelis. (hic genuflectitur) ET INCARNATUS EST DE SPIRITU SANCTO EX MARIA VIRGINE: ET HOMO FACTUS EST. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato; passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in coelum: sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum; Et vitam venturi saeculi. Amen.

Dicto Symbolo Pontifex sedit, accepit mitram, et gremiale, et dum Clerus cantat versum: *Et incarnatus* etc. ipse sedens profunde

inclinat caput versus Altare. Finito *Credo* Pontifex deposita Mitra surgit, et cantat:

Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS

Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis: a templo tuo quod est in Jerusalem: tibi offerent reges munera. Alleluja.

Cum legisset Offertorium Pontifex oblationes recepturus sedit infula redimitus. Porro nobilissima oblationum caeremonia ita se habuit.

Decantato Symboli versiculo *Et Incarnatus est* etc. Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinales Constantinus Patrizi Episcopus Portuensis Sacrorum Rituum Congregationi Praefectus, Nicolaus Clarelli-Paracciani Canonizationis Procurator ex Ordine Presbyterorum, Thomas Gousset ex eodem pariter Ordine, et Joseph Ugolini ex Ordine Diaconorum, per Caeremoniarum Magistros ad magnos Oblationum Abacos sive mensas ducti sunt. Cum vero Cardinalis Ugolini recessisset a latere Pontificis, illi Cardinalis Caterini suffectus est. Post breve temporis spatium invitantibus caeremoniarum Magistris easdem petiere mensas Eminentissimi ac Reverendissimi Cardinales Ludovicus Altieri Episcopus Albanensis, Joannes Scitowski ex Ordine Presbyterorum, et Joseph Bofondi ex Ordine Diaconorum. Dein illuc pervenere postremi Eminentissimi et Reverendissimi Cardinales Carolus Augustus de Reisach loco alterius Cardinalis ex Ordine Episcoporum; Clemens Villecourt ex Ordine Presbyterorum, et Robertus Roberti ex Ordine Diaconorum omnes Sacris tuendis Ritibus praepositi.

Lecto a Pontifice Offertorio, primae oblationis delatores pro Sanctis Martyribus Japonensibus ex Franciscali familia e loco Abacorum hoc processere ordine. Praeibant duo Accensi claves argenteas super humeros deferentes; mox alter Caeremoniarum Magister, sequebantur duo digniores ex familia Cardinalis Patrizi nobilium habitu amicti duos praegrandes Cereos extinctos Sanctorum imaginibus, et Summi Pontificis insignibus eleganter depictos, supposita linea mappula, deferentes; tum Cardinalis Patrizi cui erat a sinistris Cardinalis Clarelli-Paracciani Procurator, ambo infulam manu gestantes; subinde R. P. Franciscus a Luca Postulator Generalis ex Ordine Franciscalium a veteri observantia, et R. P. Alfonsus a

Padulo Definitor Generalis; ille minorem aeque exornatum cereum, alter par columbarum in fiscina eleganter elaborata et deaurata deferebant. Deinde duo nobiles famuli Cardinalis Gousset quorum uterque panem magnum vel argento, vel auro obductum pontificio stemmate distinctum in lance aeque deaurata et viriculo exculpta gestabant, tum ipse Cardinalis Gousset, et post ipsum R. P. Bernardinus a Ferentino Definitor Generalis, et R. P. Gerardus a Pisis Minister Provincialis ex eodem Franciscalium Ordine, quorum primus minorem alium cereum, alter par turturum in fiscina argento obducta ferebant. Exinde duo nobiles famuli Cardinalis Ugolini eodem habitu ac ceteri induti incedebant doliola duo vino plena primum auro, alterum argento exornata insignibusque Pontificiis, et Postulationis in tundis distincta gestantes; tum idem Cardinalis Ugolini, et demum R. P. Hermes a Recineto Minister Provincialis, et R. P. Aloisius a S. Romulo item Minister Provincialis e familia Franciscalium strictioris observantiae, ille varias aviculas cistellula inclusas auro argentoque illita, hic vero cereum minorem aliisque persimilem sustentabant. Eodem ordine intervallo quidem facto pergebant oblatores pro tribus martyribus e Societate Jesu: scilicet Eminentissimi et Reverendissimi Cardinales Altieri, Scitowski, et Bofondi cum eorum nobilibus aulicis, nec non RR. Patres Joseph Boero Postulator, Geminianus Mislei, Joannes Baptista Franzelin, Dominicus Gonirelli e Societate Jesu deferentes dolia, panes, cereos, aviumque cistellulas; quos omnes duo alii Accensi, et alter caeremoniarum Magister praecedebant.

Tandem veniebant postremi oblationum delatores pro Sancto Michaele De Sanctis nempe Eminentissimi et Reverendissimi Cardinales de Reisach, Villecourt, et Roberti quos praeter nobiles familiares comitabantur RR. Patres excalceati ex Ordine Triadis Augustae a captivis redimendis Georgius a Beata Virgine Postulator, Andreas a S. Agnete Procurator Generalis, Coelestinus a Deiparae Conceptu, Coelestinus a Beata Virgine, Cirillus a Beato Joanne Baptista, Joseph a Deiparae Purificatione, Didacus a Spiritu Sancto, et Frater Joannes Baptista a SS. Trinitate qui portentosam a B. Michaele sanationem obtinuerat, cereos magnos, minoresve, panes, doliola, columbarum, turturum, aviculariumque fiscinas deferentes.

Cum ad imum solii gradum primi oblationum portitores pervenissent, duo Accensi genua ante gradum submisere usque ad primae oblationis exitum. Nobiles aulici Cardinalis Patrizi majores cereos gestantes, mediosque habentes Cardinales Patrizi et Clarelli-Paraceiani genu nixi Pontificem salutarunt, hi vero eidem profundam exhibuere reverentiam. Hinc gradus ascendentes Cardinalis Pro-

curator ad dexteram Pontificis stetit, et Cardinalis Patrizi, tradita caeremoniarum magistro infula, e manibus delatorum qui ante Pontificem genibus provoluti manebant bina vice utrumque accepit cereum, ac deosculata Summi Pontificis manu, Ei primum tradidit cereum, dein praeter manum genu etiam deosculato, alterum obtulit cereum, quos Beatissimus Pater caeremoniarum magistris commisit. Postea Cardinalis Patrizi breviori arrepto tramite ad subsellia reversus est; ejusque nobiles famuli qui cereos detulerant, Pontificis pede deosculato, utrumque cereum e Magistrorum caeremoniarum manibus recipientes ante imum solii gradum usque ad primae oblationis exitum permanserunt. Mox eodem servato ordine qui columbarum fiscinam, cereumque parvum deferebant ante Pontificem submisere genua; et Cardinalis Procurator cereum prius, fiscinam deinde columbarum pari modo Pontifici obtulit. Subinde Cardinalis Presbyter Gousset iisdem caeremoniis utrumque obtulit panem auro nempe, et argento obductum. Demum Cardinalis Ugolini Diaconus inter suos nobiles famulos coram Pontifice constitit duo doliola oblaturus; dein uti Diaconus ad solium adstans suum repetiit locum. Postremo Cardinalis Procurator alterum cereum, cistamque avicularum Summo obtulit Pontifici. Tandem delatores Pontificem genu nixi salutarunt, ac praeeuntibus Accensis, caeremoniarumque magistro munera jam oblata ad abacum retulerunt, ubi eodem ac prius sunt ordine disposita.

Statim oblationes Sanctorum Martyrum e Societate Jesu, et Sancti Michaelis de Sanctis eodem ordine iisdemque caeremoniis subsecutae sunt; et Cardinalis Clarelli-Paracciani Canonizationis Procurator postquam postremam avium canistellam Pontifici dedisset praeter manum tunc dumtaxat etiam genu est deosculatus, et caeremoniarum Magistro comitante ad Cardinalium subsellia se contulit.

De mysticis oblationum significationibus ad piam fidelium institutionem vir eruditissimus R. D. Stephanus Ciccolini Presbyter Romanus Sanctitatis Suae parens mandatis libellum scripsit, quem in calce paginae hujus et sequentium referre censui. (*)

(*) ***Delle oblazioni presentate al Sommo Pontefice nella Canonizzazione de' Beati e del loro mistico significato.***

PARTE PRIMA

I.

Dice S. Tommaso la parola *Oblazione* esser comune a tutte le cose che sono presentate pel culto divino (1).

(1) *Summa totius Theologiae*, sec. sec. part. quaest. 86, art. 1, in corp.

Fra le cose a tanto sublime oggetto destinate nessuna pareggia quelle che vengono costituite a materia del Sacrificio dell'Altare. Da ciò il vocabolo *Oblazione*, e gli altri che da esso, quasi da radice, germogliano, qualora nel discorso siano come per eccellenza adoperati, debbono essere intesi del Sacrificio Divino. Quindi *Offertorio* dicesi la parte della Messa in cui dal sacro Ministro si presenta a Dio l'Ostia immacolata e il Calice di eterna salute; alla voce di *Oblate* associasi l'idea delle cose offerte, che sono il Pane e il Vino da transustanziarsi nel Corpo e nel Sangue del Signor Nostro Gesù Cristo; con la parola stessa di *Oblazione* viene indicata l'azione dell'offerta; e, da ultimo, lasciando a quel vocabolo radicale il significato più esteso, avviene non raramente che gli scrittori ecclesiastici significhino col nome di *Oblazione* tutto intero il Sacrificio Incruento.

Fino dal nascere della Chiesa stava nel costume dei cristiani somministrare la materia di quei tremendi e sacrosanti Misteri, che costituiscono l'Oblazione per eccellenza; e ciò facevasi con altra specie di Oblazione precedente al Sacrificio. Licenziati dalla sacra adunanza i Catecumeni e i Penitenti, cui non permettevasi di assistere alla celebrazione della Messa che la Liturgia appellava *dei Fedeli* (1), i rimasti facevansi all'altare, o presentavano Pane, Vino, ed in alcuni luoghi l'Acqua eziandio (2). Di queste Oblazioni valevansi i sacri Ministri per l'Azione santa, eseguendovi sopra i riti prescritti; su di esse recitavano le orazioni; per le parole divine le transustanziavano nel Corpo e nel Sangue di Gesù Cristo; e consumando l'Ostia pura, santa ed immacolata, compivano il Sacrificio Incruento. Del quale avveniva raramente non partecipassero i fedeli, che la materia supernalmente transustanziata avevano con la prima Oblazione presentata.

I monumenti ecclesiastici consegnati nei decreti canonici e negli scritti dei Padri, provano quanto la disciplina della Chiesa adoperasse di vigilanza intorno a quelle Oblazioni dei fedeli. Ora alla volontà di ciascuno lasciossi libero il farle; ora vi si obbligarono uomini e donne se della mensa eucaristica avessero voluto partecipare; o quando troviam determinati i giorni e i tempi opportuni a compierle; e i riti che le accompagnassero definiti e prescritti (3). A dir breve,

(1) Mamachi, *Dei costumi dei primitivi Cristiani* lib. II, c. I, § 11, vol. 2, p. 11. Roma 1753.

(2) Il filosofo e martire S. Giustino nell'*Apologia prima* fa menzione espressa ancora dell'*Acqua*, scrivendo: « Deinde ei qui fratribus praeest, *panis* affertur et poculum « *aquae* et *vini*: quibus ille acceptis laudem et gloriam universorum Parenti per nomen « Filii et Spiritus Sancti emittit, et Eucharistiam, sive gratiarum actionem, pro his ab « illo acceptis donis prolixe exequitur: » E continua a parlare delle Oblazioni e del Sacrosanto Sacrificio in modo assai distinto e preciso. S. Justini Philosophi et Martyris *Opera quae extant omnia*, ed. Maur. Parisiis 1742, p. 82, 83, §§ 65, 66, 67 dell'*Apologia prima.*

(3) Per studiare alla brevità, adopereremo molta parsimonia nelle citazioni. Chi amasse vedere i testi delle Decretali Pontificie, dei Canoni dei Concilî, e gli altri documenti che suffragano alla dottrina per noi esposta, potrà consultare Angelo Rocca, *De Sanctorum Canonizatione Commentarius*, che trovasi nel vol. I. delle sue Opere dell' ed. Rom. del 1719. — Il Card. Bona, *Rerum Liturgicarum*, al lib. II. cap. viii, — il P. Onorato da S. Maria, *Animadversiones in regulas et usum Critices*, al lib. iv, Diss. iv, art. vi, e al lib. v, diss. iii, art. v, § ii.

collo svilupparsi della disciplina vediamo Pontefici, Concilj e Vescovi intorno alle medesime decretare; e i Padri non solo commendare il pio costume ed esortarvi i fedeli, ma qualche volta levar alto la voce ed a chi aveane possibilità mostrare la convenienza di farle, o redarguire chi per avarizia si rimaneva dall' offerirle (1).

II.

La copia però di questa materia portata all' altare superava ordinariamente quanto bastasse al Sacrificio ed a chi di esso comunicava. Prima cura pertanto del Diacono, che dalle mani dei fedeli riceveva la, era di porgere al Vescovo o al Sacerdote quanto facesse bisogno all' uopo di compiere il Sacrifizio per eccellenza: e quello restavane, o benedetto distribuirlo in segno di comunione e di carità a coloro che non aveano partecipato alla Mensa Eucaristica, e di tal maniera passava la Oblazione a prestar materia allo *Eulogie* (2), ovvero serbarlo per i bisogni della Chiesa e per il sostentamento dei suoi Ministri, ai quali si apparteneva il determinare sul come o con chi dividere quanto la generosità caritatevole e pia degli oblatori veniva nel sacrario accumulando.

Che anzi prestandosi l' Oblazione ad essere il modo più acconcio da provvedere alle necessità del culto ed alle strettezze dei fedeli, dovunque e per qualsivoglia modo insorgessero, assai prestamente al Pane ed al Vino altre materie si aggiunsero (3). Ed è perciò che negli scritti dei Padri o nei monumenti ecclesiastici troviamo sovente indicate genericamente le Oblazioni senza speciale ricordo delle necessarie al Sacrificio. Il dovere da prima, dipoi la carità cristiana avean con esse apertosi un largo campo, che di buon cuore i fedeli correvano.

E a quando a quando la disciplina della Chiesa adoperava vigilanza a ben dirigerle. Dalla prima distinzione fatta sul tempo di offrirle all' Altare, se prima o dopo il Sacrificio, ovvero sul cominciare della sacra Azione, veggiamo i Canoni Apostolici, i decreti e le lettere dei Sommi Pontefici, i Concilj e i Padri averle, fino a che il costume del presentarle durò nel suo vigore, fatte scopo ad esortazioni, e sottopostole a certe e decretorie prescrizioni. Delle quali occupavasi il ministero di quel Diacono, che da ciò aveva il titolo di *Oblazionario* (4),

(1) Così S. Cipriano (Lib. *de Opere et Elem.*) riprende l'avarizia di una vecchia dama che, in giorno festivo, alla Mensa Eucaristica partecipava delle Oblazioni del povero: « Locuples et dives es, et Dominicum celebrare te credis, quae corbonam omnino « non respicis, quae in Dominicum sine sacrificio venis, quae partem de Sacrificio, quod « pauper obtulit, sumis ». E S. Agostino (Serm. *de Temp.* 215, Operum t. V. ed. Paris. Maur.) esortava a ciò con queste parole: « Oblationes quae in altari consecrentur, « offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicaverit ».

(2) Il Card. Baronio (*Ann. Eccl.*) parlando sotto l'anno 313, n. LI., di un Decreto attribuito a S. Pio Papa e Martire, dichiara assai bene la dottrina e il costume dell' *Eulogie*. Sulle quali ragiona ancora con molta erudizione Monsignor Sarnelli nelle *Lettere Ecclesiastiche*, al vol. vi, *Lett.* xix, dell'ed. di Napoli 1858.

(3) Abbiam veduto nel testo di S. Cipriano, riferito più sopra, fatta chiara allusione all'Oblazione di denaro da passare nelle casse della Chiesa (*corbonam omnino non respicis*), ed essere questa distinta dall'Oblazione fatta pel Sacrificio.

(4) Baronio, *Op. cit.* all'ann. 741, n. XII.

cui si apparteneva eziandio di pubblicare i nomi degli offerenti, affinchè coloro che di esse partecipavano, rimeritassero con la preghiera l'opera buona: costume ricordatoci da S. Cipriano (1), e, perchè volto ad argomento di vanagloria, sfolgorato dallo zelo di S. Girolamo (2), abolito quindi da Papa Innocenzo I.

III.

L'esposte cose fan conoscere Oblazioni di più specie essersi introdotte fino dagli antichi tempi nella Chiesa; delle quali l'una destinavasi al compimento del Sacrificio, e da essa cavavansi ancora le *Eulogie*, l'altra, svariatissima, come vedremo, nella materia e nei modi, offerivasi per sopperire al rimanenti bisogni del culto e dei ministri del Signore.

Or siccome la favella suole avere per condizione propria che coll'allargarsi degli usi modifichi i vocaboli per donar loro quella proprietà che da principio, non essendo ben distinte le cose significate, o non si ricerca o non si può ottenere, accadde alla seconda di quelle specie rimanesse il nome di Oblazione, alla prima si desse il suo derivativo di *Oblate*. Il che è notato molto a proposito dal Padre della Ecclesiastica Istoria. Il quale narrando di Gregorio III, che avea destinato in alcuni giorni dell'anno doversi dal Diacono Oblazionario partare le Oblate dal Laterano alla Basilica Ostiense, ragiona così: « Quelle che egli (Gre- « gorio) nomina Oblate, si chiamarono dai maggiori Oblazioni.... Tra le Oblate « e le Oblazioni era la differenza che si trova fra il genere e la specie; signi- « ficando l'Oblazione tutto ciò che si offerisce a Dio, e le Oblate soltanto quello « che si offerisce per celebrare la Messa; mentrechè peraltro solcasi offerire dai « fedeli Pane per le Eulogie, benedicendosi l'istesso Pane colla benedizione più « comune per esser poi diviso fra il popolo. Anche il nome delle Oblate si « prende negli antichi Rituali per l'Eucaristia; ma più comunemente pel Pane « e pel Vino che si offerisce pel Sacrificio. Di tali Oblate si pigliava già in uso « della Eucaristia quella parte solamente che bastava per comunicare il popolo... « Quelle che avanzavano, nè venivano consagrate, si applicavano ai Sacerdoti « che offerivano il Sacrificio, e ai chierici li quali ministravano (3) ». E i monumenti dai quali si apprende la differenza nell'uso dei ragionati vocaboli, sono in buona copia sopravvissuti alla edacità del tempo, e tutti ci si presentano rilevantissimi per lo studio della sacra antichità (4).

(1) S. Cipriano, lib. III, ep. XIV.

(2) Ecco come gridava questo Santo Dottore: « At nunc publice recitantur offerentium nomina, et redemptio peccatorum mutatur in laudem: nec meminerunt viduae « illius in Evangelio, quae in gazophylacium duo aera mittendo omnium divitum vicit « donaria. » *Comm. in Jerem.* nel tom. IV dello Opere, ed. del Vallarsi, Verona 1735.

(3) Baronio, *Op. ed ann.* ultimamente citati. Anche il Sarnelli, nella *Lett.* XVIII. del vol. più sopra ricordato, riferisce la dottrina del Baronio, e la pone a canone della differenza fra i due vocaboli che egli si propone, in quella lettera, di ricercare.

(4) Il B. Card. Tommasi con molto studio e con pazienza virtuosa raccolse i moltissimi brandelli di questi monumenti, e li stampò con questo titolo: *Breviculus aliquot Monumentorum veteris moris quo Christifideles ad saeculum usque X utebantur in celebra-*

Però quell' essersi promiscuamente adoperate le parole *Oblazioni* ed *Oblate*, quel non venir distinte con determinati vocaboli nè le Oblazioni che tali propriamente erano, nè le varie specie in cui queste si sarebbero potute convenientemente suddividere, ha ingenerato una cotal confusione che molto ha nociuto alla chiarezza dell' argomento ed alla precisione del discorso. Il perchè sapientemente fu scritto dal Cardinal Bona : « Il nome di Oblazione essere equivoco. « Imperocchè or significa le cose offerte non all' Altare ma alla Chiesa fuori della « Messa ; or si restringe ad esprimere le cose presentate all' altare fra la solen- « nità della Messa, sia che le medesime appartengano al Sacrificio, sia che non « gli appartengano; or finalmente, in significato più stretto, denotare il Sacrifi- « cio offerto dal sacerdote (1). »

IV.

Tuttavia cotesta varietà debbe avere nei suoi modi e nei fini cui, subordinatamente al principale di servire all' onore di Dio, viene indirizzata, alcuni punti di attinenza che leghi vicendevolmente le diverse specie di Oblazioni, e, segnalandolo, le determini al genere dal vocabolo rappresentato. Sarà nostra cura di far questa ricerca, affinchè chiari e spiccati appariscano i caratteri delle Oblazioni.

Ecco come parla S. Tommaso : « Quando intorno alle cose a Dio offerte « fa l' uomo qualche sacra azione, allora esse diconsi propriamente Sacrificio, « come nell' antica legge gli animali uccidevansi e bruciavansi, e come oggi il « pane si divide, si mangia, si benedice. Chiamansi poi direttamente Oblazioni « allorchè vengono a Dio offerte le cose, ma nulla intorno alle medesime si « adoperi ; di cotal guisa diconsi offerti i denari e i pani sull' altare, su i quali « niente si fa. Laonde ogni Sacrificio è Oblazione, ma non già il contrario (2). » E, meglio ribadendo questa dottrina, poco appresso soggiunge : « Se le cose ver- « ranno offerte per modo che rimangano tutte destinate al culto divino o spese « in uso dei ministri, esse costituiranno l' Oblazione e non il Sacrificio. »

Da questa proprietà, che rende le Oblazioni un oggetto essenzialmente sacro, l' Angelico Dottore assegna loro per altra caratteristica che debbano farsi per mezzo del Sacerdote, essendochè questi sia costituito mediatore fra il popolo e Dio. Ed è perciò che dice : « Siccome al Sacerdote si appartiene dispensare al « popolo i dogmi e i sagramenti, così quelle cose che sono del popolo, cioè le « preghiere, i sacrifici, le oblazioni, per lui debbono essere a Dio presen- « tate. » E ne deduce eziandio « che le Oblazioni fatte dal popolo, ai « Sacerdoti appartengono, i quali non se ne valgono solo ai propri usi, ma « sì ancora perchè fedelmente le dispensino, impiegandole e in ciò che serve al « culto divino, e in ciò che è richiesto al proprio mantenimento, essendochè

tione Missarum sive pro se, sive pro aliis, vivis vel defunctis, et in ejusdem rei oneribus. È il primo degli *Opuscoli* che formano il vol. VI delle Opere tutte del Beato raccolte dal P. Vezzosi, e stampate in Roma nel 1751.

(1) *Rer. Liturg.* lib. II, cap. VIII; § V sul fine.

(2) Questo e i successivi luoghi del S. Dottore sono tutti cavati dalle *Quistioni* LXXXV, art. III, e LXXXVI, art. I, II, III dell'opera e parte citati in principio.

52

« *quelli che servono all' Altare*, como è scritto nella prima lettera ai Corinti « (c. IX, 13) *con l' Altare hanno parte*; e ancora in uso dei poveri, i quali, « convlene, per quanto si può, siano con le sostanze della Chiesa mantenuti. » E poichè si appartlene al clero destinarle a ciò, ne conchiude il S. Dottore « le « Oblazioni propriamente dette tornare a beneficio dei poveri non per deputa- « zione degli offerenti, ma per dispensazione dei Sacerdoti. »

Inoltre le Oblazioni, continua il S. Dottore, « muovono per loro natura « dalla volontà libera dell' offerente: quantunque possa accadere che il volonta- « rio si tramuti in obbligazione prima per antecedente convenzione, come allo- « raquando è conceduto l' uso di un fondo della Chiesa perchè in determinata « stagione si faccia la presentazione di una offerta, il che veste la natura di « *Censo*; secondariamente per promessa ed assegnamento precedente, siccome av- « viene allorchè si fa una donazione tra i vivi oppure quando lasciansi in testa- « mento alla Chiesa beni mobili o immobili da esser consegnati dopo morte; in « terzo luogo per le necessità della Chiesa, come se i ministri suoi patissero « difetto di sustentamento; da ultimo per consuetudine, essendochè i fedeli siano, « in alcune solennità, tenuti di porgere le Oblazioni che l' uso abbia introdotto « di fare. » Se pertanto nell' antica legge eranvi gli uomini determinati dalle solennità legali, che intorno alle Oblazioni prescrivevano le minuziose formalità del luogo, del tempo, delle circostanze; nella nuova l' impulso deriva da più alto principio, il quale, fatte rare eccezioni, moralmente vincolando i fedeli, innalza il concetto delle Offerte all' altezza del culto onde la creatura dà onore ed ossequio al suo Creatore.

Dal che si arguisce di quanto ampia materia i fedeli possano disporre per compierle. Imperocchè, dicendo S. Tommaso « nella legge antica, in cui servi- « vasi alla figura, alquanto cose per ragione della significazione riputandosi im- « monde, non era lecito offrirle, » soggiunge nella nuova legge non esser così: e ciascuna creatura di Dio riputandosi monda, poter l' uomo porre in esecuzione quanto è suggerito nei Proverbi: *Onora Iddio delle tue sostanze*, e quindi da quanto egli lecitamente possiede ed ha in sua libertà di disporre, poter cavare materia alle Offerte che voglia prestare.

Da ultimo il citato Padre della Ecclesiastica Istoria ne porge due altre condizioni caratteristiche delle Oblazioni: delle quali la prima ci fa conoscere come dai fedeli ortodossi e non dagli altri possano venir fatto; la seconda, che vogliono esser presentate con solennità di Riti e di Cerimonie. Se condizioni siffatte dal Baronio indicate mancassero alla materia che si offre, questa non potrebbe elevarsi all' onore di Oblazione; resterebbe semplicemente un *Dono*. Ecco le sue parole: « Le Oblazioni sogliono esser proprie dei soli fedeli ortodossi, e « fu mai sempre costume che nella Chiesa venissero portate e ricevute con rito « solenne; i doni poi, senza avere al donatore rispetto, nella Chiesa portavansi « come nel Gazofilacio (1).

Cosa sacra pertanto sono le Oblazioni, e tutta propria del dominio dei Sacerdoti. I quali le ricevono e le presentano a Dio, cui principalmente sono indi-

(1) Baronio Op. cit. *all'an.* 522, §§ 7, 8.

rizzate; ad essi soli si appartiene di giudicarlo tali; ad essi di impiegarle nel culto divino o dispensarle secondo le necessità che occorrono: in una parola, essi valgonsene a loro giudizio e talento. I fedeli, ma quelli soltanto cui si permette di entrare nel luogo santo per assistere alla solennità dei Riti e delle Cerimonie, hanno facoltà di offerirle.

sed veniae, quaesumus, largitor admitte. Jungit manus. Per Christum Dominum nostrum. Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas Signat ter super Hostiam, et Calicem simul, dicens:

Sancti ✠ ficas, vivi ✠ ficas, bene ✠ dicis, et praestas nobis. Diaconus discooperit Calicem, Pontifex genuflectit, accipit Sacramentum dextera, tenens sinistra Calicem: signat cum Hostia ter a labio ad labium Calicem dicens:

Per ✠ ipsum, et cum ip ✠ so, et in ip ✠ so, bis signat inter Calicem, et pectus est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti, in unitate Spiritus ✠ Sancti, elevans parum Calicem cum Hostia dicit, omnis honor, et gloria.

Pontifex reponit Hostiam, Diaconus Cardinalis cooperit Calicem, genuflectit, surgit, et dicit cantando:

Per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen. Jungit manus

Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati audemus dicere: Extendit manus Pater noster, qui es in coelis: Sanctificetur nomen tuum: Adveniat regnum tuum: Fiat voluntas tua, sicut in coelo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo

Pontifex secrete dicit: Amen.

Deinde a Cardinali Diacono Patenam accipit tenens eam inter indicem, et medium digitos, et dicit:

Libera nos quaesumus Domine, ab omnibus malis, praeteritis, praesentibus, et futuris: et intercedente beata, et gloriosa semper Virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis Signat se cum Patena a fronte ad pectus, et eam osculatur: da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

Pontifex submittit Patenam Hostiae, Diaconus Cardinalis discooperit Calicem, Pontifex genuflectit, surgit, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem per medium, dicens:

Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Partem, quae in dextera est, ponit super Patenam. Deinde ex parte, quae in sinistra remansit, frangit particulam dicens:

Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus. Aliam mediam partem cum ipsa sinistra ponit super Patenam, et dextera tenens particulam super Calicem, sinistra Calicem, dicit:

Per omnia saecula saeculorum. ℟. Amen.

Cum ipsa particula signat ter super Calicem, dicens:

Pax ✠ Domini sit ✠ semper vobis✠cum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Particulam ipsam immittit in Calicem dicens secrete:

Haec commixtio, et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Diaconus Cardinalis cooperit Calicem, Pontifex genuflectit, surgit, et inclinatus Sacramento, junctis manibus, et ter pectus percutiens dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

Deinde junctis manibus super Altare inclinatus dicit:

Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae: eamque secundum voluntatem tuam pacificare, et coadunare digneris. Qui vivis, et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Qua oratione completa Episcopus Cardinalis assistens accedens ad dexteram Pontificis simul cum eo osculatur Altare: et adhaeret ad faciem Pontificis, qui osculatur eum dicens illi: Pax tecum. Episcopus Cardinalis respondet. Et cum spiritu tuo. Deinde discedens dat pacem reliquis Cardinalibus. Duo Diaconi Cardinales assistentes singuli seorsum accedunt ad Pontificem adhuc expectantem

ante Sacramentum, et accedentes ad illum ab eo osculantur, et accipiunt pacem, dicente Pontifice: Pax tecum, et illis respondentibus, Et cum spiritu tuo. Pontifex data pace, et genuflectens coram Sacramento discedit ab Altari, et cum omnibus Assistentibus capite detecto, vadit ad sedem eminentem, Cardinali Diacono, qui ministrat, et Subdiacono remanentibus apud Altare.

Cum Pontifex pervenerit ad sedem ubi stans expectat Sacramentum, Diaconus Cardinalis, qui ministrat in Altari, facta genuflexione Sacramento, accipit Patenam cum Sacramento elevatam aliquantulum, factis circulis consuetis a sinistra ad dexteram, et a dextera ad sinistram, et posita stellula super Hostiam, tradit Subdiacono, qui genuflexus in supremo Altaris gradu stat coram eo expectans Patenam cum Sacramento; quam Subdiaconus accipit ambabus manibus coopertis linteo pretioso ab illius collo pendente, et discedens, vadit ad sedem eminentem, ubi Pontifex genuflectit, cum accesserit Subdiaconus cum Sacramento, et statim surgit. Subdiaconus, postquam Pontifex Sacramentum adoraverit, retrahit se, expectans, ad sinistram Pontificis.

Diaconus Cardinalis, qui est in Altari, postquam tradiderit Patenam cum Sacramento Subdiacono, eo recedente surgit, et stat in cornu Epistolae in Altari quousque Subdiaconus pervenerit ad sedem eminentem; tunc accedit ad medium Altaris, et facta genuflexione coram Sacramento Sanguinis Christi, surgens accipit Calicem ambabus manibus, quem aliquantulum elevans, et factis circulis, sicut dictum est supra de Patena, et Calice cum pretioso panniculo cooperto, discedit, et vadit ad sedem eminentem, ad quam cum pervenerit, Pontifex genuflexus adorat Sacramentum, et statim surgit. Diaconus Cardinalis retrahit se sistens ad dexteram Pontificis: tunc Episcopi Assistentes accedunt ad Pontificem cum Missali, et Candela et Pontifex dicit Orationes.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris cooperante Spiritu Sancto per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc Sacrosanctum Corpus, et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis; et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu Sancto vivis, et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen. Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi

proveniat in judicium, et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis, et corporis, et ad medelam percipiendam: Qui vivis, et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus: per omnia saecula saeculorum. Amen.

Quibus dictis Pontifex manu sinistra accipit unam partem Hostiae consecratae ex Patena, quam Subdiaconus ante eum tenet dicens:

Panem coelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Et manu dextera percutiens ter pectus suum dicit:

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Deinde signans se cum ipsa particula dicit:

Corpus Domini Nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Postquam devote sumpserit particulam, dicit:

Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Deinde accipiens calamum aureum de manu Cardinalis Episcopi assistentis, signans se cum illo dicit:

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Tum imponit calamum intra calicem, in quo est Sanguis, quem Diaconus Cardinalis retinet coram Pontifice dum aliquantulum Sanguinis Pontifex suxerit.

Post sumptionem Sanguinis Diaconus accipit calamum de manu Pontificis cum sinistra, non extrahens illum e Calice sed aliquantulum se retrahente, accedit Subdiaconus cum Patena, super quam remansit alia particula Hostiae consecratae.

Pontifex accipit illam particulam, et frangit in duas partes, cum quibus communicat Diaconum Cardinalem, qui ei ministrat ad Altare, Diacono osculante Pontificis manum antequam accipiat Sacramentum: Similiter accedit Subdiaconus, et osculata Pontificis manu ab eo accipit aliam particulam Sacramenti; quos ita Christi Corpore refectos, Pontifex recipit ad osculum oris, et tantisper ibi immorati ambo revertuntur ad Altare, Diacono deferente Calicem

cum reliquo Sanguinis, et calamo intra Calicem. Ut ad Altare pervenerint, Subdiaconus extergit Patenam super Calicem: deinde Diaconus prius per calamum sugit partem aliquam Sanguinis, qui remansit in Calice; deinde Subdiaconus sugit reliquum Sanguinis, et unus ex eis digito, aut extremitate calami trahens particulam ad labium Calicis, eam reverenter sumit, et ambo se purificant.

Interim Pontifex stans apud sedem, ut prius, dicit:

Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis, et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura, et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis, et regnas in saecula saeculorum. Amen.

His dictis Pontifex purificat se cum alio Calice, ministrante Cardinali Episcopo Assistente. Deinde sedet, accepta mitra purificat digitos, tum lavat manus more consueto, quibus lotis descendit e solio, et vadit ad Altare. Extrahitur illi mitra ante gradus Altaris a Diacono ministrante, ascendit Altare, quod in medio osculatur, et accedens ad cornu Epistolae legit Communionem dicens:

Factus est repente de coelo sonus tamquam advenientis Spiritus vehementis, ubi erant sedentes, Alleluja: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, loquentes magnalia Dei, Alleluja, Alleluja.

Accedit ad medium Altaris, et illo osculato, versus populum in tono dicit:

Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Et rediens ad cornu Epistolae cantat:

Oremus

Sancti Spiritus, Domine, corda nostra mundet infusio, et sui roris intima aspersione faecundet.

Deus, qui Crucis mysterium in Sanctis Martyribus tuis Petro Baptista, Paulo, et Sociis mirabiliter illustrasti; et Sanctum Michaelem Confessorem Caritatis tuae dulcedine perfundere dignatus es: eorum quaesumus meritis et

intercessione, ita nos per gratiam tuam in Fide et Caritate confirma, ut nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum.

℟. Amen.

Cantatis Orationibus iterum vadit ad medium Altaris, quo osculato, ut supra, cantat:

Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Eoque stante, junctis manibus ante pectus, per Diaconum Evangelii cantatur

Ite Missa est.

℟. Deo gratias.

His dictis Pontifex inclinat se ante medium Altaris, et manibus adhuc junctis super illud dicit:

Placeat tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta, ut Sacrificium, quod oculis tuae majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde osculatur Altare, et pro benedictione sine mitra ob Crucem ante se delatam, dicit:

Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in saeculum.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit coelum et terram.

Et elevatis oculis extendens, elevans, ac jungens manus caputque Cruci inclinans dicit:

Benedicat vos omnipotens Deus Pater ✠, et Filius ✠, et Spiritus Sanctus ✠. ℟. Amen.

Deinde in cornu Evangelii dicit:

Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

Et signando librum, postea se in fronte, ore, et pectore, interim legit ex libro.

✠ Initium Sancti Evangelii secundum Joannem.

℟. Gloria tibi Domine.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri: his qui credunt in nomine ejus; qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Hic genuflectitur:

ET VERBUM CARO FACTUM EST, et habitavit in nobis: et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.

℟. Deo gratias.

Deinde deposito Pallio, et Manipulo, accepta Mitra descendit ab Altari, sedit in Sella gestatoria, deposuit mitram, et sumpsit Triregnum, accepitque e manibus Eminentissimi et Reverendissimi Cardinalis Mattei Archipresbyteri consuetum Presbyterium, quod offert Capitulum Basilicae Vaticanae pro Missa bene cantata. Et ad Aulam processit paramentorum apud Sacellum Deiparae perdolentis; ibique sacris exutus vestibus omnes in Domini benedictione dimisit; et sic splendidissima hujus diei gloria, ac veneranda laetitia perfecta est.

Quoniam in Decreto, quo sancitum fuerat tuto procedi posse ad horum Beatorum Canonizationem Sanctissimus Dominus Literas Decretales expediri mandaverat; id, expletis ejusdem Canonizationis Solemniis factum est: proindeque hujusmodi in vulgus prodiere Literae Summi Pontificis manu, ac sphragide obsignatae; quas veluti definitivam supremi judicii hujus sententiam ad actorum seriem absolvendam hic referre oportet.

BULLA CANONIZATIONIS SANCTORUM XXIII MARTYRUM JAPONENSIUM
EX ORDINE SERAPHICO SANCTI FRANCISCI ASISINATIS

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

Proemium. § 1. Infinitus ac pene incredibilis martyrum numerus, qui proprio sanguine Christi doctrinam quam professi fuerant, confirmarunt, splendidum pulcherrimumque est divinae revelationis argumentum. Homines enim cujuscumque gradus, sexus, aetatis, nationis bonorum rapinam, exilium, vincula, cruciatus mortemque ipsam passi sunt, neque ulla in orbe terrarum regio est tam dissita atque a nobis disjuncta, quae evangelii luce illustrata de martyrum suorum agmine non optime laetetur. Habent, quis inficiabitur? haeretici suos martyres, habent quoque ethnici atque increduli; sed neque numero, neque virtute cum nostris conferendi sunt. Sanguinem suum fundebant non pro Christo, sed contra Christum, uti pallio hoc dealbati, Augustino auctore, alios commodius deciperent, animasque eorum caelo inferendas Christo praeriperent. Non hoc, sed vero atque pio martyrii desiderio ardentissime flagrans pauper ille Franciscus, quem labentem ecclesiam lateranensem suis humeris Innocentius III Praedecessor noster sustinere conspexit, non modo ipse Syriam nudis pedibus peragravit, Aegyptique Soldani benevolentiam summo animarum emo-

lumento sibi comparavit, sed fortissimos etiam atque impavidos ordinis sui alumnos ad evangelium disseminandum ubique terrarum misit. Quanto alacri animo provinciam hanc seraphici patris filii susceperint ecclesiasticae historiae monumenta testantur: ex quibus accepimus nullam reperiri posse regionem, quae primum detecta hos evangelicae praedicationis ministros non exceperit.

Japoniae descriptio.

§ 2. Japonia, ultima Orientis regio extremae adjacet Asiae; tota insulis constat, modicis fretis euripisque discreta. De ejus magnitudine, sive ob perpetuos et intestinos bellorum tumultus, sive ob circumjacentium scopulorum ac syrtium terrores, nihildum satis comperti habemus. In longitudinem millia passuum amplius DC, in latitudinem, ubi plurimum XC, ubi minimum XXX patere perhibetur. Spectat a septentrione Scytas quos Tartaros vocamus, ab occidente vergit ad Sinas, ab oriente novae Hispaniae obversa est. Continet regna sex et quinquaginta, et quod plurimum est, una tantum lingua universa gens utitur. Japonia omnis, quoniam tres sunt magnitudine insulae praecipuae, in partes dividitur tres, quae ab insulis majoribus nominatae, complures attributas habent. Meacus urbs olim Japoniae omnis, nunc plurimorum regnorum caput; secundum Japonem magnitudine atque opibus praestat Ximus Sinis proxima, tertia insula inter has interjecta Xigus vocatur. Regio antiquis omnino ignota, casu Lusitanis anno MDXLII eo tempestate abreptis inventa, conciliari commercio coepit. Quae et quanta felicitate ac prospere pro christiana religione in Japonia gesserit Franciscus Xaverius, merito Indiarum Apostolus appellatus, cognitum ac perspectum cuique est. Multa centena hominum millia ad Christum convertit, non vulgares solum sed principes viros regesque baptismate abluit, Bonziis, religiosis illius nationis viris, perpetuisque christiani nominis hostibus, frementibus ac dira in apostolicum virum minantibus.

Sanctus Franciscus Xaverius.

Taicosama precipuis Japoniae regnis potitur.

§ 3. Cum per annos fere quadraginta multitudo Christifidelium in Japonia crevisset, inimicus homo superseminavit zizania. Imperio potitus est Faxiba, qui postea Quabacondoni nomen in illud Taicosamae, quippe quod majoris honoris ac potestatis indicium esset, commutavit. A Bonziis excitatus amorem, quo christianos prosequebatur, in odium convertit, annoque MDLXXXVII suis omnibus Christi fidem interdixit. Patres societatis Jesu depulit, qui tamen immutato habitu et latenti permansere. Cum vero navis oneraria a Philippinis seu Luzoniis insulis Firandi portum attigisset veritus tyrannus ne, si christianis infensus videretur, mercandi sibi prohiberetur occasio, odium non extinxit sed iniquo consilio compressit.

Legatio Beati Petri Baptistae et sociorum a Maniliae praeside ad Taicosamam.

§ 4. Dum res ita se haberent Gometius Peretius des Marinas, qui hispaniarum regis jussu Philippinis insulis praeerat, opportunum arbitratus est, aliquod nationis suae viros regio legatorum nomine ad Taicosamam mittere, quo hispanorum negotiis faciliorem redderet: minitatus enim erat victoria et superbia elatus, se in suum imperium insulas quoque illas esse brevi redacturum. Ad tantum opus perficiendum delecti fuere pater Petrus Baptista seraphici ordinis fratrum minorum Commissarius, Bartholomaeus Ruitz, Franciscus de sancto Michaele cui additus fuit Gundisalvus Garzia laicus, qui utrumque sermonem apprime callens interpretis munere fungebatur. Legationem susceperunt christianae religionis provehendae et amplificandae studio. Sixtus enim V pontifex maximus Praedecessor noster apostolicis litteris VII kal. decembris anno MDLXXXVI omnibus minoribus fratribus in insulis praesertim Philippinis degentibus facultatem praebuerat Indiis et Sinensibus regionibus novas aedificandi domos et coenobia ad catholicam fidem propagandam, ne venia quidem romani pontificis implorata.

Navis oneraria prima persecutionis causa.

§ 5. Hispaniarum regis jussu navis VII kal. junii anno MDLXXXXIII solvens Manilia felici cursu Japoniam

appulit, ad Taicosamam missa Naneojae degentem, illique Peretii munera obtulit. Pater Petrus Baptista cjusque socii comiter ab imperatore excepti sunt, qui humilem pauperemque eorum habitum admirans, sed superbe admodum de se suaque potentia loquens, clare aperteque illis significat se quam citissime, uti ceteras Japoniae partes, Philippinas quoque insulas subacturum, ni praeses ad meacenses cives tributum sibi ultro citoque persolvant. Tum legationis princeps respondit, hispaniarum regem nulli unquam parere nisi terrae coelique potenti Deo, ab ineundo tamen cum imperatore foedere non abhorrere. Haec item prorsus non alia traditae deinde litterae aperiebant. Annuit imperator, legatisque permisit ut Meacum se conferrent, praecipuasque Japoniae urbes inviserent. Praecepit autem rerum suarum curatori, ut veteri servato more publice alerentur.

Fratres franciscales Taicosamae sibi animum devinciunt.

§ 6. Sex fere mensibus domi cujusdam viri ethnici fratres morati sunt, deinde Taicosama Fuximum petens fratribus minoribus, qui paulatim ejus sibi animum promeruerant, permisit ut Meaci sibi domicilia conderent ea tamen lege, ne Japonenses christiana religione imbuerent; satis superque esse hispanos advenasque excolere. Tunc Petrus Baptista parvis limitibus parvum coenobium construit, proximum huic in honorem beatae Mariae Virginis Angelorum de Portiuncula templum addit, et IV nonas octobris divi Francisci festum magno civium meacensium concursu et stupore celebrat, ibique sacras conciones tanta populi frequentia deinde peragit, ut in dies fidelium numerus augeretur. Ut vero non modo animarum sed corporum quoque utilitati prospicere posset valetudinaria duo brevi aedificat, iis omnibus quae necessaria essent referta.

Bonziorum in christianos persecutio.

§ 7. Deo juvante omnia prospere se habebant, cum Bonzii iis acerrimum bellum intulere. Meaci praesidem adeunt, demisse queruntur se divitiis idolorum honori deditis

orbari, religionem suam deprimi, se etiam a Japonensibus contemni, ex quo viri isti sacco obtecti, ac nudis pedibus incedentes inaudita virtutum praecepta, novasque vivendi leges palam docere aggressi sunt. Meaci praeses, qui quamvis ethnicus franciscalibus tamen favebat, eos de imminenti illis periculo admonet, seque imperatoris edictum in christianos jam antea latum exequuturum esse significat. At ii, Deum magis quam homines metuentes, martyriique desiderio flagrantes non modo ab incoepto non destiterunt, sed laborum socios fratrem Franciscum Blanco et fratrem Martinum ab Ascensione e Philippinis vocaverunt, alteram Ozacae domum Bethlehem appellatam aperuerunt, tertiamque lusitanorum atque hispanorum impensis extra Nangasachium ad sancti Lazari sacellum aedificarunt.

Eorumdem Bonziorum et Jacoini medici consiliis excitatur Imperatoris animus contra franciscales.

§ 8. Haec Bonziorum consilia, et praesertim Jacoini medici, infensissimi christianae fidei hostis, nec non sacrae a franciscalibus constructae aedes acriter tyranni animum qui haec omnia pene ignorabat, excitarunt, jussitque decretum a se jamdiu latum renovari, acerbe dolens se a franciscalibus tam benigne comiterque exceptis inique admodum tractari. Ira percitus omnes sive concionatores sive baptizatos Japonensium more capite mulctari jubet. Nec mora imperii satellites Meaci domum ac templum circumveniunt, comprehendunt quotquot sive religiosos viros, sive seraphici patris ordini adscriptos, qui vespertinis precibus concionibusque audiendis convenerant; templum domumque destruunt ac reos in vincula conjiciunt. Nec satis, Ozacam se conferunt, dolo praesidis ejus civitatis ad tres quoque societatis Jesu viros crudele jussum extendunt; Meacumque deducti sunt Paulus Miki, Joannes Soan seu de Goto, et Jacobus seu Didacus Kisai, quamvis no verbum quidem de iis capiendis ab imperatore factum fuisset.

Satellites Meaci domum et ecclesiam franciscalium circumveniunt. omnes comprehendunt.

Ad tres patres Societatis Jesu Ozacae commorantes impia lex dolo extenditur.

Sanctus Petrus Baptista.

§ 9. Antequam de felici tot martyrum exitu verba faciamus pauca de singulis brevi disserere juvat. Frater Pe-

trus Baptista, missioni legationique praepositus, ortus est anno MDXLV in castro sancti Stephani dioecesis Abulensis in Hispania piis nobilibusque parentibus Petro et Maria Antonia Blasquez. Vix alterum et vicesimum aetatis annum attigit, mundi deliciis divitiisque, quibus affluebat, spretis majoris perfectionis studio incensus fratrum franciscalium discalceatorum ordinem amplexus est. Tyrocinio peracto totum se theologicis disciplinis concionandique muneri dedit summo animarum quaestu. Nonnullis coenobiis in Hispania praefuit. Hoc officio Emeridae in Extremadura fungebatur cum anno MDLXXX sequutus est fratrem Antonium a sancto Gregorio, qui in Philippinis insulis sacram missionem instituebat. Ubi Mexici horas attigit consistere jussus disjunctissimas imperii illius fere omnes regiones peragravit, fratrumque suorum provinciam a sancto Didaco fundavit. Magno virtutum omnium sapientiaeque laude commendatus, anno MDLXXXIII ad Philippinas tandem appulit, illas pene omnes nudis pedibus, ut animas Christo lucraretur, lustravit. Philippus II hispaniarum rex episcopum illum in Philippinis designaverat, sed a Deo ad majora vocatus Meacum venerat.

§ 10. Guipuzcoa Hispaniae regio fratrem Martinum ab Ascensione genuit anno MDLXVII. Litteris sacraeque theologiae in celebri Complutensi universitate operam dedit. Anno aetatis suae undevigesimo severius sancti Francisci institutum sequutus, posteriori anno solemnibus votis se Deo obstrinxit. Sacerdos effectus vitae asperitate, assiduo orandi et concionandi usu omnes ad virtutem alliciebat. In sacris missionibus totam fere incredibili animarum fructu vitam peregit: ethnicas barbarasque oras lustrare in votis habebat. Compos effectus Petro Ortiz ex eadem franciscali familia comitem se dedit, qui cum quinquaginta aliis sodalibus Philippinas petebat. In Mexico commorari coactus philosophicas theologicasque disciplinas maximo sodalium Sanctus Martinus ab Ascensione.

emolumento tradidit, qui illum virtutum omnium exemplar suasoremque habebant. Tandem ad Philippinas ipse quoque missus alter a legatione erat: annos triginta numerabat.

Sanctus Franciscus Blanco.

§ 11. Frater Franciscus Blanco sacerdos et concionator, trigesimum circiter aetatis annum agebat. Ortus Montreis quod est Hispaniae oppidum dioecesis Oretensis in Galecia. In Salmanticensi academia litteris philosophicisque disciplinis sedulo intentus; inter franciscales provinciae a sancto Jacobo adlectus. Austerioris vitae cupidus discalceatis fratribus sancti Jacobi nomen dedit. Plurima in coenobiis austeritatis ac virtutis monumenta reliquit. Vitae suae pro Christo prodigus, et indicam missionem exoptans, cum suis primum in Mexico constitit, tandem e Philippinis Japoniam venit. Regionis illius sermonem apprime doctus, incredibile dictu est quot quantasque animas Deo adjunxerit.

Sanctus Philippus a Jesu.

§ 12. Philippus a Jesu de las Casas Mexici natus est. Parentes habuit Mariam Antoniam Martinez et Alphonsum de las Casas hispanos, genere ac divitiis illustres. Adolescens plus aequo voluptatibus indulsit; sed quinto ac decimo aetatis anno sodalibus sancti Francisci severioris observantiae se junxit. Haud multo post suscepti consilii pertaesus, et pristinam vivendi consuetudinem animo repetens, seraphici patris vestigia reliquit. Juvenis instabilitas tanto parentum animos dolore affecit, ut ne ipsum ad se amplius admittere, neque adspicere voluerint. Quae poena adolescentem non fregit, sed erexit. Triennio exacto lacrymans precesque fundens a moderatoribus seraphicae disciplinae restitutus est. Adnumeratus inter discalceatos fratres in coenobio sanctae Mariae Angelorum Maniliae, tyrocinio peracto solemnia vota emisit. Anno MDLXXXXVI Cabite Acapulcrum petebat, ut parentes inviseret qui filium iterum sacris vestibus indutum amplecti cupiebant. Tempestatis vi abrepta navis non in Mexicanum sed in Uran-

dum Tozzani Japoniae portum ingressa est. Humanissime exceptus a patre Martino ab Ascensione cui comes datus fuerat, virtute et sanctimonia illustris Meaci cum suis commorabatur.

§ 13. Frater Franciscus a Sancto Michaele natione hispanus usus est parentibus Francisco De Andrat et Clara ab Arcu genere et virtute praestantissimis. Pariliae prope Vallem Oleti in lucem editus est. Sortitus animam bonam magnaque industria a puero institutus, omnium sibi animos conciliaverat. Vix ephebis excessit, inter seraphici ordinis alumnos provinciae ab Immaculata Conceptione adnumeratus est. Ea animi demissione fuit, ut quamvis debiliori esset corpore ac litteris satis eruditus, laicis tamen adjungi imploraverit. Austeritatis seraphicae amantissimus triennio in Abroji sanctuario omnibus admirationi fuit. Asperioris vitae cupidus in provinciam a sancto Joseph commigravit. Ad Philippinas profectus calamitates, incomoda, injurias contumeliasque pertulit. Multis effulsit prodigiis. Regionis illius licet sermonis nescius, homines tamen maxima religionis utilitate atque incremento Deo juvante alloquebatur. Constitit etiam in Camaricensi regione quam miraculis illustravit.

Sanctus Franciscus a sancto Michaele.

§ 14. Gundisalvus Garzia patrem habuit Lusitanum, matrem vero Canariensem, Bazani in Indiis orientalibus natus est. Traditus a puero patribus societatis Jesu erudiendus valde in litteris profecit. Adolescens mercaturae causa Japoniam cum nonnullis apostolicis viris se contulit. Quibus ut auxilio in sacris esset missionibus Deoque magis inserviret, negotiis relictis curisque solutus cathechistae munus suscepit. Multa omnipotentis Dei honore atque animarum emolumento gessit. Bonziorum audaciam fregit quoties cum iis in certamen venit. Nonnullis elapsis annis Maniliam se contulit, ac divitias suas omnes pauperibus largitus, anno MDLXXXVII seraphici patris familiam in

Sanctus Gundisalvus Garzia.

coenobio sanctae Mariae Angelorum ingressus est. Totum in nosocomiis corporibus curandis ac virtutibus hominum animis imbuendis se dedit. Solemnia ejus vota susceperat pater Petrus Baptista, a quo legationis suae interpres et comes designatus fuerat.

Sanctus Paulus Suzuqui.

§ 15. Paulus Suzuqui ex Oari oriundus ingenium valde perspicax sortitus, adolescens Bonziorum sectam reliquit. Juges in eo lacrymae assiduumque orandi studium. Ejus domus pauperum et peregrinantium domicilium appellabatur. Incredibile dictu est quo dolore afficeretur, cum alicujus ethnici interitum audiret. Cathechistae munus obivit, plures ad neophitos erudiendos libros exaravit, in aegrotorum hospitiis fratrum minorum operam praestitit, tertiarius, ut reliqui omnes, Interpretis munere fungebatur.

Sanctus Gabriel a Duisco.

§ 16. Gabriel a Duisco ex regno de Ize in insula Niphon sextum et decimum agebat annum cum fratres minores Meacum petiere. Christianam fidem occulte amplexus, parentibus, propinquis, amicis eum frustra cohortantibus ut domum rediret, opibus relictis tertii ordinis sancti Francisci regulam professus est. Enixis precibus vigiliis, jejuniis parentis sui a falsorum deorum cultu ad veri numinis sequelam conversionem impetravit. Christianae religionis propagationi vacans Meaci vias assiduis concionibus lustrabat.

Sanctus Joannes Quizuya.

§ 17. Joannes Quizuya Japonensis Meaci ortus est, victumque sibi manuum suarum labore comparabat, de superstitionis suae veritate haud dubitans. Ubi a concive suo audivit, franciscales nova bene vivendi praecepta docere bonis imbutus moribus in christianae fidei misteriis initiatus est, adeoque profecit, ut seraphico tertii ordinis habitu indutus omnes suo exemplo ad virtutem excitaret. Non modo in nosocomiis aegris opem ferebat, sed quem genuerat filium ad hoc caritatis opus inflammavit.

Sanctus Thomas Danchi.

§ 18. Thomas Danchi de Ize et ipse de Meacensi ur-

be mercator, aetate provectus baptisma a patribus societatis Jesu suscepit. Moribus haud immutatis franciscales Thomae domum non christianorum domicilium sed latronum speluncam appellabant. Uxor ejus filiique idolis serviebant flagitiis omnibus dediti. Supernae gratiae lumine ac divinae injuriae dolore correptum anteactae vitae poenituit: conjugem liberosque ad sanam frugem revocavit, divitias suas pauperibus largitus est. In aegris curandis assiduus cathechistae munere fungebatur. Cum fratribus minoribus vastam Nyphon insulam lustravit tertioque ordini sancti Francisci nomen dederat.

§ 19. Franciscus Meacensis hyppocraticae artis doctor, tantum sibi nomen comparavit in morbis sanandis, ut in universo Japoniae regno splendide celebraretur, medicique agnomine appellaretur. Adolescens Bonziorum sectam coluerat, assidueque animo volutabat, an vera essent religionis suae dogmata. Una cum filio proregis Bungii aliisque viris comitatus est classem ab imperatore Taicosama adversus Coreae regem comparatam. Bello composito de religionis suae veritate sermocinatus est cum ethnico, qui nuper errorem abjuraverat. Placet consilium ab eo traditum christianum cathechistam adeundi. Cum illo colloquitur, dat manus victas, baptismate abluitur. Ejus rei fama per Japoniam universam perlata, uxor et ipsa christiana efficitur. Franciscus acri ingenio praeditus, non modo libros medicos conscripsit, sed quibus etiam religionis christianae veritatem tueretur, Bonziorum argumentis refutatis. Toto vitae suae spatio animis corporibusque juvandis se dedit. Fratres minores eo interprete utebantur; eique tertii ordinis seraphici patris habitum largiti fuerant. Sextum et quadragesimum aetatis annum agebat.

Sanctus Franciscus Meacensis.

§ 20. Thomas Cosaqui quinto ac decimo aetatis anno martyrii gloriam assequutus est. Aquis lustralibus una cum patre suo regeneratus fuerat, atque undecimo vitae anno

Sanctus Thomas Cosaqui.

traditus beato Petro Baptistae, qui illum sancti Francisci tertii ordinis habitu ornavit. Accepto cathechistae munere adolescens non modo rudes sed doctissimos quoque ad fidei dogmata amplectenda falsis sophismatibus detectis impellebat. Vigiliis aliisque afflictationibus corpus in servitutem redigebat. Seraphici patris vestigiis insistens, proximorum ministerio mancipatus, mirum est qua alacritate nullis fractus laboribus nullisque periculis deterritus ad supremum usque spiritum franciscalibus sacra peragentibus inservierit.

Sanctus Joachim Saquijor.

§ 21. Joachim Saquijor Usacae in Japonia natus nosocomiis fratrum minorum escis parandis inserviebat. Christiana uxor virum gravi morbo laborantem accitos franciscales rogabat, ut baptismate abluerent. Hi vero cum renuissent, aberat enim imminens mortis periculum, Cathechistae tradiderunt fidei praeceptis erudiendum. In mortis agone iterum versatus et baptismate ablutus magno exarsit christianae perfectionis amore. Cum convaluisset conjuge relicta tertio sancti Francisci ordini adscriptus est.

Sanctus Bonaventura Japonensis.

§ 22. Bonaventura aut Ventura Japonensis matrem ethnicam, patrem vero christianum sortitus est, qui puerum sacris undis regenerare voluit. Mox patre orbatus, impiae matris consilio Bonziorum sectae se addixit. Viginti annorum spatio, licet conscientiae stimulis exagitatus, flagitiosam vitam degere haud puduit. Ubi vero a fratribus minoribus officia audivit, quibus se subjecerat cum sacro baptismate ablutus fuerat, uberrimo lacrymarum imbre perfusus novum induere hominem illico statuit, veniamque ab iis exorare, quos antea pravis moribus offenderat. Die festo magna populi frequentia sacco et cilicio indutus templum beatae Mariae Virginis Angelorum reginae ingressus anteactae vitae crimina detestans, multis precibus a Patre Petro Baptista poenitenti veste seraphici patris indui imploravit. Ecclesiae comunioni restitutus nunquam se a fratrum minorum latere dividi passus est. Postremum se

omnium reputans admirabilis patientiae, invictae fortitudinis et maximae caritatis exempla ubique praebuit.

§ 23. In vasta atque patenti Asiae regione, quae Corea appellatur, quaeque Japoniam prospectat, clarissimis parentibus natus est Leo Carazuma. Adolescens idolorum servitio parentum jussu se mancipavit. Trigesimum agebat aetatis annum, cum menti illius christianae veritatis lux effulsit. Tanto perfectionis ardore flagravit, ut annuente nobili piaque foemina, quam sibi in matrimonio junxerat, non modo celibem deinde vitam duxerit, sed etiam sancti Francisci institutum ingredi postulaverit, sacrisque votis Deo se magis adstringere. A patre Petro Baptista tertio ordini Meaci adscriptus, non modo verbo et exemplo poenitentium ordinem ipsum propagavit, sed reliquo vitae suae spatio franciscales uti comes et interpres sequutus est. Sanctus Leo Carazuma.

§ 24. Mathias Japonensis ex Meacensi urbe a patribus societatis Jesu baptizatus, pie sancteque vivebat. Ubi primum fratres minores conspexit, asperum habitum, nudos pedes, virtutemque eorum admiratus illis se comitem dedit. Mundum seque ipsum contemnens paupertatis ac poenitentiae ardore aestuabat: omnibus tertii ordinis sancti Francisci incitamento ad virtutem erat. Neque illum sine mercede reliquit Deus: captus enim a satellitibus, qui Minorum coenobium obsederant, locum alterius Mathiae absentis subiit martyrii palma exornatus. Sanctus Mathias Japonensis.

§ 25. Antonius Nangasachii natalem diem habuit, matrem Japonensem, patrem vero ab India. Puer abhorruit a ludis: flagellis corpusculum suum affligebat. Singularis in eo fuit castitatis amor, quam inter pericula illibatam servavit. Eo in Christum incendebatur amore, ut nihil supra. Patrem Hieronymum a Jesu, quo spiritualis vitae magistro utebatur, sequutus, tertio sancti Francisci ordini adnumeratus est. Puer tredecim annorum instituti sui praesidi in missae sacrificio ministrabat. Sanctus Antonius Nangasachus.

Sanctus Paulus Yuaniqui.

§ 26. Paulus Yuaniqui Ibarchi Japonensis ex Oari, a beato Leone ejus fratre Meaci christianam religionem doctus est. In primis fratri restitit qui eum ab idolātria revocare cupiebat; deinde cessit, baptismate a fratribus minoribus regeneratus. Cum uxore et liberis commoratus est prope coenobium, quo facilius illud adire posset. A patre Petro Baptista tandem inter tertiarios adlectus, vitae sanctimonia omnium in se oculos convertit, fratrum interpres Japonensium commodo fuit.

Sanctus Ludovicus Ibarchi.

§ 27. Ludovicus Ibarchi Japonensis, Pauli et beati Leonis superius nominati nepos, Oari a parentibus idolorum cultu deditis genitus est. Novennis Meacum petiit, traditusque est beato Petro Baptistae, a quo fidei rudimenta accepit. Adolescens bonis moribus praeditus maxima in Deum et proximum caritate exarsit. Quo melius illis inserviret in tertium sancti Francisci ordinem cooptari maluit. Nunquam a beati Petri Baptistae latere discedens interpres fratrum et ipse erat.

Sanctus Michael Cozoqui.

§ 28. Michael Cozoqui oriundus ex regno Ize, Japonensis armorum faber. Nomen sibi in balistis conficiendis, quibus Japones tum prae ceteris utebantur comparavit. Christi assecla in ea jam urbe morabatur, cum seraphici patres Nangoja Meacum se contulerunt. Leonem Carazumam sodalem suum imitatus corpus inedia, ferreisque catenulis castigabat. In Dei sacraeque eucharistiae contemplatione defixus nocturnis fratrum minorum diurnisque precibus in choro adstabat. Domi suae pauperes aegrosque excipiens illis uti Christo serviebat. Urbes cum minoribus magno animarum quaestu lustravit, filiumque suum nomine Thomam, superius memoratum, habuit virtutis ac passionis socium.

Sanctus Petrus Sequexein.

§ 29. Petrus Sequexein Meaci civis in Japonia, mature abjecta superstitione, Christi assecla factus est. Sanctimonia et poenitentia illustris tertio sancti Francisci ordini

adscriptus est. Fratres Minores diligens ab eorum latere nunquam discessit. Cum ipsis in vincula conjectis ministrasset, captus et ipse martyrii lauream adeptus est.

§ 30. Cosmas Raquisa ex regno Oari clarissimo genere natus opibusque refertus, fortunae conversione balistis conficiendis totum se dedit. Meaci vitam degebat, cum eo Patres franciscales devenere. Ipsis in coenobio aedificando adjumento fuit. In catechizandis pueris emicuit: tertio sancti Francisci Ordini adscriptus, seraphico Patri decennem filium suum obtulit, ut ipse quoque catechistae munere fungeretur. Pauperibus in nosocomiis inserviebat assidue, Fratresque eo interprete utebantur. Sanctus Cosmas Raquisa.

§ 31. Franciscus Fahelante Campiutensis sutor virtutum omnium laude commendatus. Fratrum minorum coenobio Meaci aedificando operam suam praestitit, ab iisque tertio seraphici patris ordini adnumeratus est. Caji in Francisci nomen immutavit. Anno MDLXXXVI a patre Martinez Societatis Jesu primo Japoniae episcopo confirmationis sacramentum suscepit. Ubi fratrum minorum in carcerem conjectionem audivit, se ad sanctae Mariae coenobium contulit, eorum vinculis costringi cupiens. Bis atque iterum, sed frustra se christianum professus est. Questus se non posse pro Christo mori lacrymis obruebatur. Adeunti Petro Sequexein qui ad Martyres solandos missus fuerat a patre Organtino Societatis Jesu, se adjunxit. Voti compos fidem suam proprio sanguine confirmavit. Sanctus Franciscus Fahelante.

§ 32. Hi omnes, exceptis Petro Sequexein et Francisco Fahelante qui se deinde illis in itinere addiderunt, manibus post terga revinctis ad majorem Meaci plateam deducti sunt; singulisque abscissa est pars auris sinistrae, deinde terni plaustris impositi totam urbem circumiere antequam carcerem iterum ingrederentur. Haec sententiae forma erat, quae ad ignominiam augendam, et ad alios perterrendos Martyres praecedebat « Quia isti huc e Phi- Sanctis Martyribus in publica Meaci platea pars auriculae abscinditur, deinde in carcerem conjiciuntur.

Thaicosamae sententia.

lippinis nomine legatorum profecti, legem christianam a nobis prohibitam praedicarunt, ac templa aedificarunt nostris beneficiis abusi, supplicio illos affici jubemus cum Japonibus, qui sacra ipsorum suscepere. Itaque in crucem tollantur Nangasachii. Iterum eamdem legem severe prohibeo, idque omnibus testatum volo. Qui secus faxit, cum tota familia plectatur. Die XX lunae XII anni aetatis appellatae Eviocho ».

Longo itinere inter ludibria atque cachinnos Ozacam deducuntur.

§ 33. Postera luce, III nonas januarii, Martyrum cohors jumentis alligata Ozacam deducta est terrestri itinere inter furentis plebis ludibria atque cachinnos. Sacajum petit, Nangojae sistit, ubi Fazamburus morabatur, qui Nangasachium usque cum satellitibus comitari illos debebat. Sacaio V idus ejusdem mensis egrediuntur; Facata pridie Kal. februar: discedentes perveniunt ad locum Carazu appellatum tribus e Nangoja leucis dissitum, ubi Fazamburum inveniunt illos praestolantem. Longo itinere regnum Figen ingrediuntur, adveniunt Zancajachium, unde postridie summo mane discesserunt. Quanto magis fortissimi Christi atletae ad supplicii locum appropinquabant, eo major caritatis flamma in iis erat, et quamvis vehementi frigore obrigerent, pedites tamen iter conficere maluerunt. Sinoncum usque qui octo vel novem leucis Nangasachio distat, effervescente meridie pervenerunt. Sub vesperam ejusdem diei antequam navim, qua Tonchizu septem leucis maritimo itinere distans eundum erat, conscenderent satellites omnium manus, fratribus minoribus exceptis, post humeros revinxere funibus circa collum alligatis. Tonchizanum portum brevi tenuere, totaque nocte algenti brumae expositi sunt.

Supplicii locus.

§ 34. Paraverat quidem pro omnibus Fazamburus in consueta Nangasachii platea cruces, sed rogatus a lusitanis statutae sunt in summa collis area quae urbi imminebat. Silentio autem praetereundum non est quod adolescenti

Antonio in itinere accidit. Cum illi parentes occurrissent, et blanditiis lacrymisque hortarentur ut a fide deficeret, ille, quas mihi, inquit, promittitis divitias et opes terrenae sunt, citoque avolant: at coelestia et aeterna mihi Christus largitur. Erepta deinde qua operiebatur tunica parentibusque reddita, properans laetusque crucem amplexatus est. Id sibi peculiare habent Japonum cruces quod in infima stipitis parte appositum est transversum lignum, cui paullulum divaricati pedes incumbunt: rursus in mediam crucem inditum prominet tigillum, quod inter crucifixi summa crura insertum velut equitantem sustinet. Clavis manus pedesque non configunt; sed funibus, vel manicis pedicisque ferreis alligant et collum circulo ferreo ac medium saepe corpus cruci adstringunt. Ubi reos hunc in modum applicuerunt funestae trabi et in paratam scrobem crux immissa stetit, lictor unus lanceam praelongam adigit a dextero latere in sinistrum: interdum lictor alter a sinistro latere in dexterum sacram cuspidem obliquat. Porro nuda in crucem corpora non figunt: fas unicuique suam retinere vestem, imo quam lautissimam et ornatissimam afferre. Eodem prorsus modo minores propriis, ceteri saecularibus vestibus diem obiere supremum crucibus XXVI ordine directo suffixi tribus aut quatuor passibus inter se disjuncti.

Antonii pueri ad parentem responsio.

Descriptio crucis qua Japonensem plectuntur.

§ 35. Quamvis ingens esset militum copia, quae impediebat quominus quisquam martyribus se appropinquaret, tamen maxima multitudo convenerat tum ethnicorum, tum christianorum. Qui postremi summo afficiebantur gaudio, audientes verba ab illis prolata, quomodo suis singuli crucifixoribus parcerent, ipsoque in mortis agone novos Christo filios suis verbis parerent. Mox Martinez Episcopus ad collem venit, positis humi genibus martyres est veneratus atque illico coepit locus esse omnibus sacer. Miraculis et prodigiis clare Deus ipse ostendit quam pergrata sibi fuerit tot martyrum copia.

Multitudo populi, quae ad martyres visendos convenit.

Miracula et prodigia, dum martyres supplicio afficerentur.

§ 36. Aliquorum sanguis post menses novem liquidus ac tabis expers apparuit; vehemens imbris vis Meaci vias invasit; magno terraemotu urbs Meacensis convulsa, ingens cometes crinibus redimita ab insulis Philippinis Nangasachium usque apparuit, imago Divi Francisci sanguinem fudit, visae sub noctem coelitus accensae faces locum obire supplicii; martyrum vultus post duos et amplius menses vividi et spirantes adhuc erant, summaque adspectantium admiratione a vulturibus aliisque rapacibus belluis minime dilaniabantur corpora, multaque alia ejus generis prodigia martyrum venerationem auxerunt. Illud etiam memoria dignum est, tot martyrum sanguinem semen fuisse christianorum, qui deinde vel pietate et clarissimis virtutum exemplis, vel sanguine suo fidem confirmarunt.

Processus ordinaria. et apostolica auctoritate suscepti.

§ 37. Paulo post martyrum interitum ad seraphici ordinis in Philippinis provincialem missa est authentica sententia imperatoris Taicosamae, atque epistola episcopi Japonensis, qua fortissimi Christi athletae maximis laudibus extollebantur. Archiepiscopus autem Maniliensis ad Sanctam Sedem literas misit, quae tamquam processus ordinaria auctoritate instructi habitae sunt. Tunc remissoriales literae ab episcopo Hixcalensi datae sunt, ut acta de more conficerentur iis in locis, in quibus martyres passi fuerant. Quae maxima celeritate confecta Paulus V Praedecessor noster, uti mos tunc erat, expendenda tradidit tribus Romanae Rotae auditoribus, nempe Joanni Baptistae Coccino, Alphonso Manzonado et Philippo Pirovano. Qui omnibus bene perpensis causae fulcrum columenque reponentes in legitimis testium probationibus, adfirmarunt majorem haberi testium numerum, quam juris praescriptio ferret. Duo enim supra viginti contendebant, non politicis rationibus, neque ex simultate, neque alia ulla peculiari causa Taicosamae animum fuisse incensum; sed odio quo afficiebatur ipse in catholicam fidem cruce eos damnasse. Quod quidem prodigiis

Tres Romanae Rotae auditores acta martyrum perpendunt.

ac miraculis pluribus confirmabatur. His accedebat haud exiguus ex auditu testium numerus idem jurejurando affirmantium. Quapropter uno ore asserebant causam in tali statu esse constitutam, ut juxta sanctae romanae Ecclesiae et sacrorum canonum normam Pontifex Maximus Urbanus VIII Praedecessor noster ad istorum Servorum Dei canonizationem in forma Ecclesiae consueta procedere posset, si ipsi placuisset. Quam quidem sententiam omnibus rite perpensis venerabiles Fratres Nostri Cardinales sacrae congregationis ritibus tuendis confirmarunt, asserentes de martyrio et miraculis eorum plene aperteque constare.

Declaratur posse procedi ad ipsorum martyrum canonizationem.

§ 38. Tunc praeses totius ordinis minorum sancti Francisci ab eodem Summo Pontifice Urbano VIII apostolicis literis XVIII kal. Octobris anno MDCXXVII impetravit, tum pro omnibus ejusdem ordinis sancti Francisci fratribus ubique commorantibus, tum pro ecclesiasticis et saecularibus viris Mauiliensis dioecesis dumtaxat officium et missam de communi plurimorum martyrum die eorum natali, nempe nonis Februarii quo passi fuerant, donec ad solemnem eorum canonizationem deveniretur. Quam quidem gratiam insequenti die idem Summus Pontifex ad tres martyres Societatis Jesu extendit, benigne excipiens petitiones Praepositi generalis aliorumque presbyterorum ejusdem Societatis.

Festum martyrum Japonensium et officium fratribus minoribus sancti Francisci concessa ab Urbano VIII.

§ 39. Ut solemnis haec canonizatio perageretur nihil aliud supererat, nisi ut Summus Pontifex expresse latam sententiam gravissimo suo judicio confirmaret, atque declararet, ad ipsorum martyrum canonizationem tuto posse procedi. Post tria fere silentii saecula causa aetate nostra reassumpta, fauste feliciterque juxta vetustiorem disciplinam ad exitum a Nobis perducta est. Pronas enim aures exhibentes postulationibus praesidis totius ordinis minorum sancti Francisci sacram rituum congregationem in Vaticanis nostris Aedibus convocavimus III nonas Septembris supe-

Latam sententiam Pius IX gravissimo suo judicio confirmat.

rioris anni, in qua a dilecto fratre nostro Constantino Patrizi sanctae romanae Ecclesiae cardinali episcopo portuensi et sanctae Rufinae, sacrae rituum congregationi praefecto causaeque relatore, dilectisque filiis Andrea Maria Frattini fidei promotore, et Dominico Bartolini ejusdem sacrae congregationis a secretis proposito dubio an tuto procedi posset ad ipsorum martyrum canonizationem, omnes uno ore assenserunt.

Declaratur tuto procedi posse ad beatorum martyrum Japonensium canonizationem.

§ 40. Cum vero anno MDCCCLXI solemnis commemoratio ageretur diei, quo Patris Francisci corpori sacra stigmata divinitus impressa sunt ad sanctae Mariae ad Aracoeli venimus, atque in ejus sacrario adstantibus superius memorato cardinali Patrizi ceterisque sacrae rituum congregationis, nec non supremo praeside aliisque franciscalis familiae observantium alumnis, ediximus tuto procedi posse ad ipsorum martyrum canonizationem: quod quidem decretum VIII kal. Aprilis volventis anni ad tres quoque Japonenses martyres Societatis Jesu libenti animo rogati extendimus.

Preces et jejunia et supplicationes.

§ 41. Absolutis omnibus quae ex catholicae ecclesiae disciplina et novissimis praedecessorum nostrorum decretis explenda erant, quod unum reliquum extiterat, jejunia et publicas preces indiximus unaque cum dilecta plebe Nos ipsi humillima vota in patriarchalibus Lateranensi, Vaticana et Liberiana basilicis nostris obtulimus Deo, ut lumen suae voluntatis nobis in tam gravi arduoque negotio ostendere dignaretur.

Publicum consistorium.

§ 42. Non multo post, idibus nempe Maji volventis anni consistorium publicum convocavimus, in quo dilectus filius noster Franciscus Morsilli sacrae consistorialis aulae advocatus, impetrata a Nobis venia, de martyrio et miraculis XXIII ex ordine fratrum franciscalium et III martyrum Japonensium Societatis Jesu locutus est. Tum a Nobis statutus est ad hanc canonizationem peragendam sacer ille

dies, quo Spiritus Sanctus apostolis omnium linguarum scientiam dedit, quo miraculo Sancta designabatur Ecclesia eodem spiritu repleta omnium gentium voce locutura.

Semipublica consistoria maxima episcoporum frequentia habita in Vaticano.

§ 43. Ut vero ea pompa, qua par erat, solemnis iste honor martyribus in Vaticana basilica redderetur, omnes universi orbis episcopos apostolicis nostris literis hortati sumus, ut in re tam gravi consilio precibusque ad Deum essent nobis auxilio. Qui cum ingenti numero in consistorio semipublico habito IX kal. Jun. volventis anni adstitissent, actorumque seriem ex authenticis sacrae congregationis rituum superius memoratae documentis, quorum exemplar dari ipsis jusseramus atque a Nobis causae statum cognovissent, exultavit anima nostra, atque in Domino laetati sumus, ubi audivimus venerabiles fratres nostros Cardinales, patriarchas, primates, archiepiscopos et episcopos uno ore asserentes posse coelitum honores viginti sex martyribus Japonensibus tribui. Quorum suffragia propria cujusque manu signata in Sanctae Romanae Ecclesiae tabulario ad perpetuam rei memoriam custodiri mandavimus.

Solemnis ad Vaticanum supplicatio.

§ 44. Ipso denique Pentecostes die generalis supplicationis ritu praeeuntibus utriusque cleri ordinibus, congregationis sacrorum rituum consultoribus, Nos ipsi cum dilectis filiis aulae nostrae officialibus, et familiaribus, cum schola cantorum, cunctisque romanae curiae antistitum collegiis, presbyteris quoque poenitentiariis sacerdotali veste indutis, denique cum venerabilibus fratribus episcopis, archiepiscopis, primatibus ac patriarchis universoque venerabilium fratrum nostrorum sanctae romanae Ecclesiae Cardinalium senatu, frequenti procerum et magistratuum numero stipati ex Nostris aedibus prodeuntes, et subsequentibus apostolicae sedis notariis ac regularium ordinum supremis moderatoribus ad vaticanam Principis Apostolorum basilicam regia majestate fulgentem processimus, ibique antequam sacra mysteria perageremus, dilectus filius no-

Canonicum decretum.

ster Nicolaus tituli Sancti Petri ad Vincula presbyter cardinalis Clarelli-Paracciani Canonizationi procurandae praepositus per dilectum filium nostrum Andream Frattini consistorialis nostrae aulae advocatum ter enixe a nobis postulavit pro solemni Canonizatione ipsorum martyrum Japonensium, quemadmodum etiam pro beato Michaele a Sanctis confessore non pontifice. Tunc coelestium spirituum sanctorumque omnium intercessione petita, invocatoque Paracliti

Preces instauratae

Spiritus auxilio ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, et christianae religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra beatos Petrum Baptistam, Martinum de Ascensione, Franciscum Blanco, Philippum a Jesu, Franciscum a Sancto Michaele, Gundisalvum Garzia seraphici ordinis sancti Francisci fratres professos, Paulum Suzuqui, Gabrielem a Duisco, Joannem Quiznja, Thomam Danchi, Franciscum Meacensem, Thomam Cosaqui, Joachim Sequjior, Bonaventuram aut Venturam Japonensem, Leonem Carazuma, Mathiam Japonensem, Antonium Japonensem, Ludovicum Ibarchi, Paulum Yuaniqui Ibarchi, Michaelem Cozoqui, Petrum Sequcixein, Cosmam Raquisa, Franciscum Fahelante eidem seraphico ordini adscriptos, una cum beatis martyribus Paulo Miki, Joanne Soan seu de Goto, Didaco seu Jacobo Kisai e Societate Jesu atque beato Michaele a Sanctis confessore non pontifice, sanctos esse decrevimus atque definivimus, et in sanctorum album retulimus, eorum memoriam, quam in subsecuta missae celebratione Nos Ipsi solemniter venerati sumus, ab universa ecclesia quotannis nonis Februarii coli

Plenariae et partiales indulgentiae.

mandavimus. Omnibus quoque Christifidelibus, qui frequentissimi aderant, plenariam, iis vero qui singulis annis praedicta die ad eorum martyrum exuvias venerandas accesserint, septem annorum et totidem quadragenarum indulgentiam in forma ecclesiae consueta peramanter largiti sumus.

§ 45. Debitis inde gratiis Deo peractis hymnoque laudis et confessionis decantato, inter missarum solemnia gaudio superabundantes clerum populumque confertissimum allocuti omnes in Domino cohortati sumus ad novensilium coelitum vestigia sectanda, ut hostiae acceptabiles Deo facti eorum meritis ac precibus adjuti, aeternam et ipsi beatitatem tandem aliquando mundanis omnibus spretis consequantur.

§ 46. Quibus omnibus peractis cum idem dilectus filius noster Cardinalis Clarelli-Paracciani humillime a nobis postulasset, ut ad universalis ecclesiae notitiam praemissa omnia deducerentur, literasque apostolicas ad perpetuam rei memoriam edere dignaremur, justissimae huic petitioni annuentes has praesentes perpetuo valituras mandari jussimus, quibus omnia et singula praemissa confirmamus atque iterum, si opus sit, sancimus, jubentes earumdem praesentium transumptis sive exemplis etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, sigilloque viri in ecclesiastica dignitate munitis eamdem prorsus fidem ab omnibus haberi, quae ipsis praesentibus adhiberetur si exhibita vel ostensa forent. Expeditio literarum apostolicarum.

§ 47. Oh! vere beata mater Ecclesia, quae assueta inter mundi persecutiones Deique consolationes peregrinando percurrere, habet in servorum Dei gloria, unde soletur se in iis diebus afflictionis suae. Dum inimici ejus convenientes in unum inania meditantur dicentes, quando morietur et peribit nomen ejus, dum omnia ejus firmissima et legitima jura spernuntur atque contemnuntur, ipsa novis coronata triumphis militum suorum, quos jam coelo inseruit, permanet gloriosa brachium Dei praedicans generationi venturae. O vere mirabilis Deus, qui in omni tribulatione solatur humilitatem nostram, neque timidos nos reddit a facie inimicorum suorum, quia nobiscum est, ut universa quaecumque ipse mandaverit clare aperteque loquamur. Hortationes.

§ 48. Nulli liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, mandati ac voluntatis infrangere; si quis autem Sanctio poenalis

voluerit temerario ausu contraire, vel attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXII VI Idus Julias Pontificatus Nostri Anno XVII.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae Episcopus.



✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Veliternus, card. decanus Mattei, Pro Datarius.

✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Rufinae card. Patrizi.

✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat, Vicecancellarius.

✠ Ego Antonius Maria episcopus Tusculanus card. Cagiano de Azevedo, Major Poenitentiarius.

✠ Ego Hieronymus card. de Andrea episcopus Sabinensis abbas Sublacensis.

✠ Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de Alteriis, S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Benedictus tituli sancti Laurentii in Lucina prior presbyterorum card. Barberini, Brevium a Secretis.

✠ Ego Antonius tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Tosti, S. R. E. Biblioth.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Fridericus Joan. Jos. tituli sancti Augustini presbyter card. Schwarzenberg, archiepiscopus Pragensis.

✠

✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte Coelio, presbyter card. Asquini.

✠ Ego Nicolaus tituli sancti Petri ad Vincula, presbyter card. Clarelli Paracciani.

✠ Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum ad thermas presbyter card. Carafa de Traetto, archiepiscopus Beneventanus.

✠ Ego Sixtus tituli sanctae Sabinae presbyter card. Riario Sforza, archiepiscopus Neapolitanus.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Camillus tituli sancti Joannis ante portam latinam presbyter card. De Petro.

✠

✠

✠ Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae Trans Tiberim presbyter card. De Reisach.

✠ Ego Clemens tituli sancti Pancratii extra moenia presbyter card. Villecourt.

✠

✠ Ego Alexander tituli sanctae Susannae, presbyter card. Barnabò.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Joseph tituli sanctae Mariae in Aracoeli, presbyter

card. Milesi-Pironi-Ferretti abbas sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.

✠ Ego Petrus tituli sancti Marci, presbyter card. de Silvestri.

✠

✠

✠ Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo, presbyter card. Sacconi.

✠

✠ Ego Cajetanus tituli sanctae Mariae supra Minervam presbyter card. Bedini, archiep. episcopus Viterbiensis et Tuscaniensis.

✠

✠ Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.

✠ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco.

✠ Ego Aloisius sancti Angeli in Foro Piscario card. Prior Diaconorum Ciacchi.

✠ Ego Joseph sanctae Mariae in Via Lata card. Diaconus Ugolini.

✠ Ego Petrus sancti Nicolai in Carcere Tulliano card. Diaconus Marini.

✠ Ego Joseph sancti Caesarei card. Diaconus Bofondi.

✠ Ego Jacobus sanctae Agathae ad Suburram card. Diaconus Antonelli.

✠ Ego Robertus sanctae Mariae in Domnica card. Diaconus Roberti.

✠ Ego Dominicus sanctae Mariae in Aquiro card. Diaconus Savelli.

✠ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. Diaconus Caterini.

✠ Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card. Diaconus Grassellini.

✠ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. Diaconus Mertel.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

M. card. Mattei Pro Datarius B. card. Barberini.

Loco ✠ Plumbi.

Visa De Curia
D. Bruti.

I. Cugnoni.

Reg. in Secret. Brevium.

BULLA CANONIZATIONIS SANCTORUM MARTYRUM JAPONENSIUM
PAULI MIKI, JOANNIS SOAN SEU DE GOTO ET IACOBI KISAI E SOCIETATE JESU

PIVS EPISCOPVS

SERVVS SERVORVM DEI

AD PERPETVAM REI MEMORIAM

§ 1. Societas Jesu qualis labentibus saeculis futura esset vel a prima sua institutione apertissime demonstravit. Majorem enim Dei gloriam, quam Ignatius tamquam ordinis sui tesseram esse jusserat, non modo ipse totis viribus, sed omnes ejus filii semper et ubique terrarum enixe quaesierunt. Hinc ethnicae superstitioni bellum perpetuum atque haeresi indicere, collegia ad pueros pietate literisque informandos instituere, academias colere, libros edere, spiritualibus exercitiis et concionibus ad sacramentorum frequentiam ac virtutem Christianos excitare, aliaque pietatis opera animis Deo lucrandis exercere. Neminem vero latet hujus societatis professos ad tria solemnia vota ceteris sacris familiis Deo dicatis communia, quartum illud nominatim adjungere, se ad fidelium vel infidelium disjunctissimas etiam orbis partes libenti animo, et christianae rei causa ituros, dummodo Pontifici Maximo placeat, nulla non modo mercede, sed ne ipsius viatici petitione adjecta. Ex quo factum est, ut magno ecclesiae adjumento semper fuerint, haereticorum atque improborum hominum odia, bonorum vero existimationem amoremque sibi conciliaverint. Prooemium.

§ 2. Pauli III Pontificis Maximi antecessoris nostri voce excitatus christianam fidem primus in Japoniam intulit anno MDXLIX sanctus Franciscus Xaverius gentis illius apostolus merito nuncupatus, eamque fere biennio praedicatione et miraculis confirmavit, adductis ad eam ex omni homi- Sanctus Franciscus Xaverius primus Japoniae apostolus.

num ordine quamplurimis. Maxima in eadem provincia pericula ac difficultates perpessi patres societatis Jesu grandia incoepta grandibus incrementis nobilitarunt. Regibus aliquot et provinciarum potentibus Christi jugum imposuere, tres ex iis Oratores Romam deduxere agnitum veneratumque Gregorium XIII praedecessorem nostrum Christi Domini vicarium in terris, cui se suosque subjiciebant. Ecclesias pluribus in regnis fundarunt, excitarunt collegia, scholas instituerunt et seminaria. Interea Faxiba vulgaris homo, qui postea Quambacundoni titulum ac denique Taicosamae sibi indidit nomen, reges fere omnes ac principes sibi armis subjecit, universamque Japoniam imperio occupavit. Oderat ille christianam rem, sed uti fortuna doctus et foro, nunc dissimulare progressiones ejus, alias severe prohibere, alias res permittere Lusitanorum institorum gratia.

Taicosamae persecutio contra patres societatis Jesu.

§ 3. Anno MDLXXXVII suis omnibus Christi fidem interdixit, patres Societatis Jesu reliquo proscripsit imperio, Nangasachii consistere propter Lusitanos permisit. Palam ibi fuere quamplurimi, sed cum nullus regnis illis excessisset, reliqui sparsim cultu corporis immutato strenue rem christianam agitabant. Ab iis sexaginta et quinque millia praeter infantes sacris undis abluti sunt. Per asperas atque secundas fortunas processum est usque ad annum MDLXXXXIII, quo nonnulli ex seraphica familia homines accesserunt. Tunc temporis centum ac triginta quatuor societatis alumni ad tercenta capitum millia toto late imperio christianis jam tum initiata mysteriis soli colebant, quum opportune venit in Japoniam designatus episcopus Petrus Martinez e societate Jesu ad Taicosamam ab Indiae praetore legationis obeundae specie missus, qui comiter a tyranno exceptus sedem etiam in regno figere potuit.

Primus Japoniae episcopus.

Bonziorum et Jacoini medici calumniae Taicosamam ad persequendos christianos excitarunt.

§ 4. Maxima dominandi cupido jam totius Japoniae potens, qua affectus fuerat Taicosama, Bonziorumque clamores, quibus antiquam imperii religionem deprimi ac con-

temni querebantur, gravissimae persecutioni initium dedere. Ad acuendam imperatoris iram praesto fuit Jacoinus, regius medicus, qui ardens odio christiani nominis et patrum societatis Jesu, occasionem nactus, graves in christianos calumnias struxit, et qua valebat in principem gratia usus, ad religionem penitus evertendam gravi oratione commovit. Quare Taicosama ira incensus edixit primum ut omnes seu ministri Evangelicae praedicationis seu christifideles acerbissima morte plecterentur. Quam quidem sententiam rogatu gubernatoris Meacensis, qui christianis favebat, deinde ad eos coarctavit, qui e Philippinis advenissent et legem christianam a se prohibitam praedicassent, quos in crucem agi Nangasachii jussit. Hoc imperatoris edicto patres societatis Jesu dimitti liberos oportebat; et ab eorum quidem Meacensi domo statim remotae custodiae sunt. Verum Ozacae gubernator saepe objurgatus a Taicosama, quod christianis faveret, metuensque, ne quid in suum struerent caput, comprehendi jussit, vinculisque detineri etiam Paulum Miki, Joannem de Goto, Jacobum Kisai nationes Japonenses e societate Jesu, nec unquam passus est ut eos dimitteret.

Eadem lex lata contra quoscumque ex philippinis insulis venissent religionis christianae causae provehendae.

§ 5. Paulus Miki in regno Iamasciro, quo princeps urbs Meacensis continetur, claro genere ortus et a puero christiano ritu expiatus vix undecimum aetatis annum attigerat, cum patribus societatis Jesu traditus est erudiendus in seminario Anzuciamensi, eoque destructo tum Arimae, tum alibi inchoata literarum studia prosequutus est. Quo tempore terrena cuncta aversatus anno aetatis vigesimo secundo societati Jesu se adjunxit, in qua posito tyrocinio theologiae operam dedit, et arma comparavit, quibus patrias debellaret superstitiones. Haec arma, ut feliciter tractaret, solertia ingenii adjuvabat et facultas dicendi non vulgaris, qua instructus et ad sacras conciones adhibitus plura Japoniae regna peragravit, plurimosque e popularibus suis ab errore ad veritatem, a flagitiis ad virtutem traduxit.

Sanctus Paulus Miki.

Audiebatur ingenti plebis pariter et nobilitatis concursu, eminebatque in dicentis vultu tantus intimae sensus pietatis, humilitate ac modestia suavissime conditus ut audientes accenderet, ac sibi Christoque conciliaret. Nec viva dumtaxat voce rem Christi curabat ac tuebatur, sed scriptis etiam libris patria lingua, qua pollebat maxime, in lucem editis, quibus idolorum cultores, impiosque sectarum errores profligaret eo successu, ut non paucos principes et ingentem hominum multitudinem ad Christi religionem adduceret. Sacerdotio jam erat initiandus ab episcopo Japoniae Petro Martinez Societatis Jesu, sed exorta persecutione fortis et alacer se ipsum obtulit victimam omnipotenti Deo in altari crucis.

Sanctus Joannes Soan seu de Goto.

§ 6. Joannes Soan natus in insula Goto, a qua etiam abnomen traxit, a christianis parentibus ad pietatem educatus, simul ac per aetatem licuit in schola patrum societatis Jesu totam christianae fidei ac disciplinae rationem ea facilitate ac dexteritate percepit, ut idoneus fuerit judicatus, qui alios eadem perdoceret, et solemni ritu in dogicorum seu catechistarum numerum est relatus. Hoc munere ornatus adolescens annorum novemdecim et integris moribus conspicuus superiorum jussu Ozacam petiit, ut patrem Joannem de Morecon adjuvaret ac neophytos erudiret, quod egregie praestitit, donec cum duobus sociis carcere mancipatus sanctorum martyrum numerum auxit. Poterat se periculo ac morti subducere, sed Societatis, quam dudum in votis habebat, fortunam licet gravem et asperam subire maluit. Ergo convasata celeriter et in tuto reposita sacrarii, cujus gerebat curam, supellectile, ultro suum nomen in proscriptionis tabulam referendum edidit, ac statim sequestro ac interprete Paulo Miki flagitavit a Patribus, ut in Societatem emissis votis cooptaretur, idque paucis diebus interpositis summa animi alacritate est consequutus.

Sanctus Jacobus vel Didacus Kisai.

§ 7. Jacobus vel Didacus Kisai annum confecerat quar-

tum supra sexagesimum cum ad camdem martyrii gloriam feliciter pervenit. Oriundus ex regno Bigensi nactus erat parentes ethnicos, a quibus idolorum cultum et superstitionis errores imbibit: verum gratia Dei praeventus et a primis sancti Francisci Xaverii sociis sacro fonte expiatus matrimonium suo tempore iniit cum conjuge christiana, quam ad superstitionem impie reversam et in errore pertinacem dimisit facto legitimo divortio, atque ita conjugii vinculis expeditus se totum Deo ac societati dedit. Erat in literis et characteribus Japoniis satis eruditus, et inter catechistas admissus rem christianam traditis primis fidei praeceptis plures annos summo studio ac diligentia promovit ingenti animarum fructu. Sed qua erat humilitate insignis, non dedignabatur vilia domi ministeria obire, hospitesque et advenas ad januam subeuntes admittere. Mysteria Christi patientis recolebat frequens, neque ullum intermittebat diem, quin illa grato et memori animo tractaret. Eam ob rem libellum sibi confecerat, in quo eadem pictis elagenter vernaculis characteribus, quos effingebat scitissime, descripserat singillatim, ut oculis etiam obversarentur. Ex ea meditatione hausit miram patiendi pro Christo moriendique sitim, quam ut expleret, sanguinem et vitam libenti animo profudit.

§ 8. Comprehensi igitur Ozacae hi tres, primitiae tot in Japonia martyrum societatis Jesu, cum patre Martino de Ascensione franciscali ac domesticis tribus Meacum perducuntur. Ibi cum aliis septemdecim extrema sinistrae auris parte mulctati, revinctis post terga manibus vili plaustro impositi omnes per frequentiores urbis vias ad ludibrium circumducuntur, praeeunte lictore et sententiam crucis in eos scriptam praeferente. Paulus Miki e plaustro ad frequentem multitudinem pro christiana religione patria lingua peroravit, nec irritae ejus voces tum ibi, tum aliis secus viam locis: quippe in meacensi carcere duos e custodibus, sex alios in ozacensi et alicubi gubernatorem ipsum Christo

Comprehenduntur, eisque Meaci auriculae pars abscinditur.

Longo itinere Nangasachium perducuntur.

adjunxit; iratis palam Taicosamae Bonziis idolorum ministris, quod homines istos per Japoniam circumveheret ad Christi sectam disseminandam scilicet, non extirpandam. Meaco digressi et per varias urbes longo circuitu ad spargendum latius terrorem circumducti, Nangasachium denique pervenerunt nonis februarii. Ad sublevandas itineris molestissimi aerumnas submissus fuerat a patre Organtino societatis Jesu christianus quidam spectatae probitatis ac prudentiae, itemque alter a franciscalibus qui iis in omni re opem ferrent. Cum hi duo ultro citroque liberius commearent, offensi milites stare ambos jussere, et an christiani essent rogavere. Adfirmantibus iis manus quoque injiciunt; ac ceteris Christi martyribus volentes ipsi etiam adjuncti sunt.

§ 9. Jam prope ventum erat ad locum supplicii, cum pater Franciscus Pasius a provinciali societatis Jesu missus advenit obvius, qui singulos Martyres ardenti affectu complexatus eorum confessiones audivit et Joannis De Goto atque Jacobi Kisai religiosa vota suscepit. Parabat Nangasachii gubernator cruces defigere in urbis platea plectendis reis addicta, sed Lusitani petierunt atque impetrarunt, ut in ea statuerentur quae prope urbem imminebat mari, eo consilio ut ibi aliquando aedem sacrae martyrum Reginae ponerent, ut deinde factum est. In patenti igitur summi collis area statim defixae sunt cruces, uti Japonensibus mos est, ordine directo viginti sex, ternis inter se, quaternisve disjunctae passibus, ibique suffixi Paulus Miki, Joannes de Goto, Jacobus Kisai, lanceisque a binis lateribus transverberati, adstantibus gubernatoris facultate Joanne Rodericio et Francisco Pasio sacerdotibus e societate Jesu, victrices animas coelo ab Angelis inferendas dederunt.

Supplicii locus.

§ 10. Aderat Joannis pius ac fortis genitor, nec satis patuit uter supplicium laetius ille ne tulerit, an iste spe-

ctaverit. Nec minor in Jacobo devexa licet aetate animi vigor eminebat. At Paulus triumphali illo crucis pulpito, nativam hominis eloquentiam stimulante Dei caritate ad circumfusam multitudinem pro christiano nomine vehementi oratione usus est, sibi ipsi gratulatus, quod ex cruce, ut Christus Dominus, eademque atque ille aetate moreretur. Dein veniam pro crucifixoribus precatus cum Deo animam suam commendasset, laetus expiravit. Pendentes tot Martyrum exuvias episcopus Japoniae ad collem cum festinans venisset positis humi genibus publice est veneratus, atque ex illo locus sacer esse coepit.

Episcopus Japonensis aliique plurimi venerantur Christi martyres.

§ 11. Id vero sibi gratum extitisse variis Deus ostendit signis. Sanctorum Martyrum vultus praeter morem renidere decore visi sunt, admirantibus ethnicis maximam eorum venustatem. Sanguis Pauli Miki aliorumque trium martyrum confuse ab italo milite collectus, servatusque in fictili sinico post novem menses fluidus purusque et expers vitii et graveolentiae fuit. Nec multo post obitum sanctorum die veneris in noctem obscuram coelestes ignes corporibus imminere visi sunt, quorum qui medius fuerat supra sacram societatis aedem suo motu delatus ibi evanuit, et tenebrosam noctem serenavit. Diu etiam deinceps sexta quoque feria inspectante civitate universa fulgentes flammae velut sidera locum martyrii obivere, et ad ea usque processere domicilia, quae prima excipiendis martyribus Nangasachii fuerant destinata. Sed nullum videtur testimonium virtutis illorum et gloriae splendidius quam sacer illo ardor, quo inflammati spectantium animi fuere ad christianam fidem ac pietatem aut amplectendam aut impensius colendam, ita ut sanguis martyrum semen fuerit christianorum. Horum autem trium martyrum corpora post duos menses e cruce deposita in ecclesiam collegii Macahensis societatis Jesu in Sinis translata sunt.

Veritas martyrii miraculis pluribus confirmatur.

§ 12. Quae omnia certis testimoniis consignata, Ro-

Acta Romam missa.

mam ad Urbanum VIII praedecessorem nostrum pontificem maximum delata sunt, qui beatis martyribus solemnes honores et cultum coelestibus haberi solitum concessit anno MDCXXVII. Cum tres e duodecim viris sacri consilii litibus judicandis, uti mos erat, ex actis apostolica auctoritate confectis omnia cognovissent, Congregatio sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium sacris ritibus tuendis praeposita declaravit de martyrio et miraculis constare tum beati Pauli Miki et sociorum Joannis Soan seu de Goto et Jacobi Kisai societatis Jesu, tum beati Petri Baptistae et sociorum ejus seraphici ordinis, ideoque ad illorum canonizationem quandocumque celebrandam posse procedi. Interea temporis Urbanus VIII praedecessor noster apostolicis literis in forma brevis latis XVII kalendas Octobris anno MDCXXVII precibus Praepositi generalis societatis Jesu et presbyterorum ejusdem annuens facultatem impertitus est officium recitandi, sacrumque faciendi pro tribus hisce martyribus Japonensibus, sicuti antecedente die pro tribus et viginti martyribus supremo Praesidi ordinis sancti Francisci benigne concesserat.

A tribus Romanae Rotae auditoribus, uti mos erat, perpenduntur.

Urbanus VIII pontifex maximus decernit officium et sacrum pro Martyribus Japonensibus

§ 13. Summo ac venerando Dei judicio cuncta suo nutu moventis post tria fere silentii saecula causa reassumpta, prospere celeriterque ad optatum exitum perducta est, libentique animo postulationes dilecti filii nostri Petri Beckx supremi moderatoris aliorumque societatis Jesu humiliter a nobis flagitantium excepimus, ut decretum latum XV kal. Octobris MDCCCLXI pro martyribus Japonensibus seraphici ordinis, ad eos quoque tres memoratae societatis martyres extenderemus. Coacta in Vaticano palatio sacra congregatione ritibus cognoscendis pridie nonas Martias vertentis anni MDCCCLXII propositoque dubio a dilecto filio nostro Nicolao tituli sancti Petri ad Vincula S. R. E. presbytero Cardinali Clarelli-Paracciani causae relatore, ad eorumdem trium martyrum societatis Jesu canonizationem cunctis suffragiis

Post tria fere saecula causa reassumitur.

Pius IX pontifex maximus cogit in aedibus Vaticanis congregationem sacris ritibus ecclesiae tuendis.

tuto omnes procedi posse responderunt. Verumtamen in re tam gravi illorum votis acquiescere nequivimus, nostramque sententiam proferre distulimus, quo fervidius divinam exoraremus sapientiam, precesque nostras in humilitate cordis effunderemus.

§ 14. Die autem beatae Mariae Virginis Dei parentis designatae sacris in privato nostro Vaticano Sacello operati ad sanctae Mariae supra Minervam accessimus et nostro circumdati sanctae romanae ecclesiae Cardinalium senatu, omnibusque Apostolicae aulae proceribus solemni missae sacrificio adstitimus, quo peracto proximum ejusdem ecclesiae sacrarium ingressi sumus et coram venerabile fratre nostro Constantino Patrizi episcopo Portuensi et sanctae Rufinae sacrae Congregationis ritibus tuendis praefecto et dilecto filio nostro Nicolao tituli sancti Petri ad Vincula presbytero Cardinali Clarelli-Paracciani causae Relatore, ceterisque de more adstantibus VIII kal. April. volventis anni declaravimus ad trium quoque Martyrum Japonensium societatis Jesu Canonizationem tuto procedi posse in patriarchali Basilica Vaticana quandocumque peragendam. Declarat posse procedi ad trium quoque Martyrum societatis Jesu canonizationem.

§ 15. Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerere cupientes non modo propiores invitavimus episcopos, archiepiscopos et primates cum catholica et apostolica sede gratiam et communionem habentes, sed etiam universi orbis terrarum antistites, ut se Romam conferrent suumque nobis animum aperirent de canonizatione perficienda tum trium societatis Jesu, tum trium et viginti Martyrum Japonensium seraphici ordinis. Summa animi nostri laetitia expectationem nostram vicerunt, tantoque agmine Romam omni ex parte quamcitissime advenere, ut parem huic adstitisse numerum in canonizatione ulla auditum nunquam fuerit. Invitantur ad canonizationem omnes orbis terrarum episcopi.

§ 16. Omnibus plene perpensis ex monumentis sacrae Rituum congregationis quorum exemplar typis editum singu- Primum et alterum consistorium semipublicum.

lis distribui jussimus, ad semipublicum consistorium X kal. Jun. volventis anni vocavimus (publicum enim coegeramus Idibus Maji, in quo XXVI Martyrum causam peroraverat dilectus filius Franciscus Morsilli consistorialis aulae advocatus) omnes venerabiles fratres nostros sanctae romanae ecclesiae cardinales, patriarchas, primates, archiepiscopos, et episcopos, ut in re tam gravi consilio Nobis essent. Adstantibus apostolicae Sedis notariis et duobus antiquioribus Palatii nostri causarum auditoribus a Nobis interrogati, non modo uno ore assenserunt, sed scripto quoque Nos exorarunt, ut tandem aliquando ad supremam ipsorum Martyrum glorificationem deveniremus. Cujus rei ab apostolicae sedis notariis instrumenta condita sunt, et suffragiorum exempla episcoporum manu signata collecta in tabularium sanctae Romanae Ecclesiae inferri jussimus.

Supplicationes et jejunia per urbem ad divinam opem assequendam.

§ 17. Verum antequam ad definitivam sententiam veniremus solemnia in urbe jejunia indiximus et patriarchales nostras lateranensem, vaticanam, et liberianam ecclesias ad fidelium supplicationes designavimus indulgentiis adjectis ut suas Nostris precibus jungentes majorem opem a Patre luminum in re tam gravi impetrarent, suaeque gratiae auxilium Deus minime denegaret.

Solemnis supplicatio ad Sanctum Petrum.

§ 18. Ea demum sacratissima die, qua Sanctus Spiritus nunquam satis celebrando linguarum ignis prodigio super Apostolos e coelis illapsus universum terrarum orbem e vitiis eductum ad veram sanctimoniam adduxit, vaticanam basilicam aulaeis, pictis tabulis novorum sanctorum imagines, cruciatus, prodigia referentibus decoratam, laetitiaque undique gestientem solemni supplicatione ingressi sumus. Omnes cleri saecularis et regularis ordines, cum praecederent, omnia magistratuum et officialium romanae curiae collegia, praedictique venerabiles fratres nostri sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, patriarchae, primates,

archiepiscopi et episcopi, antequam sacris operaremur dilectus filius noster Nicolaus tituli sancti Petri ad Vincula Sanctae Romanae Ecclesiae cardinali Clarelli-Paracciani huic canonizationi procurandae praepositus per dilectum filium Andream Frattini sacrae consistorialis aulae advocatum christianorum principum et populorum vota precesque semel, iterum ac tertio obtulit, ut beatos hosce XXVI martyres in sanctorum numerum recenseremus. Implorata itaque prius coelestium spirituum et sanctorum omnium intercessione, atque invocato Paraclyti Spiritus auxilio ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei, ad christianae religionis incrementum auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita, divina ope implorata ac venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, atque episcoporum in Urbe existentium consilio Beatos Paulum Miki, Joannem Soan seu de Goto, Jacobum Kisai cum beatis Seraphici ordinis Japonensibus Martyribus Petro Baptista, Martino de Ascensione, Francisco Blanco, Francisco de Sancto Michaele, Gundisalvo Garzia, Philippo de Jesu, Paulo Suzuqui, Gabriele Izecensi, Joanne Quinzuja, Thoma Izecensi, Francisco Japonensi, Thoma Cosaqui, Joachim Sequjior, Bonaventura Japonensi, Leone Carazuma, Mathia Japonensi, Antonio Japonensi, Ludovico Japonensi, Paulo Yuaniqui, Michaele Cozoqui, Petro Sequcixein, Cosma Raquisa, Francisco Fahelante, addito beato Michaele De Sanctis ordinis SSm̃ae Trinitatis severioris regulae pro captivis recuperandis confessore non pontifice, Sanctos esse decrevimus, ac sanctorum albo inscripsimus statuentes ab Ecclesia universali eorum memoriam, quam in subsequenti Missae celebratione Nos ipsi solemniter venerati sumus, quolibet anno nonis februarii esse recolendam; indulgentiam septem annorum cum to-

Novae postulationes.

Canonizatio.

Concessio septem annorum Indulgentiae et plenariae.

60

tidem quadragenis iis, qui anniversaria die ipsorum Martyrum exuvias venerati fuissent, plenariam vero iis omnibus qui solemni huic ritui adfuissent largiti sumus maximo animi nostri gaudio, uti in sermone quem ad frequentissimum clerum, populumque habuimus, clare, aperteque demonstravimus.

Monitiones.

§ 19. Gaudeat igitur in Domino universa familia gentium, in vocibus exultationis omnes jubilent Deo, qui Ecclesiam suam pia miseratione custodiens, praeclaris eam justorum exemplis quotidie instruere, meritis et praesidiis roborare non desinit. Probe omnes intelligant, ut gloriosissimi isti Martyres, Japonensis ecclesiae primitiae, mirificam illam Domini nostri Jesu sententiam: nos cruci cum ipso sive animo sive corpore oportere esse suffixos, neque dignum esse Christo qui crucem suam bajulare nequiverit. Solabitur ipse Deus in omni tribulatione nostra, facietque cum tentatione sustinere proventum: post praelia triumphus. In paucis vexati, in multis bene disponemur. Haec utinam aliquando demum hominum animos veritas mentesque pervadat atque devincat. Tunc illa terrarum orbi effulgebit pax, quam enixis votis, collectisque omnium Christifidelium precibus jamdiu a Deo optimo maximo deprecamur, quamque assequi minime dubitamus.

Fides habenda transumptis.

§ 20. Praemissa omnia ad universalis Ecclesiae notitiam deduci, praesentesque nostras literas ad perpetuam rei memoriam dare voluimus, mandantes ut earum transumptis sive exemplis etiam impressis, et manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis eadem prorsus fides habeatur ab omnibus, quae haberetur si exhibitae atque ostensae forent praesentes nostrae literae.

Sanctio poenalis.

Nulli liceat paginam hanc nostrae definitionis, decreti, mandati ac voluntatis infringere; si quis autem voluerit temerario ausu contradicere indignationem omnipotentis Dei

et sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae MDCCCLXII VI Idus Julias Pontificatus Nostri Anno XVII.

✠ Ego Pius Catholicae Ecclesiae Episcopus.



✠ Ego Marius episcopus Ostiensis et Veliternus, card. decanus Mattei, Pro Datarius.

✠ Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Rufinae card. Patrizi.

✠ Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat, Vicecancellarius.

✠ Ego Antonius Maria episcopus Tusculanus card. Cagiano de Azevedo, Major Poenitentiarius.

✠ Ego Hieronymus card. de Andrea episcopus Sabinensis abbas Sublacensis.

✠ Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de Alteriis, S. R. E. Camerarius.

✠ Ego Benedictus tituli sancti Laurentii in Lucina prior presbyterorum card. Barberini, Brevium a Secretis.

✠ Ego Antonius tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Tosti, S. R. E. Biblioth.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Fridericus Joan. Jos. tituli sancti Augustini presbyter card. Schwarzenberg, archiepiscopus Pragensis.

✠

✠ Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte Coelio, presbyter card. Asquini.

✠ Ego Nicolaus tituli sancti Petri ad Vincula, presbyter card. Clarelli Paracciani.

✠ Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum ad thermas presbyter card. Carafa de Traetto, archiepiscopus Beneventanus.

✠ Ego Sixtus tituli sanctae Sabinae presbyter card. Riario Sforza, archiepiscopus Neapolitanus.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Camillus tituli sancti Joannis ante portam latinam presbyter card. De Petro.

✠

✠

✠ Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae Trans Tiberim presbyter card. De Reisach.

✠ Ego Clemens tituli sancti Pancratii extra moenia presbyter card. Villecourt.

✠

✠ Ego Alexander tituli sanctae Susannae, presbyter card. Barnabò.

✠

✠

✠

✠

✠ Ego Joseph tituli sanctae Mariae in Aracoeli, presbyter

card. Milesi-Pironi-Ferretti abbas sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.

✠ Ego Petrus tituli sancti Marci, presbyter card. de Silvestri.

✠

✠

✠ Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo, presbyter card. Sacconi.

✠

✠ Ego Cajetanus tituli sanctae Mariae supra Minervam presbyter card. Bedini, archiep. episcopus Viterbiensis et Tuscaniensis.

✠

✠ Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.

✠ Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco.

✠ Ego Aloisius sancti Angeli in Foro Piscario card. Prior Diaconorum Ciacchi.

✠ Ego Joseph sanctae Mariae in Via Lata card. Diaconus Ugolini.

✠ Ego Petrus sancti Nicolai in Carcere Tulliano card. Diaconus Marini.

✠ Ego Joseph sancti Caesarei card. Diaconus Bofondi.

✠ Ego Jacobus sanctae Agathae ad Suburram card. Diaconus Antonelli.

✠ Ego Robertus sanctae Mariae in Domnica card. Diaconus Roberti.

✠ Ego Dominicus sanctae Mariae in Aquiro card. Diaconus Savelli.

✠ Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. Diaconus Caterini.

✠ Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card. Diaconus Grassellini.

✠ Ego Theodulphus sancti Eustachii card. Diaconus Mertel.

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

✠

M. card. Mattei Pro Datarius B. card. Barberini.

Loco ✠ Plumbi.

Visa De Curia
D. Bruti.

I. Cugnoni.

Reg. in Secret. Brevium.

Ne lateant denique lectorem quos Causarum Postulatores sustinuere sumptus, exhibeam ad voluminis hujus coronidem rationes, quas Reverendissimus P. D. Salvator Nobili-Vitelleschi Seleucensis Archiepiscopus Congregationis Oeconomicae a secretis, ac Postulationum Praeses in tabula accepti et expensi dilucide, accurateque recensuit.

Animadvertendum quidem est ingentiores impendendos fuisse sumptus nisi Beatissimus Pater ob munificam, qua praestat, liberalitatem ea cessisset Postulationibus, quae juxta Benedicti XIV statutum sibi debebantur.

CONGREGAZIONE ECONOMICA

DELLA

CANONIZZAZIONE

DEI SS. XXVI. MARTIRI DEL GIAPPONE E DI S. MICHELE DE-SANCTIS

RENDICONTO GENERALE

N. B. I Titoli richiamati nel presente Rendiconto esistono nelle posizioni depositate nella Segreteria della S. Congregazione de' Riti.

CANONIZZAZIONE DEI XXVI. SS. MARTIRI

INTROITO

	ANNO				SOMME				TOTALE	
					DEPOSITATE		COMPENSATE			
Dal Rmo P. Francesco da Lucca Postulatore dei SS. XXIII. Martiri Francescani del Giappone.	1862	A dì 4 Febbrajo, depositati alla Banca dello Stato Pontificio a disposizione di Monsig. Segretario di detta Canonizzazione. *Vedi Tit.° 5.°.* sc.	8000	»						
		A dì 28 Febbrajo, id. come sopra . . . . »	2500	»						
		A dì 17 Marzo, id. come sopra. . . . . »	2500	»						
		A dì 5 Aprile, id. come sopra.»	2000	»						
		A dì 25 Giugno, id. come sopra. . . . . »	100	»	15100	»	»	»	15100	»
Dal Rmo P. Giorgio della Vergine Postulatore di S. Michele De Sanctis Trinitario Scalzo.	»	A dì 10 Febbrajo, depositati come sopra . . . . . . sc.	1000	»						
		A dì 13 Marzo, id. come sopra . . . . »	5500	»						
		A dì 7 Aprile, id. come sopra . . . . »	1000	»						
		A dì 31 Maggio, id. come sopra . . . . »	1500	»						
		A dì 3 Giugno, id. come sopra.»	8000	»						
		N. B. La suddetta somma di scudi ottomila fu somministrata dalla S. Congregazione de'Riti sopra i fondi della causa del Ven. Pietro da Bettancourt a forma del rescritto SSmo posto in filza al Tit.° 5. N.° 26, e della								
		. . sc.	17000	»						
		A riportarsi . . sc.			15100	»	»	»	15100	»

DEL GIAPPONE E DI S. MICHELE DE-SANCTIS

INTROITO

	ANNO				SOMME DEPOSITATE		SOMME COMPENSATE		TOTALE	
	1862	*Riporto* . . sc.			15100	»	»	»	15100	»
		. . sc.								
		relativa convenzione stipolata colla stessa S. Congregazione, e S. Monte di Pietà di Roma.								
		A dì 25 Giugno, depositati come sopra a disposizione di Monsig. Segretario . . . »	100	»	17100	»	»	»	17100	»
Dal Rdo P. Giuseppe Boero Postulatore dei SS. III. Martiri della Compagnia di Gesù del Giappone.	»	A dì 10 Marzo, depositati come sopra . . . . »	8000	»						
		A dì 3 Maggio, depositati alla Banca dello Stato Pontificio come sopra . . . . »	6000	»						
		A dì 24 Maggio, depositati come sopra . . . . »	1000	»	15000	»	»	»	15000	»
Dal Marchese de Lavalette.	»	A dì 14 Giugno, per un'obblazione di fr. 3000 pari a . . . . »			560	40	»	»	560	40
Da Giovanni Fratellini Cerarolo	»	A dì 30 Giugno, per prezzo della cera nuova al medesimo restituita, e della cera arsa rivendutagli. . . . . . . »			»	»	1197	43	1197	43
Da Mustioli Filippo e Camillo.	»	A dì 22 Luglio, in abbuono sul prezzo convenuto dei due Paliotti per aver ritirato la somma residuale in un sol pagamento invece delle rate convenute . . . . »			»	»	60	»	60	»
Da Gerardini Carlo Andrea Cerarolo.	»	A dì 28 Luglio, per prezzo della cera nuova restituitagli, e della cera arsa rivendutagli . . . . »			2245	76	»	»	2245	76
		A riportarsi . . sc.			50006	16	1257	43	51263	59

CANONIZZAZIONE DEI XXVI. SS. MARTIRI

INTROITO

	ANNO				SOMME Depositate		SOMME Compensate		TOTALE	
		Riporto . . sc.			50006	16	1257	43	51263	59
Dal Profes. Angelini Pittore di decorazione.	1862	A dì 28 Luglio, per prezzo della tela paglia al medesimo rivenduta e consegnata. »			»	»	140	»	140	»
Da Luigi Sottovia.	»	A dì 12 Agosto, per prezzo del ferro al medesimo rivenduto e consegnato. »			»	»	811	»	811	»
Da Luigi Vigneri.	»	A dì 26 Agosto, per prezzo di tutto il legname al medesimo rivenduto a consegnato . . . . »			»	»	1040	»	1040	»
Dalla R. F. di S. Pietro in Vaticano.	»	A dì 29 Agosto, per prezzo del poggiamano cedoto nella Basilica Vaticana così convenuto . . . . »			131	32 5	»	»	131	32 5
Detta	»	A dì 19 Settembre, per prezzo delle corde alla medesima vendute a baj. 5 ½ la libra . . . . »			286	55	»	»	286	55
Da Giovanni de Cadilhac Segretario	»	Pel ritratto avuto dalla vendita della carta pesta. . . . sc.	27	»						
		Id. per altro ferro venduto a Sottovia . . . . »	20	»						
		Per una Propina alla Sala di un Emo Cardinale della S. Cong.ᵉ dei Riti non dovuta »	2	40						
		Per i Pilastri di carta venduti a Jacovacci a Gori. . . . »	16	90						
		Per le code di finto armellino vendute come sopra . . »	3							
					69	30	»	»	69	30
Dalla Banca dello Stato Pontificio.	»	Per importare dei frutti decorsi dal 4 Febbrajo 1862 al 15 Ottobre pp. sulle somme ivi depositate e giacenti in cassa a forma della convenzione. Vedi *Tit.* 5. *N.*° 5. . . . . »			315	92	»	»	315	92
		TOTALE . . . »			50809	25 5	3248	43	54057	68 5

DEL GIAPPONE E DI S. MICHELE DE-SANCTIS

ESITO									
	ANNO		IMPORTO COMPENSATE		SOMME DEI MANDATI		TOTALE	
		SEGRETARIO DI MONSIG. PRESIDENTE DE' POSTULATORI						
A Giovanni de Cadilhac.	1862	In compenso dei servigj prestati come Sagretario della Presidenza delle Postulazioni a forma della risoluzione, e relativo mandato dei 24 Ag. 1862 N.° 205. *Vedi Tit.°* 2. . . . . . . »	200	»	»	»	200	»
		ARCHITETTO DELLA CANONIZZAZIONE						
ligionem, mores, et regimen spirituale pertinent, atque etiam impedire, quominus Sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice supremo totius Ecclesiae Pastore divinitus constituto libere ac mutuo communicent, ut plane dissolvatur necessaria et arctissima illa conjunctio, quae inter membra mystici corporis Christi, et adspectabile suum Caput ex divina ipsius Christi Domini institutione esse omnino debet. Nihil vero timent omni fallacia ac dolo in vulgus proferre, sacros Ecclesiae ministros, Romanumque Pontificem ab omni rerum temporalium jure ac dominio esse omnino excludendos.

Summa praeterea impudentia asserere non dubitant, divinam revelationem non solum nihil prodesse, verum etiam nocere hominis perfectioni, ipsamque divinam revelationem esse imperfectam, et iccirco subjectam *continuo* et *indefinito* progressui, qui humanae rationis progressioni respondeat. Nec verentur proinde jactare, prophetias et miracula in sacris Litteris exposita et narrata esse poetarum commenta, et sacrosancta divinae fidei nostrae mysteria philosophicarum investigationum summam, ac divinis utriusque testamenti libris mythica contineri inventa, et ipsum Dominum Nostrum Jesum Christum, horribile dictu! mythicam esse fictionem. Quare hi turbulentissimi perversorum dogmatum cultores blaterant, morum leges

divina haud egere sanctione, et minime opus esse, ut humanae leges ad naturae jus conformentur, aut obligandi vim a Deo accipiant, ac propterea asserunt, nullam divinam existere legem. Insuper inficiari audent omnem Dei in homines mundumque actionem, ac temere affirmant, humanam rationem, nullo prorsus Dei respectu habito, unicum esse veri et falsi, boni et mali arbitrum, eamdemque humanam rationem sibi ipsi esse legem, ac naturalibus suis viribus ad hominum ac populorum bonum curandum sufficere. Cum autem omnes religionis veritates ex nativa humanae rationis vi perverse derivare audeant, tum cuique homini quoddam veluti primarium jus tribuunt, ex quo possit libere de religione cogitare et loqui, eumque Deo honorem et cultum exhibere, quem pro suo libito meliorem existimat.

At vero eo impietatis et impudentiae deveniunt, ut coelum petere, ac Deum ipsum de medio tollere conentur. Insigni enim improbitate ac pari stultitia haud timent asserere, nullum supremum sapientissimum providentissimumque Numen divinum existere ab hac rerum universitate distinctum, ac Deum idem esse ac rerum naturam, et iccirco immutationibus obnoxium, Deumque reapse fieri in homine et mundo, atque omnia Deum esse, et ipsissimam Dei habere substantiam, ac unam eamdemque rem esse Deum cum mundo, ac pro-

inde spiritum cum materia, necessitatem cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi et excogitari unquam potest. De auctoritate autem et iure ita temere effutiunt, ut impudenter dicant, auctoritatem nihil aliud esse, nisi numeri, et materialium virium summam, ac jus in materiali facto consistere, et omnia hominum officia esse nomen inane, et omnia humana facta juris vim habere.

Jam porro commenta commentis, deliramenta deliramentis cumulantes, et omnem legitimam auctoritatem, atque omnia legitima jura, obligationes, officia conculcantes nihil dubitant in veri legitimique juris locum substituere falsa ac mentita virium jura ac morum ordinem rerum materialium ordini subiicere. Neque alias vires agnoscunt, nisi illas, quae in materia positae sunt, et omnem morum disciplinam honestatemque collocant in cumulandis et augendis quovis modo divitiis, et in pravis quibusque voluptatibus explendis. Atque hisce nefariis abominandisque principiis reprobum carnis spiritui rebellis sensum tuentur, fovent, extollunt, illique naturales dotes ac jura tribuunt, quae per catholicam doctrinam conculcari dicunt, omnino despicientes monitum Apostoli clamantis « si se« cundum carnem vixeritis, moriemini, si autem

« spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis » (1). Omnia praeterea legitimae cujusque proprietatis jura invadere, destruere contendunt, ac perperam animo et cogitatione confingunt et imaginantur jus quoddam *nullis circumscriptum limitibus*, quo reipublicae Statum pollere existimant, quem omnium jurium originem et fontem esse temere arbitrantur.

Dum vero hos praecipuos infelicissimae nostrae aetatis errores dolenter ac raptim perstringimus, recensere omittimus, Venerabiles Fratres, tot alias fere innumerabiles falsitates et fraudes Vobis apprimè notas ac perspectas, quibus Dei hominumque hostes rem tum sacram tum publicam perturbare et convellere connituntur. Ac silentio praetermittimus multiplices gravissimasque injurias, calumnias, convicia, quibus sacros Ecclesiae ministros, et hanc Apostolicam Sedem dilacerare et insectari non desinunt. Nihil loquimur de iniqua sane hypocrisi, qua funestissimae in Italia praesertim perturbationis ac rebellionis duces et satellites dictitant, se velle, Ecclesiam sua gaudere libertate, dum sacrilego prorsus ausu omnia ipsius Ecclesiae jura et leges quotidie magis proculcant, ejusque bona diripiunt, et Sacrorum Antistites, ecclesiasticosque viros suo munere praeclare fungentes quoquo modo divexant, et in car-

(1) Ad Rom. c. 8. v. 13.

cerem detrudunt, et Religiosorum Ordinum Alumnos, ac Virgines Deo sacras e suis coenobiis violenter exturbant, suisque propriis bonis spoliant, nihilque intentatum relinquunt, ut ipsam Ecclesiam in turpissimam redigant servitutem, et opprimant. Ac dum singularem certe ex optatissima Vestra praesentia voluptatem percipimus, Vos ipsi videtis, quam libertatem nunc habeant Venerabiles Fratres Sacrorum in Italia Antistites, qui strenue constanterque praeliantes praelia Domini minime potuerunt cum summo animi Nostri dolore, adversantium opera, ad Nos venire, et inter Vos versari, atque huic adesse conventui, quod summopere optavissent, quemadmodum infelicis Italiae Archiepiscopi et Episcopi suis Litteris summi erga Nos, et hanc Sanctam Sedem amoris et obsequii plenissimis significarunt. Neminem etiam ex Sacrorum in Lusitania Antistitibus hic adesse cernitis, ac non parum dolemus, inspecta difficultatum natura, quae obstiterunt, quominus ipsi romanum iter aggredi possent. Recensere autem omittimus tot alia sane tristia et horrenda, quae ab hisce perversarum doctrinarum cultoribus cum incredibili Nostro ac Vestro, et omnium bonorum luctu patrantur. Nihil item dicimus de impia conspiratione, et pravis cujusque generis molitionibus ac fallaciis, quibus civilem hujus Apostolicae Sedis principatum omnino ever-

tere ac destruere volunt. Juvat potius hac de re commemorare miram prorsus consensionem, qua Vos ipsi una cum aliis Venerabilibus Fratribus universi catholici orbis Sacrorum Antistitibus nunquam intermisistis et epistolis ad Nos datis, et pastoralibus litteris ad fideles scriptis hujusmodi fallacias detegere refutare, ac simul docere, hunc civilem Sanctae Sedis principatum Romano Pontifici fuisse singulari divinae providentiae consilio datum, illumque necessarium esse, ut idem Romanus Pontifex nulli unquam Principi aut civili potestati subjectus supremam universi Dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino divinitus acceptam per universam Ecclesiam plenissima libertate exercere, ac majori ejusdem Ecclesiae, et fidelium bono, utilitati et indigentiis consulere possit.

Quae hactenus lamentati sumus, Venerabiles Fratres, luctuosum plane exhibent spectaculum. Quis enim non videt tot pravorum dogmatum iniquitate, ac tot nequissimis deliramentis et machinationibus magis in dies christianum populum misere corrumpi, et ad exitium impelli, et catholicam Ecclesiam, ejusque salutarem doctrinam ac veneranda jura et leges, sacrosque ministros oppugnari, et iccirco omnia vitia et scelera invalescere ac propagari, et ipsam civilem societatem exagitari?

Nos itaque Apostolici Nostri ministerii probe memores ac de spirituali omnium populorum bono et salute Nobis divinitus commissa vel maxime solliciti, cum « aliter » ut sanctissimi decessoris Nostri Leonis verbis utamur « Nobis commissos « regere non possimus, nisi hos, qui sunt per- « ditores et perditi, zelo fidei Dominicae perse- « quamur, et a sanis mentibus, ne pestis haec « latius divulgetur, severitate, qua possumus, ab- « scindamus » (1), in hoc amplissimo vestro consessu Apostolicam Nostram attollentes vocem omnes commemoratos praesertim errores non solum catholicae fidei ac doctrinae, divinis ecclesiasticisque legibus, verum etiam ipsi sempiternae ac naturali legi et justitiae, rectaeque rationi omnino repugnantes et summopere adversos reprobamus, proscribimus, atque damnamus.

Vos autem, Venerabiles Fratres, qui estis sal terrae, et Dominici gregis Custodes ac Pastores, etiam atque etiam excitamus et obtestamur, ut pro eximia Vestra religione et episcopali zelo pergatis, veluti adhuc cum summa Vestri Ordinis laude fecistis, omni cura, sedulitate et studio fideles Vobis traditos ab hisce venenatis pascuis arcere, et qua voce, qua opportunis scriptis tot perversarum opinionum monstra refellere et profligare. Optime enim scitis de summa re agi, cum agatur de san-

(1) Epist. VII ad Episc. per Ital. c. 2 Edit. Baller.

ctissimae fidei nostrae, ac de catholicae Ecclesiae, ejusque doctrinae causa, de populorum salute, et humanae societatis bono ac tranquillitate. Itaque quantum in Vobis est, ne desinatis unquam a fidelibus avertere tam dirae pestis contagia, idest ab eorum oculis manibusque perniciosos libros et ephemerides eripere, ipsosque fideles sanctissimis augustae nostrae religionis praeceptionibus assidue imbuere et erudire, ac monere et exhortari, ut ab hisce iniquitatis magistris, tamquam a facie colubri effugiant. Pergite Vestras omnes curas cogitationesque in id potissimum conferre, ut Clerus sancte scienterque instituatur, omnibusque virtutibus fulgeat, ut utriusque sexus juventus ad morum honestatem, pietatem, omnemque virtutem sedulo formetur, ut salutaris sit studiorum ratio. Ac diligentissime advigilate et prospicite, ne in humaniores litteras, severioresque disciplinas tradendas aliquid unquam irrepat quod fidei, religioni, bonisque moribus adversetur. Viriliter agite, Venerabiles Fratres, et ne animo unquam concidatis in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate, sed divino auxilio omnino freti, ac *sumentes in omnibus scutum inexpugnabile aequitatis et fidei, atque assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei,* ne intermittatis omnium catholicae Ecclesiae, et hujus Apostolicae Sedis hostium conatibus obsistere, eorumque tela retundere et impetus frangere.

Interim vero dies noctesque, sublatis ad coelum oculis, non desistamus, Venerabiles Fratres, clementissimum misericordiarum Patrem, et Deum totius consolationis, qui de tenebris facit lucem splendescere, quique potens est de lapidibus suscitare filios Abrahae, in humilitate cordis nostri ferventissimis precibus indesinenter orare et obsecrare, ut per merita Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi velit christianae et civili reipublicae auxiliariam porrigere dexteram, omnesque disperdere errores et impietates, ac divinae suae gratiae lumine omnium errantium mentes illustrare, illosque ad se convertere et revocare, quo Ecclesia sua sancta optatissimam assequatur pacem, et ubique terrarum majora in dies incrementa suscipiat, ac prospere vigeat et efflorescat. Ut autem quae petimus et quaerimus facilius consequi possimus, ne cessemus adhibere primum deprecatricem apud Deum Immaculatam Sanctissimamque Deiparam Virginem Mariam, quae misericordissima, et omnium nostrum amantissima mater cunctas semper interemit haereses, et cujus nullum apud Deum praesentius patrocinium. Petamus quoque suffragia tum sancti ejusdem Virginis Sponsi Josephi, tum sanctorum Apostolorum Petri et Paulli, omniumque coelitum, et illorum praesertim, quos nuper Sanctorum fastis adscriptos colimus et veneramur.

Antequam vero dicendi finem faciamus Nobis

temperare non possumus, quin iterum testemur et confirmemus, summa Nos uti consolatione, dum jucundissimo Vestrum omnium conspectu fruimur, Venerabiles Fratres, qui tanta fide, pietate et observantia Nobis et huic Petri Cathedrae firmiter obstricti, ac ministerium Vestrum implentes majorem Dei gloriam, et animarum salutem omni studio procurare gloriamini, quique concordissimis animis, atque admirabili sane cura et amore una cum aliis Venerabilibus Fratribus totius catholici orbis Episcopis et fidelibus Vestrae et illorum curae commissis gravissimas Nostras angustias et acerbitates modis omnibus lenire et sublevare non desinitis. Quocirca hac etiam occasione amantissimi aeque ac gratissimi animi Nostri sensus erga Vos, et alios omnes Venerabiles Fratres, et ipsos fideles amplissimis verbis palam publiceque profitemur. A Vobis autem exposcimus, ut cum ad Vestras redieritis Dioeceses velitis eisdem fidelibus Vestrae vigilantiae concreditis hos animi Nostri sensus Nostro nomine nuntiare, illosque certiores facere de paterna Nostra in illos caritate, deque Apostolica Benedictione, quam ex intimo corde profectam, et cum omnis verae felicitatis voto conjunctam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et eisdem fidelibus impertire vehementer laetamur.

Allocutione ad finem perducta Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis Marius Mattei Sacri Senatus Decanus ac Episcopus Ostiensis Fratrum ibi adstantium nomine ante imum solii gradum consistens Declarationem, quam heic referam, perlegit; eamque postea, deosculata prius manu, Summo Pontifici porrexit, qui omnes, benedictione impertita, dimisit.

Beatissime Pater

Ex quo Apostoli Jesu Christi sacro Pentecostes die Petro Ecclesiae Capiti in oratione adhaerentes, Spiritum Sanctum acceperunt, et divino ejus impulsu acti, cunctarum fere nationum viris in Urbe sancta congregatis, unicuique sua lingua potentiam Dei mirabilem annuntiarunt, numquam, ut credimus, ad hanc usque diem tot eorumdem haeredes, iisdem recurrentibus solemniis, venerandum Petri Successorem, orantem circumsteterunt, decernentem audierunt, regentem roborarunt. Quemadmodum vero Apostolis media inter nascentis Ecclesiae pericula nil iucundius accidere potuit, quam divino Spiritu recens afflato assistere primo Christi in terris Vicario; ita nec nobis praesentes inter Ecclesiae sanctae angustias, antiquius sanctiusve aliud esse potuit, quam quidquid inest venerationis pietatisque erga Sanctitatem Tuam pectoribus nostris, ad pedes Beatitudinis Tuae deponere, simul et unanimiter declarare, quànta prosequamur admiratione praeclaras, quibus Supremus Pontifex Noster eminet virtutes, quantoque animo iis quae Petrus alter docuit, vel quae tam firmiter stata rataque esse voluit, adhaereamus.

Corda nostra novus inflammat ardor, vividior fidei lux mentem illuminat, sanctior animam corripit amor. Linguas nostras flammis illius sacri ignis vibrantes sentimus, quae Mariae, cui assidebant Apostoli, mitissimum cor ardentiori pro hominum salute desiderio incendebant, ipsos vero Apostolos ad magnalia Dei praedicanda impellebant.

Plurimas igitur agentes Beatitudini Tuae gratias, quod nos ad Pontificium solium difficillimis hisce temporibus accurrere, Te afflictum solari, nostrosque Tibi, cleri item ac populi nostrae curae commissorum animi sensus aperire permiseris, Tibi uno ore unaque mente acclamamus, omnia fausta, cuncta bona adprecantes. Vive diu, Sancte Pater, valeque ad Catholicam regendam Ecclesiam. Perge, ut facis, eam Tuo robore tueri, tua prudentia dirigere, Tuis exornare virtutibus. Praei nobis, ut bonus Pastor, exemplo, oves et agnos coelesti pabulo pasce, aquis sapientiae coelestis refice. Nam Tu sanae doctrinae nobis Magister, Tu unitatis centrum, Tu populis lumen indeficiens a divina Sapientia praeparatum. Tu Petra es, et ipsius Ecclesiae fundamentum, contra quod inferorum portae numquam praevalebunt. Te loquente, Petrum audimus, Te decernente, Christo obtemperamus. Te miramur inter tantas molestias totque procellas fronte serena et imperturbato animo sacri muneris partibus fungentem, invictum et erectum.

Dum tamen justissima in his gloriandi nobis suppetunt argumenta, non possumus quin simul oculos ad tristia convertamus. Undequaque enim menti nostrae se sistunt immania eorum facinora, qui pulcherrimam Italiae terram, cujus Tu, Beatissime Pater, columen es et decus, misere vastarunt, ipsumque Tuum ac Sanctae Sedis principatum, ex quo praeclara quaeque in civilem societatem veluti ex suo fonte dimanarunt, labefactare, ac funditus evertere connituntur. Nam neque perennia saeculorum jura, neque diuturna regiminis pacifica possessio, neque tandem foedera totius Europae auctoritate sancita et confirmata impedire potuerunt, quominus omnia susdeque verterentur, spretis legibus omnibus, quibus hactenus suffulta stabant imperia.

Sed ut ad nostra propius accedamus, Te, Beatissime Pater, iis provinciis, quarum ope, et dignitati Sanctae Sedis, et totius Ecclesiae administrationi aequissime providebatur,

nefario usurpatorum hominum scelere, qui non habent ***nisi velamen malitiae libertatem***, spoliatum cernimus. Quorum iniquae violentiae cum Sanctitas Tua invictissimo animo obstiterit, plurimas ei gratias, Catholicorum omnium nomine, censemus rependendas.

Civilem enim Sanctae Sedis principatum ceu quiddam necessarium ac providente Deo manifeste institutum agnoscimus; nec declarare dubitamus, in praesenti rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae animarumve regimine omnino requiri. Oportebat sane totius Ecclesiae Caput Romanum Pontificem nulli Principi esse subjectum, imo nullius hospitem; sed in proprio dominio ac regno sedentem suimet juris esse, et in nobili, tranquilla, et alma libertate Catholicam Fidem tueri, ac propugnare, totamve regere ac gubernare Christianam Rempublicam.

Quis autem inficiari possit in hoc rerum humanarum, opinionum, institutionumque conflictu necessarium esse ut servetur extrema in Europa medius, tres inter veteris mundi continentes, quidam veluti sacer locus, et Sedes augustissima, unde populis principibusque vicissim oriatur vox quaedam magna potensque, vox nempe justitiae et veritatis, nulli favens prae caeteris, nullius obsequens arbitrio, quam nec terrendo compescere, nec ullis artibus quisquam possit circumvenire?

Qui porro vel hac vice fieri potuisset, ut Ecclesiae Antistites securi huc ex toto Orbe accurrerent cum Sanctitate Tua de rebus gravissimis acturi, si ex tot et tam diversis regionibus gentibusque confluentes, principem aliquem invenissent his oris dominantem, qui vel principes ipsorum in suspicione haberet, vel illis, suspectus ipse, adversaretur? Sua sunt etenim et christiano, et civi officia: haud quidem repugnantia inter se, sed diversa tamen: quae adimpleri ab Episcopis quomodo possent, nisi perstaret

Romae civilis principatus, qualis est Pontificum, juris alieni omnino immunis, et centrum quodammodo universalis concordiae, nihil ambitionis humanae spirans, nihil pro terrena dominatione moliens?

Ad liberum ergo Pontificem Regem venimus liberi, Ecclesiae rebus utpote Pastores, et patriae utpote cives bene et aeque consulentes, neque Pastorum, neque civium officia posthabentes.

Quae cum ita sint, quisnam principatum illum tam veterem, tanta auctoritate, et tanta necessitatis vi conditum, audeat impugnare? Cui, si vel jus illud humanum, in quo posita est principum securitas populorumque libertas attendatur, quaenam alia potestas possit comparari? Quae tam venerabilis et sancta? Quae sive pristinis sive recentioribus saeculis monarchia vel respublica juribus tam augustis, tam antiquis, tam inviolabilibus possit gloriari? Quae omnia si semel et in hac Sancta Sede despecta atque proculcata fuerint, quisnam vel princeps de regno, vel respublica de territorio possint esse securi? Ergo, Sanctissime Pater, pro religione quidem, sed et pro justitia, juribusque, quae sunt inter gentes rerum humanarum fundamenta, contendis atque decertas.

Sed de hac tam gravi causa vix nos decet amplius verba proferre, qui Te de ipsa non tam disserentem quam docentem saepe saepius audivimus. Vox etenim Tua, quasi tuba sacerdotalis, toti orbi clangens proclamavit, quod « singulari prorsus divinae Providentiae consilio factum sit, ut Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae Caput Centrumque constituit, civilem assequeretur principatum (1); » ab omnibus igitur nobis esse pro certissimo tenendum non fortuito hoc regimen temporale Sanctae Sedi accessisse, sed ex speciali divina dispositione illi

(1) Lit. Apost. XXVI mar. 1860 p. 3, 5 Allocutio XX Jun. 1859 p. 6 Encycl. XIX Jun. 1860 p. 4 Allocutio XVII Dec. 1860.

esse tributum, longave annorum serie, unanimi omnium regnorum et imperiorum consensu, ac paene miraculo corroboratum et conservatum.

Alto pariter et solemni eloquio declarasti « Te civilem Romanae Ecclesiae principatum ejusque temporales possessiones ac jura, quae ad universum Catholicum orbem pertinent, integra et inviolata constanter tueri, et servare velle; immo Sanctae Sedis Principatus Beatique Petri patrimonii tutelam ad omnes Catholicos pertinere; Teque paratum esse animam potius ponere quam hanc Dei, Ecclesiae, ac justitiae causam ullo modo deserere (1) ». Quibus praeclaris verbis nos acclamantes ac plaudentes respondemus, nos Tecum et ad carcerem et ad mortem ire paratos esse; Teque humiliter rogamus, ut in hac constantia, ac firmissimo proposito maneas immobilis, Angelis et hominibus invicti animi et summae virtutis spectaculum factus. Id etiam a Te postulat Christi Ecclesia pro cujus feliciori regimine Romanis Pontificibus civilis principatus providentissime fuit attributus, quaeque adeo sensit ejusdem tutelam ad ipsam pertinere, ut, Sede olim Apostolica vacante, gravissimis in angustiis, temporales Romanae Ecclesiae possessiones omnes Constantiensis Concilii Patres, uti ex publicis patet documentis, in unum administrarent; id postulant Christi fideles per omnes terrarum orbis regiones dispersi, qui libere ad Te venire, libereque conscientiae suae consulere gestiunt; id denique ipsa civilis deposcit societas, quae ex Tui regiminis subversione sua ipsa nutare sentit fundamenta.

Sed quid plura? Tu tandem aliquando scelestos homines et bonorum ecclesiasticorum direptores justo judicio damnans omnia quae patraverant « irrita et nulla » proclamasti (2); actus omnes ab iis intentatos « illegitimos omnino

(1) Epist. Encycl. XIX Jan. 1860 pag. 7, 8.
(2) Allocutio XXVI Sept. 1859 p. VII.

et sacrilegos » esse decrevisti (1); ipsosque talium facinorum reos poenis et censuris ecclesiasticis obnoxios jure ac merito declarasti (2).

Hos tam graves Tui oris sermones, tamve praeclara gesta nostrum est reverenter excipere, iisque plenum assensum renovare. Sicuti enim corpus capiti, cui jungitur membrorum compagine unaque vita, in omnibus condolet, ita nos Tecum consentire necesse est. Tibi in omni Tua hac acerbissima afflictione, sic conjungimur, ut quae Tibi pati contingat, eadem et nos, amoris consensu, patiamur. Deum interea supplices invocamus, ut tam iniquae rerum perturbationi finem ponat, Ecclesiamque Filii sui sponsam, tam misere expoliatam ac oppressam pristino decori ac libertati restituat.

Sed mirum nobis non est tam acriter, et infense Sedis Apostolicae jura impeti et impugnari. Jam enim a pluribus annis, eo devenit nonnullorum hominum insania, ut non amplius singulas Ecclesiae doctrinas reiicere, vel in dubium revocare conentur; sed totam penitus veritatem christianam, christianamque rempublicam funditus evertere sibi proponant. Hinc impiissima tentamina vanae scientiae, falsaeque eruditionis contra Sacrarum Litterarum doctrinas, ipsarumque inspirationem; hinc malesana sollicitudo juventutem Ecclesiae matris tutelae subtractam quibusvis saeculi erroribus, vel seclusa saepius omni religiosa institutione, imbuendi; hinc novae caeque perniciosissimae de sociali, politico aeque ac religioso rerum ordine theoriae, quae impune quaquaversus sparguntur; hinc multis familiare, in his praesertim oris, Ecclesiae auctoritatem spernere, jura sibi vindicare, praecepta proculcare, ministros vilipendere, cultum deridere, ipsos de Religione errores, imo ecclesiasticos quoque viros in perditionis viam misere

(1) Allocutio XX Jun. 1859 p. 8.
(2) Litterae Apostolicae XXVI Martii 1860.

abeuntes laudare ac in honore habere. Venerabiles Antistites ac Dei Sacerdotes exauctorantur, exulare coguntur, aut in carceres detruduntur; quinimo ante tribunalia civilia, pro constantia in sacro ministerio obeundo, contumeliose pertrahuntur. Gemunt Christi Sponsae suis expulsae tectis, inedia fere consumptae, vel cito consumendae; viri religiosi ad saeculum inviti remeare coguntur; sacro Ecclesiae patrimonio violentae manus injiciuntur; pessimorum librorum, ephemeridum, et imaginum colluvie, fidei, moribus, veritati, ipsi verecundiae continuum asperrimumque bellum infertur.

Sed qui talia moliuntur optime norunt in Sancta Sede, velut in arce inexpugnabili, robur ac vires omnis veritatis ac justitiae inesse, quibus retundantur hostium impetus; ibi esse speculam, ex qua vigiles Summi Custodis oculi paratas insidias a longe conspiciunt, suis annuntiandas commilitonibus. Hinc odium implacabile, hinc insanabilis livor, hinc continuum scelestissimorum hominum studium, ut Sanctam Romanam Ecclesiam ejusque Sedem deprimant, ac si fieri umquam posset, prorsus exscindant.

Quis, Beatissime Pater, talia conspiciens, vel etiam recensita audiens sibi temperet a lacrymis? Justo igitur dolore correpti oculos ac manus ad coelos levamus, Divinum illum Spiritum toto mentis affectu implorantes, ut qui hac die olim nascentem Ecclesiam sub Petri regimine sanctificavit et roboravit; eam nunc, Te Pastore, Te Duce, tutetur, ampliet, ac glorificet. Testis sit votorum quae nuncupamus, Maria per te Immaculatae titulo hoc ipso in loco solemniter aucta; testes hi sacri cineres quos veneramur Sanctorum Romanae Ecclesiae Patronorum Petri et Pauli, testes venerandae exuviae tot Pontificum, Martyrum, ac Confessorum, quae hanc ipsam, quam premimus terram, sanctam reddunt; testes tandem praecipue nobis adstent Sancti isti, qui Coelitum Ordini hac ipsa die supremo Tuo

judicio adscripti, hodie Ecclesiae tutelam novo titulo sunt suscepturi, primasque Omnipotenti Deo preces pro Tua quoque incolumitate suis de altaribus oblaturi.

Adstantibus igitur istis omnibus, nos Episcopi, ne illud impietas vel ignorare simulet, vel audeat denegare, errores quos Tu damnasti, damnamus, doctrinas novas et peregrinas, quae in damnum Ecclesiae Jesu Christi passim propalantur, detestamur, et rejicimus; sacrilegia, rapinas, immunitatis ecclesiasticae violationes, aliaque nefanda in Ecclesiam, Petrique Sedem commissa reprobamus, et condemnamus.

Hanc vero protestationem, quam pubblicis Ecclesiae tabulis adscribi petimus, Fratrum etiam nostrorum qui absunt nomine, tuto proferimus; sive eorum qui, tot inter angustias, vi detenti domi hodie silent ac plorant, sive qui gravibus negotiis, aut adversa valetudine impediti, nobiscum hodie adesse nequiverunt. Jungimus insuper nobis fidelem nostrum Clerum ac populum, qui eodem ac nos in Te amore eadem pia reverentia animati, suum in Te studium, qua precibus sine intermissione fusis, qua opibus in Obulo S. Petri mira, ut plurimum, largitate oblatis luculentissime comprobarunt, probe scientes sacrificiis suis id quoque curari, ut dum necessitatibus Supremi Pastoris consulitur, simul et ejusdem libertati servandae prospiciatur.

Utinam ad communem hanc totius Orbis christiani, imo omnis socialis ordinis causam in tuto locandam universi populi conspirarent!

Utinam intelligerent erudirenturque Reges et saeculi potestates, causam Pontificis omnium principum regnorumque esse causam, et quo tendant nefarii adversariorum ejus conatus, ac tandem *novissima providerent!*

Utinam resipiscerent infelices illi aliquot ecclesiastici et religiosi viri qui vocationis suae immemores debitam Ecclesiae Praesulibus obedientiam denegantes, atque ipsum

quoque Ecclesiae magisterium temere usurpantes, in viam perditionis abierunt!

Hoc a Domino Tecum flentes, Beatissime Pater, enixe atque ex corde exoramus, dum ad Tuos sacros pedes provoluti, a Te robur coeleste expetimus, quod Apostolica ac paterna benedictio Tua valet impertire. Sit haec copiosa et ex intimis penetralibus Cordis Tui largiter effluens, ut non tantum nos, sed absentes quoque dilectissimos Fratres, itemque Fideles nobis commissos irriget ac perfundat. Sit talis quae nostros et totius Orbis dolores leniat et demulceat, infirmitatem sublevet, operam ac laborem foecundet, feliciora demum Ecclesiae Sanctae Dei tempora acceleret.

Romae hac die VIII mensis Junii anno Domini MDCCCLXII.

✠ Marius Card. Mattei Episc. Ostiensis et Veliternensis.
✠ Constantinus Card. Patrizi Episc. Portuensis et S. Rufinae.
✠ Aloisius Card. Amat Episc. Praenestinus.
✠ Antonius Maria Card. Cagiano de Azevedo Episc. Tusculanus.
✠ Hyeronimus Card. D'Andrea Episc. Sabinensis.
✠ Ludovicus Card. Altieri Episc. Albanensis.
✠ Engelbertus Card. Sterckx Archiep. Mehliniensis.
✠ Ludovicus Jacobus Mauritius Card. De Bonald Archiep. Lugdunensis.
✠ Fridericus Joannes Joseph Card. Schwarzenberg Archiep. Pragensis.
✠ Dominicus Card. Carafa de Traetto Archiep. Beneventanus.
✠ Xyxtus Card. Riario Sforza Archiep. Neapolitanus.
✠ Jacobus Maria Ant. Caesar. Card. Mathieu Archiep. Bisuntinus.
✠ Thomas Card. Gousset Archiep. Rhemensis.
✠ Nicolaus Card. Wiseman Archiep. Westmonasteriensis.
✠ Franciscus Augustus Card. Donnet Archiep. Burdigalensis.

✠ Joannes Card. Scitowcki Archiep. Strigoniensis.
✠ Franciscus Nicolaus Magdalena Card. Morlot Archiep. Parisiensis.
✠ Joseph Maria Card. Milesi Abbas Commend. et Ordinarius Trium Fontium.
✠ Michael Card. Garcia Cuesta Archiep. Compostellanus.
✠ Cajetanus Card. Bedini Episc. Viterbiensis et Tuscanensis.
✠ Ferdinandus Card. De la Puente Archiep. Burgensis.
✠ Melchiades Ferlisi Patr. Constantinopolitanus.
✠ Carolus Belgrado Patr. Antiochenus.
✠ Joseph Trevisanato Patr. Venetiarum.
✠ Thomas Iglesias y Barcones Patr. Indiarum Occidentalium.
✠ Antonius Hassun Primas Constantinopolitanus rit. armen.
✠ Aloisius Maria Cardelli Archiep. Achridensis.
✠ Stephanus Missir Archiep. Hirenopolitanus rit. graec.
✠ Laurentius Trioche Archiep. Babilonensis Latinorum.
✠ Tobias Aun Archiep. Berytensis Maronitar.
✠ Emanuel Marongiu-Nurra Archiep. Calaritanus.
✠ Joannes Joseph Maria De Jerphanion Archiep. Albiensis
✠ Joannes Franc. Cometti Archiep. Nicomediensis.
✠ Mellonus Jolly Archiep. Senonensis.
✠ Leo de Przyluski Archiep. Gnesnensis et Posnaniensis.
✠ Alexander Asinari de Sanmarzano Archiep. Ephesinus.
✠ Edoardus Hurmuz Archiep. Siracensis arm. rit.
✠ Raphael D'Ambrosio Archiep. Durrachiensis.
✠ Joseph Maria De Belay Archiep. Avenionensis.
✠ Paulus Cüllen Archiep. Dublinensis.
✠ Thomas Ludovicus Connolly Archiep. Halifaxiensis.
✠ Joannes Baptista Purcell Archiep. Cincinnatensis.
✠ Joannes Hugues Archiep. Neo-Eboracensis.
✠ Renatus Franciscus Rêgner Archiep. Camaracensis.
✠ Maximilianus de Tarnoczy Archiep. Salisburgensis.
✠ Antonius Ligi Bussi Archiep. Iconiensis.

✠ Aloisius Clementi Archiep. Damascenus.
✠ Silvester Guevara Archiep. De Venezuela.
✠ Joannes Zwysen Archiep. Ultrajectensis.
✠ Fridericus de Frustemberg Archiep. Olomucensis.
✠ Paulus Brunoni Archiep. Taronensis.
✠ Athanasius Sabugh Archiep. Tyrenus Melchitar.
✠ Andreas Bizzarri Archiep. Philippensis.
✠ Franciscus Xav. Apuzzo Archiep. Surrentinus.
✠ Andreas Gollmayr Archiep. Goritiensis et Gradiscanus.
✠ Vincentius Tizzani Archiep. Nisibenus.
✠ Petrus Villanova Castellacci Archiep. Petrensis.
✠ Vincentius Spaccapietra Archiep. Smyrnensis.
✠ Michael Alexandriorum Archiep. Hyerosolimitanus armen.
✠ Marianus Ricciardi Archiep. Reginensis.
✠ Salvator Nobili Vitelleschi Archiep. Seleuciensis.
✠ Alexander Franchi Archiep. Thessalonicensis.
✠ Gregorius Scherr Archiep. Monacensis et Frisingensis.
✠ Georgius Claudius Ludovicus Pius Chalandon Archiep. Aquensis.
✠ Joseph Dominicus Costa y Borras Archiep. Tarraconensis.
✠ Ludovicus De la Lastra y Cuesta Archiep. Vallisolitanus.
✠ Gustavus d'Hohenlohe Archiep. Edessenus.
✠ Cajetanus Pace-Forno Archiep. Melitensis.
✠ Philippus Gallo Archiep. Patracensis.
✠ Petrus Giannelli Archiep. Sardiensis.
✠ Emanuel Gargia Gil Archiep. Caesaraugustanus.
✠ Goffredus Saint-Marc Archiep. Rhedonensis.
✠ Julianus Florianus Desprez Archiep. Tolosanus.
✠ Spiridion Maddalena Archiep. Corcyrensis.
✠ Marianus Barrio y Fernandez Archiep. Valentinus.
✠ Franciscus August. Delamare Archiep. Anxitanus.
✠ Carolus De la Tour D'Auvergne Lauraguais Archiep. Bituricensis.
✠ Meledius Archiep. Dramas rit. graec.

✠ Petrus Dominicus Maupas Archiep. Jadrensis.
✠ Ignatius Giustiniani Episc. Chiensis.
✠ Raphael Sanctes Casanelli Episc. Adjacensis.
✠ Ludovicus Carolus Feron Episc. Claromontensis.
✠ Guillelmus Sillani Episc. jam Terracinensis.
✠ Nicolaus Joseph Dehesselle Episc. Namurcensis.
✠ Ignatius Bourget Episc. Marianopolitanus.
✠ Jacobus Gillis Episc. Lymirensis.
✠ Fridericus Gabriel De Marguerye Episc. Augustodunensis.
✠ Joseph Montieri Episc. Aquinatensis, Pontis Curvi et Soranus.
✠ Ludovicus Joseph Delebecque Episc. Gandavensis.
✠ Ludovicus Besi Episc. Canopensis.
✠ Georgius Antonius Stahl Episc. Erbipolensis.
✠ Thomas Joseph Brown Episc. Neoportensis.
✠ Carolus Gigli Episc. Tiburtinus.
✠ Franciscus Maria Vibert Episc. Maurianensis.
✠ Joannes Armatus De Vesins Episc. Agenensis.
✠ Joannes Topich Episc. Philippopolitanus.
✠ Nicolaus Crispigni Episc. Mandelensis.
✠ Andreas Raesz Episc. Argentinensis.
✠ Nicolaus Weis Episc. Spirensis.
✠ Joseph Armandus Gignoux Episc. Bellovacensis Nario-niensis et Sylvanectensis.
✠ Joannes Baptista Leonardus Bertaud Episc. Tutelensis.
✠ Joannes Jacobus David Bardon Episc. Cadurcensis.
✠ Guillelmus Arnoldi Episc. Trevirensis.
✠ Joannes Franciscus Wheland Episc. Aureliopolitanus.
✠ Paulus Georgius Dupont des Loges Episc. Metensis.
✠ Joannes Bernardus Fitzpatrick Episc. Bostoniensis.
✠ Joannes Mac Closkey Episc. Albanensis in Amer.
✠ Petrus Severini Episc. Sappensis in Albania.
✠ Joannes Martinus Henny Episc. Milwachiensis.
✠ Joannes Baptista Rosani Episc. Aerytrensis.

✠ Joannes Donney Episc. Montis Albani.
✠ Petrus Joseph De Preux Episc. Sedunensis.
✠ Gaspar Borowski Episc. Luceoriensis et Zytomeriensis.
✠ Carolus Mac-Nally Episc. Clogheriensis.
✠ Bernardus Maria Tirabassi Episc. Ferentinus.
✠ Urbanus Bogdanovich Episc. Europensis.
✠ Jacobus Maria Joseph Baillès Episc. jam Luconensis.
✠ Joannes Baptista Pellei Episc. Aquipendiensis.
✠ Stephanus Marilley Episc. Lausanensis et Genevensis.
✠ Theodorus Augustinus Forcade Episc. Nivernensis.
✠ Ludovicus Antonius August. Pavy Episc. Julia Caesarensis.
✠ Antonius Martinus Slomscher Episc. Lavantinus.
✠ Guillelmus Bernardus Ullathorne Episc. Birminghamiensis.
✠ Aloisius Ricci Episc. Signinus.
✠ Joseph August. Victor. De Morlhon Episc. Aniciensis.
✠ Joannes Timon Episc. Buffalensis.
✠ Amadeus Rappe Episc. Clevelandensis.
✠ Guillelmus Keane Episc. Cloynensis.
✠ Joseph Maria Benedictus Serra Episc. Dauliensis.
✠ Paulus Dodmassei Episc. Alexiensis.
✠ Angelus Parsi Episc. Nicopolitanus.
✠ Joannes Georgius Müllier Episc. Monasteriensis.
✠ Camillus Bisleti Episc. Cornetanus et Centumcellarum.
✠ Joannes Thomas Mullock Episc. S. Joann. de Terra Nova.
✠ Dominicus Canubio y Alberto Episc. Segobricensis.
✠ Joannes Antonius Balma Episc. Ptholemaidensis.
✠ Aloisius Kòbes Episc. Metonensis.
✠ Julianus Maria Meirieu Episc. Diniensis.
✠ Joannes Anton. Maria Foulquier Episc. Mimatensis.
✠ Franciscus Kelly Episc. Titopolitanus.
✠ Antonius Felix Dupanloup Episc. Aurelianensis.
✠ Joannes Antonius Episc. Arethusinus.

✠ Joannes Ranolder Episc. Vesprimiensis.
✠ Petrus Simon Lud. De Dreux Bréxé Episc. Molinensis.
✠ Joseph Arachial Episc. Trapezuntinus Armen.
✠ Franciscus Petagna Episc. Castrimaris.
✠ Guillelmus De Ketteler Episc. Moguntinus.
✠ Antonius Carolus Cousseau Episc. Engolismensis.
✠ Clemens Munguia Episc. Mecoacanus.
✠ Carolus Franciscus Baillargeon Episc. Thloanus.
✠ Guillelmus Turner Episc. Salfordensis.
✠ Mathias Augustinus Mencacci Episc. Civ. Castellanae Hortanus et Gallesinus.
✠ Joannes Petrus Mabile Episc. Varsaliensis.
✠ Thomas Grant Episc. Suthwarcensis.
✠ Cajetanus Brinciotti Episc. Balneoregiensis.
✠ Joannes Bapt. Paulus Maria Lyonnet Episc. Valentinensis.
✠ Ignatius Feirgelle Episc. S. Hippoliti.
✠ Ludovicus Haynald Episc. Transilvaniensis.
✠ Joannes Jacobus Antonius Guerrin Episc. Lingonensis.
✠ Ludovicus Eugenius Regnault Episc. Carnutensis.
✠ Joseph La-Rocque Episc. S. Hyacinthi.
✠ Joseph Cardoni Episc. Caristensis.
✠ Gesualdus Vitali Episc. Agathopolitanus.
✠ Laurentius Biancheri Episc. Legionensis.
✠ Aloisius Filippi Episc. Aquilanus.
✠ Joseph Maria Ginoulhac Episc. Gratianopolitanus.
✠ Franciscus Joseph Rudiger Episc. Linciensis.
✠ Joseph Caixal y Estrade Episc. Urgellensis.
✠ Joannes Kilduff Episc. Ardagadensis.
✠ Joannes Loughlin Episc. Broklyniensis.
✠ Joannes Franciscus a Paula Verea Episc. De Linares.
✠ Jacobus Roosevell Baylay Episc. Nevarcensis.
✠ Petrus Espinosa Episc. de Guadalaxara.
✠ Aloisius Ciurcia Episc. Scodrensis.
✠ Ottocarus de Attems Episc. Secoviensis.

✠ Nicolaus Bedini Episc. Terracinensis.
✠ Ludovicus Maria Joseph Caverot Episc. S. Deodati.
✠ Hyeronimus Fernandez Episc. Palentinus.
✠ David Moriarty Episc. Kerriensis et Aghadonensis.
✠ Benedictus Riccabona Episc. Tridentinus.
✠ Olympus Philip. Gerbet Episc. Elnensis.
✠ Aloisius Jona Episc. Montis Falisci.
✠ Petrus Barajas Episc. S. Aloisii Potosiensis.
✠ David Bacon Episc. Portlandensis.
✠ Franciscus Alexander Roullet de la Bovillerie Episc. Carcassonensis.
✠ Joannes Joseph Vitezich Episc. Vegliensis et Arbensis.
✠ Cajetanus Rodilossi Episc. Alatrinus.
✠ Nicolaus Renatus Sergant Episc. Corisopitensis.
✠ Pelagius Antonius Lavastida Episc. Tlascalensis.
✠ Guillelmus Vaughan Episc. Plymutensis.
✠ Laurentius Signani Episc. Sutrinus et Nepesinus.
✠ Nicolaus Pace Episc. Amerinus.
✠ Claudius Enricus Planiter Episc. Nemausiensis.
✠ Jacobus Duggan Episc. Chicagiensis.
✠ Clemens Smith Episc. Dubuquensis.
✠ Andreas Casasola Episc. Concordiensis.
✠ Antonius Joseph Jourdany Episc. Forojuliensis et Tolonensis.
✠ Laurentius Gilooly Episc. Elphinensis.
✠ Daniel Mac-Gettingan Episc. Rapotensis.
✠ Joannes Dolton Episc. Portus Gratiae.
✠ Joannes Farrell Episc. Hamiltonensis.
✠ Stephanus Semeria Episc. Olympensis.
✠ Carolus Nicolaus Didiot Episc. Bajocensis.
✠ Corradus Martin Episc. Paterbonensis.
✠ Joannes Onoratus Bara Episc. Catalaunensis.
✠ Joseph Wiber Episc. Halanensis.
✠ Laurentius Bergeretti Episc. Sanctoriensis.

✠ Michael Marszewki Episc. Wladislaviensis.
✠ Vincentius Gasser Episc. Brixinensis.
✠ Franciscus Marinelli Episc. Porphyriensis.
✠ Fortunatus Maurizi Episc. Verulanus.
✠ Fridericus Jacobus Wood Episc. Philadelphiensis.
✠ Joannes Mac Eviley Episc. Glaviensis.
✠ Thomas Furlong Episc. Fernensis.
✠ Guillelmus Joseph Clifford Episc. Cliftonensis.
✠ Petrus Enricus Geraud de Longalerie Episc. Bellicensis
✠ Ludovicus Delcausy Episc. Vivariensis.
✠ Joannes Simor Episc. Jauriensis.
✠ Joannes Bapt. Scandella Episc. Antinoensis.
✠ Paulus Melchers Episc. Osnabrugensis.
✠ Petrus Antonius De Pompignac Episc. S. Flori.
✠ Anastasius Rodrigus Yusto Episc. Salamantinus.
✠ Joannes Ignatius Moreno Episc. Ovetensis.
✠ Antonius Dominguez-y-Valdacanus Episc. Guadixensis.
✠ Michael O'Hea Episc. Rossensis.
✠ Bernardus Conde y Corral Episc. Placentinus Prov. Comp.
✠ Franciscus a Paula Benavides Episc. Seguntinus.
✠ Ferdinandus Blanco Episc. Abulensis.
✠ Joannes Joseph Castañer y Rivas Episc. Vicensis.
✠ Cosmas Marrodan y Rubio Episc. Tirasonensis.
✠ Matthaeus Jaume y Garan Episc. Minoricensis.
✠ Petrus Lucas Asensio Episc. Jacensis.
✠ Joseph Maria Papardo Episc. Sinopensis.
✠ Clemens Pagliari Episc. Anagninus.
✠ Franciscus Mac-Farland Episc. Harfordiensis.
✠ Franciscus Lacroix Episc. Bajonensis.
✠ Ignatius Senestrey Episc. Ratisbonensis.
✠ Joannes Sebast. Devoucoux Episc. Ebroicensis.
✠ Edoardus Horan Episc. Kingstoniensis.
✠ Franciscus Kerril Amherst Episc. Northantoniensis.
✠ Paschalis Vuihic Episc. Antiphellensis.

✠ Andreas Rosales y Muñoz Episc. Giennensis.
✠ Michael Payà y Rico Episc. Conchensis.
✠ Petrus Cubero y Lopez de Padilla Episc. Oriolensis.
✠ Joannes Antonius Augustus Bèleval Episc. Apamiensis.
✠ Valentinus Wiery Episc. Gurcensis.
✠ Antonius Halagi Episc. Arturiensis rit. arm.
✠ Joannes Joseph Lynk Episc. Torontinus.
✠ Joseph Lopez-Crespo Episc. Santanderiensis.
✠ Ludovicus Maria Oliverius Epivent Episc. Aturensis.
✠ Petrus Jeremias Michael Angelus Celesia Episc. Pactensis.
✠ Alexander Paulus Spoglia Episc. Ripanus.
✠ Joannes Monetti Episc. Cerviensis.
✠ Petrus Mac-Intyre Episc. Carolinopolitanus.
✠ Michael Domenec Episc. Pittsburgensis.
✠ Alexander Bonnaz Episc. Csanadiensis et Temesvariensis.
✠ Darius Bucciarelli Episc. Pulatensis.
✠ Gherardus Petrus Wilmer Episc. Harlemensis.
✠ Georgius Butler Episc. Cidoniensis.
✠ Patritius Franciscus Cruice Episc. Marsiliensis.
✠ Joseph Maria Covarubias Episc. de Antequera.
✠ Robertus Cornthwaite Episc. Beverlacensis.
✠ Aloisius Di Canossa Episc. Veronensis.
✠ Laurentius Studach Episc. Orthosiensis.
✠ Joseph Berardi Archiep. electus Nicenus.

Cum hujusmodi Declaratio typis cusa pervulgari coepit, statim Italicae perturbationis duces ac fautores dissecabantur cordibus suis, et qua verbis, qua scriptis Pontificem Maximum atque Venerabiles Antistites veluti patriae proditores jurgiis ac maledictis lacessebant: verumtamen animis nequam illi concidere homines; nam ceteri qui Romam non petierant Episcopi, missis literis, Declarationem libentissime susceperunt. Quapropter Civilis Sedis Apostolicae Principatus cunctis Episcoporum suffragiis adeo solemniter confirmatus est, ut modo de ejus necessitate dubitare haud amplius liceat.

INDEX ACTORUM

QUORUM SERIES IN HOC VOLUMINE CONTINETUR